FORMA CLERI.

SECUNDUM EXEMPLAR QUOD ECCLESIÆ SANCTISQUE PATRIBUS A CHRISTO DOMINO SUMMO SACERDOTE MONSTRATUM EST.

Operâ & studio LUDOVICI TRONSON, *quondam Superioris Seminarii S. Sulpitii.*

TOMUS TERTIUS.

Quatuor postremas Partes nunc primùm complectens.



AVENIONE,

Apud *LUDOVICUM CHAMBEAU*, Typographum & Bibliopolam.

M. DCC. LXX.

Cum Superiorum Permissu.

FORMA CLERI

PARS SEXTA.

CAPUT PRIMUM.

Status Clericalis periculosissimus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quia sublimior aliis.

NOs periclitamur omni horâ. 1 *Cor.* 15. 30.

Quò majus est fastigium, majorque dignitas, eò etiam majus periculum est. *S. Greg. Naz. orat.* 1. *n.* 21.

Hi precibus indigent ac longè plus cœteris, & quibus plus necessitatis immineat plusque periculi divinæ offensionis incumbat; nam, quantò fuerit celsior dignitas, tantò Sacerdotis majora sunt pericula. S. *Chrysost. hom. in epist. ad Tit. post med. pag.* 1470 *litt.* B. *edit. Paris.* 1581. *tom.* 4.

Quantâlibet quisque animi virtute polleat, cùm tamen clavum & Ecclesiæ gubernacula suscipit, insperatis fluctibus quatitur, & variis undiquè negotiis actus penè submergitur. *Idem*,

hom. 1 *in* 2 *ad Timot. circa init. p.* 1409 *litt. D.*

Necessariò, qui doctoris fungitur munere, pericula sustinet, & multò plura, quàm discipuli. *Idem, post init. pag.* 1417 *litt. B.*

Si te quoque ad eundem ordinem [Clericorum] pia fratrum blandimenta sollicitant, gaudebo de ascensu, sed timebo de lapsu. *S. Hier. ep.* 1 *ad Heliod. post med.*

Antè omnia peto, ut cogitet religiosa prudentia tua nihil esse in hac vitâ & maximè hoc tempore facilius & latius & hominibus acceptabilius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, si perfunctoriè atque adulatoriè res agatur; sed nihil apud Deum miserius & tristius & damnabilius. Item nihil esse in hac vitâ & maximè hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi aut Presbyteri aut Diaconi officio, sed apud Deum nihil beatius, si eo modò militetur, quo noster Imperator jubet. *S. August. ep.* 148 *ad Valer.* 40 *dist. c. antè omnia.*

Non parvi terroris est, atque formidinis esse vel inferioris ordinis Sacerdotem. *Petr. Dam. opusc. de dig. Sac. præfat.*

Facilè est in alto se contuentem obstupescere, & de vitâ periclitari. *Ad Frat. de monte Dei, de vitâ Solit. inter opera* S. *Bern. c.* 2 *n.* 6 *pag.* 202 *litt. F. tom.* 2 *edit. Mabil.*

Sublimis gradus, sed eò ampliùs periculosa ruina. Numquid non tres cœli sunt? Quomodò ascendimus? Itaque, qui stat, videat, ne cadat. Videbam, inquit, satanam tanquam fulgur de cœlo cadentem; ex alto corruit confractus & comminatus est, desperata est plaga ejus, factus est spiritus vadens & non rediens. *S Bern. serm. in hæc verba*, Hæc est generatio quærentium Dominum, *paulò antè finem, pag.* 1162 *litt. C. tom.* 1 *edit. Mabil.*

Terribilis prorsùs terribilis locus est. Iste lo-

cus, in quo ſtas, terra ſancta eſt; locus Petri eſt, locus Principis Apoſtolorum, ubi ſteterunt pedes ejus. *Idem, ep.* 238 *ad Eug. circà med. p.* 230 *lit. D tom.* 1 *edit. Mabil.*

Attendite quia villicatio veſtra vobis onerosa & gravis; adminiſtratio ejus difficilis; exitus horribilis; pœna infinibilis. *Petr. Bleſenſ. ſerm.* 56.

O quàm grave & periculoſum eſt adminiſtrationis officium! *Idem, ibid.*

Quantò dignior & eminentior eſt ejus miniſterii gradus, tantò gravius imminet ex ipſius dignitate diſcrimen. *Idem, ep.* 139 *paulò poſt initium.*

Ecce quantò præ aliis major vobis in honore dignitas, tantò major in miniſtrationis onere difficultas. *Idem, ſerm. in ſynod. ſuper hæc verba Joan.* 15. 16. Non vos me elegiſtis.

Gaufridus Peronenſis Ciarævallis electus Prior in Epiſcopum Tornacenſem electioni nullatenùs acquievit; qui poſteà defunctus & apparens cuidam fratri inquirenti, qualiter ei eſſet, reſpondit: Revelavit mihi Trinitas Sancta quòd, ſi ſuſcepiſſem Epiſcopatum, fuiſſem de numero reproborum. *Idem, ep.* 102 *ſub fin.*

ARTICULUS II.

Quia gravioribus Clerici pulſantur tentationibus.

MILITES bonam militiam. 1. *Timot.* 1. 18. Majores majoribus conſueverunt afflictationes occurrere. *De ſing. Cleric. inter op. S. Cypr. propè fin. n.* 159.

Acriùs divitibus quàm pauperibus invidetur, & non inopes ſed locupletes inquietat infeſtatio ſæva latronum. *ibid.*

Plus Duces & Principes, quàm milites appetuntur in pugnâ. *ibid.*

Et violentibus propulsantur ventis & turbinibus culmina, quæcunque sunt altiora, ideò magis magisque, quò plus cœteris unusquisque potest, fixat esse sibi metuendum, ne in aliquo minoretur. *ibid.*

Christi adversarius & Ecclesiæ ejus inimicus ad hoc Ecclesiæ propositum suâ infestatione persequitur, ut gubernatore sublato atrociùs atque violentiùs circà Ecclesiæ naufragia grassetur. *S. Cypr. ad Cornelium, ep. 55 antè medium, pag. 80 edit. Rigalt.*

Adversarius fortiorem quemque magis aggreditur, & acrior factus hoc ipso, quò victus est, superantem superare conatur. *Idem, presb. & Diac. fratribus ep. propè fin.*

Ne opinemini ad mediocria vos ducendos esse certamina. *S. Chrysost. hom. 15 in Matth. circà medium, pag. 125 litt. B. tom. 3 edit. Paris.* 1581.

Qui doctoris fungitur munere, necessariò pericula sustinet; & multò plura, quàm discipuli. *Idem, hom. 1 in 1 ad Timoth.*

Cur autem eam rem militiam vocat? Indicat profectò bellum excitatum esse vehemens & atrox cum cœteris tum maximè ei, qui doctoris fungitur munere &c. *Idem, ibidem hom. 5 longè post init.*

Tunc & inanis gloria vehementiùs imminet, & pecuniarum amor & fastus, cùm principatus ipse præstet, licentiam offensionis & contumeliæ &c. Si quis igitur parùm religiosus fuerat, multò erit irreligiosior hujusmodi adminiculis nixus. *Idem, hom. 1 post med. p.* 1470 *litt. C. tom. 4 edit. Paris.* 1581.

Percutiam pastorem, & dispergentur oves: quoniam igitur ista rei natura est, diabolus vehementiùs adversùs eos armatur, majorique

fertur insaniâ, quippè, cùm ex eorum cœde gregis quoque detrimenta sequuntur. Nam, qui ovem jugulat, gregem quidem imminuit. Porrò, qui pastorem ipsum de medio tulerit, totum simul gregem dissipabit. Itaque minori cum labore majora detrimenta molitur, atque in unâ animâ cuncta simul perdere atque vastare contendit, atque ideò illis acriùs imminet. *Idem, paulò post init. p.* 1417.

Quandiù enim homo aut privatus, aut nauta, aut agricola fuerit, non usque adeò adversùs eum inimici Regis armantur; at, cùm illum à Rege sigillum accepisse viderint, scutumque & gladium & frameam vesteque indutum militari, tunc maximè adversùs eum infrendunt dentibus, ac modis omnibus necare intendunt. *S. Joan. Clim. gradu* 4 *de obed. c.* 5 *circà med. edit. Amb. Camald. p.* 61.

Eo ipso, quo cœteris præeminet (Rector) elatione cogitationis intumescit. S. *Greg. pastor. part.* 1 *cap.* 6.

Dùm foris immenso favore circumdatur, intùs veritate vacuatur. *Idem, ibidem.*

Quos forte potestatis excesserit, transcendisse se etiam vitæ meritis credit. *Idem, ibidem.*

Cunctis se æstimat ampliùs sapere, quibus se videt ampliùs posse. *Idem, ibidem.*

Humana etenim mens plerumquè extollitur, etiam cùm nullâ potestate fulcitur, quantò magis in altum se erigit, cùm se ei etiam potestas adjungit. *Idem, ibidem.*

Dejecisti eos, dùm allevarentur, quia, dùm foris videntur surgere, intùs cadunt, similes fumo, qui ascendendo deficit, & sese dilatando evanescit. Ideò scriptum est; Deficientes quemadmodùm fumus deficient. Et illud; Deus meus, pone illos ut rotam; rota enim in anterioribus corruens in posterioribus elevatur, quia, quantò elevantur in bonis præsentis vi-

tæ, tantò in æternis corruunt. *Idem, regiſtr. lib. 1 ep. 5.*

[Antiquus hoſtis] quantò majora in hominibus dona conſpicit, tantò hæc auferre ſubtilioribus inſidiis exquirit; neque enim latrunculi in viâ capere viatores vacuos expetunt, ſed eos, qui auri vaſcula vel argenti ferunt. *Idem, ep. 126 Recharedo Regi.*

Prælatos ſibi delicatiùs acceptant [inimici] in cibum, ſicut Scriptura teſtatur quia cibus Behemoth cibus electus. *Petrus Bleſ. ep. 157 ad Vicarium ſuum, paulò poſt init.*

Superbia potentibus periculoſiùs inſidiatur, dùm & ſublimitas officii & libertatis licentia & boni placentia facilè (Prælati) mentem ejus extollerent. *S. Bonav. de ſex alis Seraphin. cap. 5 paulò antè fin.*

Antiquus hoſtis caput potiùs quàm membra, duces exercitûs potiùs quàm militum turma, & paſtores libentiùs quàm ovium greges oppugnare conatur. Intelligit namque ipſe homicida quòd languente capite membra quoque cætera hebetentur, corpuſque languendo deficiat; percipit idem tortuoſus coluber quòd bellatorum duce proſtrato mox univerſa militum multitudo in fugam verſa partim cæſa diſſipatur atque confunditur. Novit, inquam, quòd paſtore percuſſo ovium armenta per devia quæque ſpargantur. B. *Laur. Juſtin. regim. Prælat. cap. 16. num. 1.*

ARTICULUS III.

Quia ſeverius à Chriſto & nullâ auditâ excuſatione judicandi.

IN univerſum autem illud apud nos conſtat quòd quemadmodùm in ſublimi & pendulo fune gradientibus in hanc vel in illam partem

deflectere minimè tutum est, nec etiam parva inclinatio parvum periculum affert, verùm eorum salus in æquilibrio posita est, ad eundem quoque modum utramvis in partem quispiam sive ob vitæ improbitatem sive ob imperitiam propenderit, haud leve periculum tum ipsis, tum iis, quibus præest, imminet, ne in peccatum prolabantur. *S. Greg. Naz. orat.* 1 *n.* 63.

Neque licet imperitiam accusare, neque ad ignorantiam confugere, neque aut necessitatis aut violentiæ speciem obtendere, quandoquidem, qui delegatus est ut alienam emendet ignorantiam, tum verò diabolicum instare bellum denuntiat, is profectò ignorantiam prætendere minimè poterit, neque vocem hanc usurpare; Tubam non audivi, bellum non providi &c. quo nomine supplicium nullâ excusatione depellere poterit, quamvis unius duntaxat animæ jactura acciderit. *S. Chrys. lib. 6 de Sacerdote, cap.* 1.

Non enim est facile stare loco Pauli, tenere gradum Petri jàm cum Christo regnantium. *S. Hiero. ep.* 1 *ad Heliodor. paulò antè fin.*

Opus est hæc res, non ludus atque animi oblectatio: cur... non luxus? munus referendis rationibus obnoxium non imperium ab omni censurâ liberum atque immune; paterna procuratio, non tyrannica licentia; dispensatoria præfectura, non ejusmodi potestas, quæ sub reddendarum rationum necessitatem minimè cadat. *S. Isid. Pelusiota, leb.* 3 *ep.* 216 *Palladio Diacono, post med.*

Quid incorruptum illum judicem facturum putas? An non in eum acriùs animadversurum, qui ne ex ipso quidem honore melior effectus est? Dividet enim eum, partemque ejus cum infidelibus ponet. *Idem, ibid. sub finem.*

Magnum periculum est judicem fieri vitæ alienæ, qui nescit tenere moderamina vitæ suæ.

Ivo Carnot. cap. 183 *ex Sanct. Augusſt.*

O quàm grave, quàm periculoſum eſt fratres mei, adminiſtrationis officium, qui non ſolùm de veſtris animabus commiſſis in die tremendi judicii reſpondere tenemini! Et quomodò cuſtodiet conſcientiam alienam, qui ſuam cuſtodire non poteſt? *Petr. Bleſ. ſerm. 56 ad Sacerdotes, qui eſt in verſ. 12 cap. 6 Levit.*

CAPUT II.

Morte malorum Sacerdotum nihil terribilius.

NADDAB & Abiu filii Aaron offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat; egreſſus ignis à Domino devoravit eos, & mortui ſunt coram Domino, dixitque Moyſes ad Aaron; Hoc eſt, quod locutus eſt Dominus ſanctificabor in iis, qui appropinquant mihi, & in conſpectu omnis populi glorificabor..... Capita veſtra nolite radere, & veſtimenta nolite ſcindere, ne fortè moriamini. *Levit* 10 *v.* 1. *&c.*

Ecce dies veniunt & præcidam brachium, ut non ſit ſenex in domo tuâ. Et videbis æmulum tuum in templo in univerſis proſperis Iſraël: & non erit ſenex in domo tuâ omnibus diebus.... & pars magna domus tuæ morietur.... Hoc autem erit tibi ſignum, quod venturum eſt duobus filiis tuis Ophni & Phinees: in die uno morientur ambo. 1 *Reg. c.* 2 *v.* 31 *&c.*

Porrò filii Heli, filii Belial neſcientes Dominum, reque officium Sacerdotum.... erat ergo peccatum puerorum grande nimis. *Ibidem, c.* 2 *v.* 12. 13. *&* 17.

Dominus ad Samuëlem ; Ecce ego facio verbum in Israël , quod quicunque audierit , tinnient ambæ aures ejus.... suscitabo adversùm Heli omnia , quæ locutus sum super domum ejus : incipiam , & complebo. Prædixi enim ei quòd judicaturus essem domum ejus in æternum propter iniquitatem.... eò quòd noverat indignè agere filios suos & non corripuerit eos. Idcircò juravi domui Heli , quòd non expietur iniquitas domûs ejus victimis & muneribus usque in æternum. *ibid. c. 3 v. 11 &c.*

Et facta est plaga magna nimis : & ceciderunt de Israël triginta millia peditum & Arca Dei capta est : duo quoque filii Heli mortui sunt Ophni & Phinees.... &.... Heli.... cecidit de sellâ retrorsùm.... & fractis cervicibus mortuus est.... & translata est gloria ab Israël, *ibid. c. 4 v. 10 &c.*

Extendit Oza manum ad Arcam Dei , & tenuit eam , quoniam calcitrabant boves , & declinaverunt eam , iratusque est indignatione Dominus contrà Ozam , & percussit super temeritate , qui mortuus est ibi juxtà Arcam Dei. 2. *Reg. c. 6 v. 6.*

Mors peccatorum pessima. *psal. 33. v. 12.*

Nescit homo finem suum , sed sicut pisces capiuntur hamo , & sicut aves laqueo comprehenduntur , sic homines in tempore malo , cùm eis extemplò supervenerit. *Eccles. c. 9 v. 12.*

Mors illius , mors nequissima ; & utilis potiùs infernus , quàm illa *Eccles. 18. v. 25.*

Pro eo quòd vocavi , & non respondistis ; locutus sum , & non audistis , & faciebatis malum in oculis meis ; propter hoc hæc dicit Dominus Deus.... clamabitis præ dolore cordis & præ contritione spiritûs ululabitis.... & interficiet te Dominus Deus. *Isaï. 65 v. 12.*

Ergo & ego faciam in furore , non parcet oculus meus , nec miserebor ; & cum clamave-

rint ad aures meas voce magnâ, non exaudiam eos *Ezech. 8 v. 18.*

Tunc Judas pœnitentiâ ductus retulit triginta argenteos dicens, Peccavi tradens sanguinem justum, & projectis argenteis in Templo recessit, & abiens laqueo se suspendit. Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, & suspensus crepuit medius & diffusa sunt omnia viscera ejus. *Matth. 27 v. 3 & seq. & Act. 1 vers. 18.*

Si privatim pecces, nihil tale passurus es; si in Sacerdotio peccas, periisti. S. *Chrysost. hom. 3 in Act. Apostol.*

Antè omnia peto ut cogitet religiosa prudentia tua nihil esse in hac vitâ & maximè hoc tempore facilius, & latius, & hominibus acceptabilius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, si perfunctoriè atque adulatoriè res agatur; sed apud Deum nihil miserabilius, & tristius, & damnabilius. *S. Aug. ep. 148 d Valer. & refertur. Can.* Antè omnia, *dist. 40.*

Meritò tunc sine exauditione invocabunt, cùm nunc exorantem invocare negligant..... Tunc impletur, quod loquitur Sapientia: Vocavi, & renuisti &c. Tunc invocabunt me, & non exaudiam. *B. Laurent. Justin. de contemplatione Christianæ perf. longè post med.*

CAPUT III.

Judicium durissimum Sacerdotes Manet.

ARTICULUS PRIMUS.

Quia status eorum præstantior, & uberiores à Deo acceptæ gratiæ.

JUDICIUM durissimum fiet his, qui præsunt. *Sap. 6. 6.*

Luc. 12. 48. Omnis, cui multùm datum est; multùm quæretur ab eo; &, cui commendaverunt multùm, plus petènt ab eo.

Cui plus creditur, ab eo plus exigitur. *S. Ambr. de dignitate sacerdot. cap. 3 pag. 360 litt. A. append. tom. 2 edit. Bened.*

Laïcus in die judicii stolam Sacerdotalem accipiet, & à Deo chrismate ungetur in Sacerdotium. Sacerdos autem peccator spoliabitur Sacerdotii dignitate, quam habuit, & erit inter infideles & hypocritas. *Homil. 40 operis imperf. in Matth. inter oper. S. Augustl. longè antè med.*

Acriùs in eum incorruptus judex animadversurus est, qui ne ex ipso quidem honore melior effectus est. S. *Isid. Pelus. lib. 3 ep. 216 Pallad. Diacono.*

Dei solius est justificare & condemnare, qui statum & virtutem, conversiones & gratias, compositionem & aptitudinem uniuscujusque novit, atque horum unumquemque potest solus discernere: aliter enim judicat Deus Episco-

pos, aliter Principes, aliter Prælatos; aliter subditos, aliter Seniores, aliter juniores; aliter ægrotos & aliter benè habentes. *S. Doroth. doctr. 6 ant. med. pag. 915 col. 2 litt. G. tom. 5 Bibl. Lugd.*

Tantò ergo apud Dominum obligatiores sumus, quantò apud homines inultè peccamus; disciplina autem nostra subditos divino judicio tantò liberiores reddit, quantò hìc eorum culpas sine vindictâ non deserit. S. *Greg. pastor. part. 2 cap. 6 post med.*

Qui judex fieri vult animarum, nescit quàm durum, quàm districtum cogatur expectare judicium. *S. Benedict. apud Petr. Dam. opusc. de fugâ dignitatum Eccl.*

Esset sine dubio meliùs nubere, quàm uri; & salvari in humili gradu fidelis populi, quàm in Cleri sublimitate & deteriùs vivere & districtiùs judicari. *S. Bern. de convers. ad Cler. cap. 29.*

In Clero quippè tanquam in Cœlo gerent iniqua; quid nisi de ministerio judicetur? Cœleste tenet officium; Angelus Domini exercituum factus est; tanquam Angelus aut eligitur, aut reprobatur. Inventa quippè in Angelis pravitas & districtiùs judicetur necesse est, & inexorabiliùs, quàm humana. *Idem, declam. 6. 21 edit. Mabil. tom. 2.*

Audite hæc Sacerdotes; auscultate quia judicium vobis est. Ezech Et hoc est quod alibi scriptum est; A domo Domini incipiet judicium. Et Dominus ad suos Angelos loquens, ait: Ite, & incipite à Sanctuario meo. Cùm vobis in Apostolis sit promissum sedere super sedes duodecim & judicare duodecim Tribus Israël, ignominiosum est, si à vobis judicium incipit, & si priùs judicamini, qui judicare alios debuistis; ignominiosum est, si Pastores cum hœdis numerandi sunt ad sinistram, si

piscatores cum malis piscibus ejiciendi sunt foras, si operatores vineæ Domini Sabaoth cum fermentis & infructuosis palmitibus succenduntur. *Petr. Blef. serm. 59 ad Sacerdot. init.*

Justè judicate, qui judicatis orbem: nam & ille; qui terribilis est super filios hominum, etiam justitias judicabit. *Idem, de instit. Episc. cap. 5 long. post med. pag. 453 col. edit. Paris. 1672.*

Peccatum Sacerdotis.... maximum judicatur tum propter officii dignitatem, cùm propter perversitatem exempli. *Innoc. III. serm. 1 in consecrat. Pontificis, init.*

Multa sunt levia subditis, quæ gravia sunt Prælatis; & multa sunt laicis venialia, quæ Clericis sunt mortalia. *Idem, ibidem.*

ARTICULUS II.

Quia ipsis creditæ sunt animæ.

NOs autem, excepto quòd Christiani sumus, undè reddemus rationem Deo de vitâ nostrâ, sumus etiam Præpositi, undè rationem reddemus de dispensatione nostrâ. *Apud Conc. Aquisgran. XXVI. c. 12 S. August. Tract. de part. cap. 1 tom. 9 seu serm. 165 de Tempore, tom. 10 & edit. Bened. serm. 46 p. 226 litt. B. tom. 5.*

Formidolosa valdè, & tremenda hæc sententia Sacerdotibus est, quâ dicitur: Sanguinem autem ejus de manu tuâ requiram. *Concil. Paris. VI. an. 828 lib. 1 c. 5 pag. 1601 litt. E. tom. 7 Conc. Labb.*

Nec enim solùm pro delictis nostris reddemus rationem, sed pro omnium, quorum abutimur donis, & nequaquàm sumus de eorum salute solliciti. *Ibid. c. 12 circà med. pag. 1607 litt. D.*

Unusquisque Christianorum pro suo peccato reddet rationem ; Sacerdotes autem non solùm pro suis, sed & pro omnium peccatis reddituri sunt rationem. *Homil.* 38 *operis imperfecti in Mat. inter opera S. Chrysost.*

Quod alii peccant, illi (nempè Sacerdoti) imputatur *S. Chrysost. hom.* 3 *in Act. Apost. post med. pag.* 405 *litt. A. tom.* 3 *edit. Paris.* 1581.

Si pecces privatim ; nihil tale passurus es, si in Sacerdotio peristi. *Idem, ibid. litt. C.*

Quid miseris illis dixeris, qui se conjiciunt in tantum abyssum suppliciorum ? Omnium, quos regis, mulierum, & virorum, & puerorum à te reddenda est ratio ; tanto igni caput tuum subjicis. *Idem, hom.* 34 *in ep. ad Hebræos, long. post initium. pag.* 1702 *litt. A. edit. Paris.* 1581.

Si horremus, dùm judicium id nobis subeundum est, in quo peccatorum propriorum rationes reddituri sumus, ut qui sentiamus nos ignem illum æternum effugere nequaquam posse ; quid illi expectandum est, qui tam multorum nomine causas sit dicturus ? *Idem, lib.* 3 *de Sacerdot. c. ult. sub fin.*

Pro iis sigillatim omnibus, qui nobis concrediti fuerint, rationem reddere cogemur. *Idem, lib.* 6 *de Sacerd. cap.* 1.

Ipsi pervigilant tanquam rationem reddituri pro animabus vestris. Si pro se, fratres, unusquisque vix poterit in die judicii rationem reddere, quid de Sacerdotibus futurum est, à quibus sunt omnium animæ requirendæ. *S. August. serm.* 15 *in appendice de diver. tom.* 10 *edit. Zhecl. Lovan. Erat homil.* 7 *inter.* 50.

Qui honoris solius compos effectus est, aliaque omnia jura, quæ ad Episcopatûs administrationem attinent, contempsit.... Illic apud incorruptum judicem in tremendo illo tribunali

clamoribus exagitabitur, fame oppressis clamantibus, nobis ne necessario quidem cibo frui contigit; hic autem in luxu ac congerendis pecuniis versatus.... nudis autem dicentibus &c.... ægrotis &c. viduis &c. pupillis &c... Hæc igitur cum animis nostris reputantes, divinas res ludibrio ne habeamus; nam qui privatis etiam rationibus reddendis vix pares fuerimus, posteaquàm tot populorum clamores & insectationes nobis ipsis comparaverimus, ubi tandem os nostrum ostendemus? S. *Isidorus Peluf. lib.* 3 *ep.* 216 *Palladio Diacono, sub fin.*

Pensèt (Sacerdos) qui ad satisfaciendum districto judici de suâ tantùm animâ vix sufficit, quia, quot regendis subditis præest, reddendæ apud Deum rationis tempore, ut ità dicam, tot solus animas habet. *S. Greg. Moral. lib.* 24 *c.* 16.

Pro nobis petite... ne, postquàm prædicationis locum suscepimus, apud justum judicem nostra nos taciturnitas addicat. *Idem, hom.* 17 *in Evang. post init.*

Veniet, veniet profectò ille dies, nec longè est, in quo Pastorum Pastor appareat, & uniuscujusque facta in publicum deducat, & qui modò subditorum culpas per Præpositos ulciscitur, tunc Præpositorum mala per semetipsum sæviens damnet. *Idem, ibid. post med.*

Subditorum quidem culpas per Pastores percutit, sed Pastorum vitia per semetipsum ferit. *Idem, ibid.*

Sacerdotes populorum iniquitate damnantur, si eos aut ignorantes non erudiant, aut peccantes non arguant. *S. Isidor. Hispal. lib.* 3 *Sentent. c.* 46.

Reddituri sumus rationem non solùm de nobis, sed etiam de animabus nobis commissis, nisi illis instanter annuntiaverimus verbum salutis. *Hugo à S. Vict. serm.* 23 *ad Sacerdotes*

in Synodo, pag. 500 *litt.* B. *col.* 1 *tom.* 2 *edit. Rothom.* 1646.

Venient, venient (mali Clerici) antè tribunal Christi : audietur populorum querela gravis, accusatio dura, quorum vixere stipendiis, nec diluere peccata ; quibus facti sunt duces cœci, fraudulenti mediatores *S. Bern. declam.* §. 16 *n.* 19 *pag.* 292 *litt. F. tom.* 2 *edit. Mabil.*

Etsi reddenda est ratio de his, quæ quisque gessit in corpore suo, hèu quid fiet de his, quæ quisque gessit in corpore Christi, quod est Ecclesia ? *Idem, serm. ad Cler. in Conc. Rhem. paulò post init. dub. pag. 735 tom.* 2 *edit. Mabil.*

Quia requiret à te Dominus de ovibus suis exactissimam rationem, propter hoc irritavit impius Deum ; dixit enim in corde suo : Non requiret ; Deus autem per Ezechielem dicit : Ecce requiram oves meas de manu Pastoris. Dominus dicit, Requiram ; ipsius dicit, Non requiret. Cujus putas assertio prævalebit ? *Petr. Blef. ep.* 1344 *antè med.*

Non solùm de vestris, sed de animabus nobis commissis in die tremendi judicii respondere tenemini, & quomodò custodiet conscientiam alienam, qui suam custodire non potest ? Conscientia siquidem abyssus inscrutabilis est, non obscurissima ; & tamen misero Sacerdoti, qui hanc noctem suscepit, & in curâ clamatur, Custos quid de die ? Custos quid de nocte ? *Idem, serm.* 56 *ad Sacerdot. sub fin. p.* 367 *col.* 2 *edit. Paris.* 1673.

De animabus populi reddituri estis rationem in die tremendi judicii pro perditione illorum, confusionis & mortis æternæ sententiam subituri. *Idem, serm.* 55 *ad eosd. Sacerdot. in fin. pag.* 356 *col.* 1.

Periculosa res est aliorum curam assumere, pro peccatoribus se fidejussorem constituere.

B. Laurent. Justin. de institut. & regim. Prælat. c. 6 n. 3.

CAPUT IV.

Intolerandum malis Sacerdotibus paratum in inferis supplicium.

ARTICULUS PRIMUS.

Summa Sacerdotum damnatio.

DUPLICI contritione conteres eos. *Jerem. 17. v. 18.*

Episcopi, Presbyteri, aut Diaconi officio, si perfunctoriè atque adulatoriè res agatur, nihil apud Deum miserius & tristius & damnabilius. *S. Aug. ep. 148 ad Valer. dist. 48 antè omnia.*

Grandis dignitas Sacerdotum, sed grandis ruina, si peccent. *Conc. Paris. VI. an. 828 l. 1 c. 12 post med.*

Qui scandalizaverit unum de pusillis istis &c. *Matth. 18.*

Quod quibusdam interpositis S. Greg. ità exponit. Quia ergo ad sanctitatis speciem deductus (Sacerdos) aut verbo cæteros destruit, vel exemplo. Melius fuerat profectò ut hunc ad mortem sub exteriori habitu terrena acta constringerent, quàm sacra officia in culpâ cæteris imitabilem demonstrarent, quia nimirùm, si solus caderet, utcunque hunc tolerabilior inferni pœna cruciaret. Quibus terribilibus verbis liquidò datur intelligi, quòd melius fatiusque fuerat Sacerdotibus negligentibus non subsistere, quàm acceptis divinis officiis per re-

probam vitam pravaque exempla his, quibus prodesse debuerunt, offendiculum iniquitatis & laqueum perpetuæ damnationis existere. *Conc. Paris. VI. an.* 828 *c.* 4 *in fin. pag.* 1600 *litt. E. tom.* 7 *Conc. Labb.*

Ostendere volens Deus peccata hominum longè majori supplicio expiari, dùm à Sacerdotibus, quàm, dùm à privatis fiunt, mandat ut tantumdem (Levit. 4. v. 5 & 14.) pro Sacerdotibus, quantùm pro universo populo sacrificium offeratur. Quod quidem quid aliud significat, quàm Sacerdotis vulnera majori medicamento atque auxilio indigere, atque adeò tanto, quanto conjuncta simul universi populi vulnera indigent. *S. Chrysost. lib. 6 de Sacerdot. cap.* 11.

Quæ igitur facinoris appendices? Virtus hominis, quæ intolerabile crimen (Davidis) faciebat; non enim pariter commissa in omnibus accipienda; potentes enim potenter tormenta patientur, &, qui novit voluntatem domini sui, & non facit, vapulabit plagis multis. Ità plurimarum rerum cognitio acerbiores peccatorum efficit pœnas. Ideò Sacerdos, si pariter cum subditis peccat, non eadem, sed multò acerbiora patietur. *Idem, hom.* 27 *in cap.* 88 *S. Matth. post med.*

Quod si his, qui unam animam scandalizat, expedit ei, ut mola asinaria suspendatur circa collum ejus, & demergatur in profundum maris; qui tot animas scandalizat, & urbes integras, & plebes, viros, mulieres, pueros, cives, rusticos, &c. quid pati merebitur? Nempè, si plura triplo, quàm diximus, addas, nihil dicturus es, adeò vehemens pœna atque cruciatus hujusmodi hominibus imminet. *Idem, hom.* 1 *in ep. ad Tit. post med. pag.* 1470 *litt. D. tom.* 4 *edit. Paris.* 1581.

Quàm multa supplicia Episcopos manent,

cùm ex iis unusquisque non solùm rationem redditurus sit suorum delictorum, sed eorum item omnium, quæ alii commiserint, ad extremum illos venire oporteat periculum. *Idem lib. 3 de Sacerdot. c. ult. in fine.*

Si ei, qui unum aliquem duntaxat offenderit, expedit ut mola asinaria suspendatur à collo ipsius, ac demergatur in profundum maris; item, qui fratrum suorum conscientiam offendunt, ii omnes in ipsum Christum peccant, qui non unum, non duos, non tres tantùm, sed tam multos etiam populos perdiderint; illis quid tandem fiet? ac quamnam pœnam illi sunt pensuri? neque enim licet imperitiam excusare, neque ad ignorantiam confugere, neque aut necessitatis aut violentiæ speciem obtendere. *Idem, libro sexto, de Sacerdotib. cap. 1.*

Cui rei similes dixerim Sacerdotes malos; nisi aquæ baptismatis, quæ peccata baptisatorum diluens illos ad regnum cœleste mittit, & posteà ipsa in cloacas descendit. *S. Greg. hom. 17 in Luc. sub fin.*

In Sacerdotali vitâ tùm graviores tum longè plures pœnæ, quàm in cæteris hominibus, esse possunt. *Conc. Mediol. IV. part. 3 tit. Monitiones.*

Infœlix seges à frugibus bonis messis tempora segreganda, nec horreis debita, sed caminis, pabulo ignis æterni arsura materies, suis interim crescet incendiis. S. *Paulin. ep. ad Sacer. 6 antè med. pag.* 182 *col. 2 litt. A. tom. 6 edit. Bibl.*

Tantus ad Sacerdotis pœnam & cruciatum cumulus accedet, quantus priùs in eum honor collatus est. *S. Isidor. Pelusiot. lib. 2 ep. 37 Hermis Comiti.*

Quid facturus est Sacerdos miserrimus, qui sentit se peccati oneratum.... quidquid faciet

filius doloris filiæ plorationis æternæ, qui nec in se, nec in aliis ignem charitatis accendit. Certè paratus est in cibum & consumptionem ignis. Ignis succensus est in furore Domini, & ardebit usque ad inferni novissima; deputatus est ei locus cum ardoribus sempiternis: paratus est vermis, qui non morietur &c. *Petrus Blesensis, sermone 56 ad Sacerdot. sub finem.*

Præ omnibus diabolis profundiùs submergentur in infernum. *S. Brigit. revelat. 4 c. 135.* Væ talibus, quòd unquàm nati sunt. Væ quod unquàm membra mea ac Sacerdotes facti sunt; ipsi enim profundiùs cadunt in infernum, quàm aliquis alius. *Ibid. in fin.*

Cùm acceptam ad adjutorium scientiam negligunt, hanc contra se in testimonium vertunt, & de lumine intelligentiæ augent supplicia. Quod profectò acceperam, ut possent delere peccata. S. *Greg. Pastor. p. 3 c. 1 admonit. 32.*

Si boni Pastores estis, gaudete quia merces vestra copiosa est in Cœlis. Si mercenarii estis, timete, quia periculum vestrum grande est in terris: si fures estis, ingemiscite, quia locus vester magnus est in pœnis. *S. Bern. serm. ad Pastores in Synodo, pag. 729 litt. C. tom. 2. edit. Mabil.*

Prælati scire debent quòd, si perversa perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suæ perditionis exempla transmittunt. *Petr. Blef. ep. 132 pag. 202 col. 2 edit. Paris. 1672.*

Grave ministris Ecclesiæ appositum est onus, gravissimaque desidiosis & malis præparata supplicia. *S. Laurent. Justin. serm. de Euchar. n. 21.*

Quantò uniuscujusque major est status, tantò pernicioſior est ruina, eorum maximè, qui sacro-sancta Corporis & Sanguinis Christi turpiter mysteria tractant. *Idem, ibid.*

ARTICULUS II.

Cur tam grave supplicium malis Sacerdotibus paratum.

SECTIO PRIMA.

Quia præ aliis superno lumine collustrati.

SCienti legem & non facienti eam, peccatum est grande; & servus sciens voluntatem domini sui, si non fecerit eam, vapulabit multùm. *S. Ambros. de dignit. Sacerdot. c. 3 pag. 360 litt.* B. *tom. 2 append. edit. Benedictin. dub.*

Non enim pariter commissa in omnibus accipienda: potentes enim, ait, potenter tormenta patientur; &, qui novit voluntatem domini sui, & non facit, vapulabit plagis multis. *S. Chrysost. hom. 27 in Matth. longè antè finem.*

Major scientia majoris fit pœnæ materia; propterea Sacerdos eadem cum subditis peccata committens non eadem, sed multò graviora patietur. *Idem, hom. 77 ad pop. antioch.*

Luc. 12. Servus qui cognovit voluntatem domini sui, & non fecit secundùm voluntatem ejus, plagis vapulabit multis .... Tantò illic graviora tormenta percipiet, quantò hìc malum non deserit, etiam quod ipsa mens condemnat. *S. Greg. Pastor. p. 3 c. 1 admon. 32.*

Hinc Psalmista ait, Descendant in infernum viventes: vivi quippè, quæ circa illos aguntur, sciunt & sentiunt; mortui autem sentire nihil possunt; mortui enim in infernum descenderent, si mala nescienda perpetrarent; cùm verò sciunt mala, & tamen faciunt, ad iniquita-

tis infernum viventes miseri sentientesque descendunt. *Idem, ibidem.*

Dùm mala ex judicio faciunt, districtius contra se judicium accendunt, ut tantò eâ durior sententia feriat, quantò illos in culpâ vincula deliberationis ligant. *Idem, ibidem, admon.* 33 *post med.*

SECTIO SECUNDA.

Quia ad altiorem gradum provecti & majoribus gratiæ donis ditati.

Plus ab eo exigitur, cui plus committitur; ampliores enim pœnas luit, cui numerosior regendorum populorum fuerit cura commissa. *S. Ambros. lib. de dignit. Sacerdot. cap. 3 in fin. pag.* 360 *litt.* B. *append. tom.* 2 *edit. Benedictin. dub.*

Non pares communesque pœnæ eæ sunt, quas antè dignitatem à Deo acceptam domûs, cum iis quas dignitate jam acceptâ luere cogimur; hic enim longè gravius, quàm illic plectimur; etenim, quem beneficia accepta meliorem non reddunt, is certè gravius etiam supplicium meretur. S. *Chrysost. lib.* 4 *de Sacerdot. cap.* 1 *&* 2.

Longè majus supplicium à principe; quàm à subditis exiget Deus. *Idem, lib.* 6 *de Sacerdotio, c.* 11.

Qui nec inter tanta beneficia melior effectus es, justissimè extrema illa atque sævissima tormenta patieris. *Idem, hom.* 12 *in Matth. post med.*

Quæ non supplicia persolves post tam grande donum ad vomitum priorem transvertens.

Non tam enim quasi homo simpliciter, sed ut Filius Dei peccans severiùs puniéris, & ipsa excellentia, dignitatis majoris tibi fiet causa supplicii. *Idem, ibidem.*

S

Si enim ille, qui paradiſi ſortitus fuerat habitaculum, propter unum utique delictum tanta poſt honorem pertulit mala, quam nos veniam ſperare poterimus, ſi ad ſerpentem curramus poſt columbam. *Idem, ibidem.*

Sacerdotis dignitas iis, qui non, ut eo honore dignum eſt, vivere inſtituerunt, ſupplicii & cruciatûs accretio exiſtit. *S. Iſidor. Peluſiot. lib. 3 ep. 275.*

SECTIO TERTIA.

Quia ſuis & alienis peccatis onerati.

Quam multa ſupplicia Epiſcopos manent, cùm ex iis unuſquiſque non ſolùm rationem redditurus ſit ſuorum delictorum, ſed eorum item omnium, quæ alii commiſerint, ad extremum illos venire oporteat periculum. Nam ſi horremus, dùm nobis judicium id ſubeundum eſt, in quo peccatorum propriorum rationem reddituri ſumus, ut qui ſentiamus nos illum ignem æternum effugere nequaquàm poſſe; quid illi expectandum eſt, qui tam multorum nomine cauſam ſit ipſe dicturus. Quod autem hoc verum ſit, audi B. Paulum, ſeu potiùs non Paulum; ſed Chriſtum Pauli ore loquentem: Ipſi vigilant pro animabus veſtris tanquam rationem reddituri. *S. Chryſ. lib. 3 de ſacerdotib. cap. ult. in fin.*

Quomodò ſeruntur ea à nobis poſt mortem, quæ tunc ferenda erunt, cùm nos videlicet pro iis ſigillatim omnibus, qui nobis concrediti fuerint, rationem reddere cogemur. *Idem, lib. 6 de Sacerdot. cap 1 init.*

Ipſi vigilant quaſi rationem pro animabus veſtris redditurі. Hujus comminationis terror animum mihi aſſiduè concutit. Nam ſi eſt, qui unum aliquem duntaxat offenderit, expedit ut mola aſinaria ſuſpendatur à collo ipſius ac demerga-

tur in profundum maris. Item si quis fratrum suorum conscientiam offenderit, ii omnes in ipsum Christum peccant. Qui non unum, non duos, non tres tantùm sed tam multos etiam populos perdiderint, illis quid tandem continget, ac quamnam illi pœnam sunt pensuri? *Idem*, *ibid.*

Quid miseris illis dixeris, qui se conjiciunt in tantam abyssum suppliciorum omnium? Omnium, quos regis, mulierum, & virorum & puerorum à te reddenda est ratio: tanto igni caput tuum subjicis. *Idem*, *hom.* 34 *in ep. ad Hebr. longè post init. pag.* 1072 *litt. A edit. Paris.* 1581.

Quod si is, qui unam animam scandalizat, expedit ei ut mola asinaria suspendatur circa collum ejus & demergatur in profundum maris; qui tot animas scandalizat & urbes integras, & plebes, viros, & mulieres, pueros ejus, rusticos, incolas suæ civitatis aliarumque urbium, quæ illi subditæ sunt, quid pati merebitur? Nempè verò, si plura triplo, quàm diximus, addas, nihil dicturus es, adeò vehemens pœna atque cruciatus hujusmodi hominibus imminet. *Idem*, *hom.* 1 *in c.* 1 *ep. ad Tit. post med.*

Hoc interest inter unumquemque vestrum & nos, quòd vos penè de vobis solis reddituri estis rationem, nos autem & de nobis & de omnibus vobis; ideò major est sarcina, sed benè portata majorem gloriam comparat, infideliter autem gesta ad immanissimam præcipitat pœnam *S. Aug. lib.* 50 *hom.* 25.

Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. Per molam asinariam sæcularis vitæ circuitus ac labor exprimitur; & per profundum maris extrema damnatio designatur. Qui ergo ad sanctitatis speciem deductus vel verbo cæteros destruit vel exemplo melius, profectò fuerat

ut hunc ad mortem ſub exteriori habitu terrena acta conſtringerent, quàm ſacra officia in culpâ cœteris imitabilem demonſtrarent; quia nimirùm, ſi ſolus caderet, utrumque hunc tolerabilior inferni pœna cruciaret. *S. Greg. Paſt. part. 1 cap. 2.*

Tradentur æterno uremandi incendio inutiles & infructuoſi, eorum verò cultores majora luent ſupplicia... His vehementer Dominus comminatur in Evangelio, dicens; Malos malè perdet, & vineam ſuam locabit aliis agricolis. *S. Laur. Juſtin. de compunct. & contempl. Chriſtian. perf. n. 15.*

CAPUT V.

Æterna bonorum Sacerdotum merces multa nimis.

1. TIM. 3. 13. Qui benè miniſtraverint, bonum gradum ſibi acquirent.

Ibi mercedes & præmia pro omnium ſalute ſuſcipies, ſi hic pro omnium incolumitate vigilaveris. *S. Clem. ep. 1. Sic loquitur S. Petr. ad S. Clem. antè med. pag. 88 litt. A. tom. 1 Conc. Labb.*

Quiſnam fidelis ſervus & prudens &c. Contemplare itaque & præmium quantum; Super omnia, inquit, bona ſua conſtituet eum. *S. Chryſoſt. de Sacerdot. lib. 2 poſt init. pag. 431. litt. B.*

Si quoties videmus ſervorum pecuariorumve noſtrorum curam à quibuſdam ſuſcipi, ex eo ſtudio adversùs illa impenſo colligimus ab iis nos amari, etiamſi illa ipſa ejuſmodi eſſe ſo-

leant, ut pecuniâ væneant, qui neque pecuniâ neque aliâ re ullâ armentum hoc redemerit suumque proprium sanguinem gregis pretium obtulerit, quanto, quæso, pretio gregis hujus Pastores ac Rectores remuneraturum olim credimus. *Idem, ibidem, pag. 430 litt. D.*

Copiosam ab eo atque immensam mercedem illum expectare constabit, qui consilium, curam, cogitationem, atque operam in his suam ponat. *Idem, ibid. litt. C.*

Nihil in hac vitâ, & maximè hoc tempore, facilius, & latius, & hominibus acceptabilius Episcopi aut Presbyteri aut Diaconi officio, si perfunctoriè atque adulatoriè res agatur; sed nihil apud Deum miserius, & tristius, & damnabilius. Item nihil in hac vitâ, & maximè hoc tempore, difficilius, laboriosius, & periculosius Episcopi aut Presbyteri aut Diaconi officio, sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militatur, quo noster Imperator jubet. *S. Aug. ep. 148 ad Valerium, decreti 1 part. distinc. 40 c. 7. Antè omnia*

Nunquid frustrà currimus? Frustrà laboramus? Nunquid supra petram semen jacimus? Nunquid secus viam, an inter spinas nobis insciis semina cadunt? Anxii enim sumus, & majorem in modum formidamus, ne agricultura nobis sterilis evadat. Neque hoc dico, quòd verear ne in laboris hujus mercede capiam detrimentum; non enim eâdem conditione, quâ agricolæ, sunt verbi divini præceptores: siquidem agricolæ post annuos sudores & miseram illam laboriosamque vitam, si terra aliquandò pro operis in se impensis non respondeat, alius ejus damnum instaurare potest, sed pudibundus tristisque ab areâ domum ad uxorem & filios revertitur, &, quem longi laboris mercedem petat, habet neminem; in nobis autem nihil hujusmodi usuvenit, sed licet culta terra nullum afferat fruc-

tum, dummodò nos nullum subtraxerimus laborem, & ejus & noster Dominus vanâ nos spe dimissos non frustratur, sed remunerat; Unusquisque, inquit propriam mercedem accipiet secundùm proprium laborem, non secundùm rerum eventum. *S. Chrys. hom. 12 in cap. Joan. 1.*

Accipiant sustentationem necessitatis à populo, mercedem dispensationis à Domino, non enim est idoneus populus reddere mercedem illis, qui sibi in charitate Evangelii serviunt. S. *Aug. serm. 46 de Pastoribus in Ezechiel. cap. 34 tom. 5 edit. Bened. pag. 226.*

Esse autem selectum illud Leviticum genus & ab aliis exemptum hujusmodi quâdam ratione perspicuum facit: enumerari jussit populum, & gregariæ multitudinis accuratam fieri supputationem, non quòd eam ignoraret ille conditor; numeratas, namque ille habet stillas pluviæ, sed, ut, qui legerent Divinas Litteras, apertissimè intelligerent eos, qui Deo dicati sunt & populus ejus appellantur, in descriptionibus divinis recenseri, & in libro vitæ haberi, numerarique inter ipsius familiares & jam in memoriâ illius omnium domini conservari. Igitur, cùm populus describeretur, seorsùm quodammodò posuit Deus illud sacrum selectumque genus, neque in eodem cum aliis ordine haberi permisit, sed locum illi quodammodò præstantiorem reservavit, cùm Moysi dixit; Vide Tribum Levi, non simul recensebis numerum ipsorum, & non sumes in medio filiorum Israël. Egregia namque sors est Sanctorum eorumque dotes eximiæ, ac fortasse etiam in libris aliis descripti sunt; neque enim unummodò librum vidit B. Daniel, sed, ut ipse scribit, judicium sedit, & libri aperti sunt. Igitur pro uniuscujusque mensuræ ratione fit descriptio. *S. Cyril. Alex. de adorat. in spiritu & verit. lib. 13*

paulò post init. pag. 452 litt. D. tom. 1 edit. Paris. 1638.

Hic omnium fidelium Catholicorum honorantur ut capita... ibi Christi, qui est Sacerdotum omnium caput, clariora membra futuri sunt. *S. Prosp seu Julian. Pom. lib. 1 de vit. contemp. Sacerdot c. 13 pag. 56 col. 2 litt. F. Bibl. Lugd. tom. 8 dub.*

Ait illi: Euge, serve bone. In modico servus est fidelis, qui non adulterat verbum Dei, sed sicut ex Deo coram Deo in Christo loquitur. Quidquid enim in præsenti percipimus donorum, in comparatione futurorum perpaucum est & modicum, quia ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus; cum autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est. Civitates autem decem, sunt animæ per legis verbum ad gratiam Evangelii venientes, quibus tunc jure glorificandus ille præponitur, qui eis pecuniam verbi dignè Deo commodaverit; undè quidam negotiator egregius civitates, quibus præerat, hoc est, animas, quas regendas acceperat alloquens; Quæ est, ait, nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos antè Dominum Jesum. *Beda in Luc. c. 19.*

Magnus enim verè eorum locus in regno Dei, & bonum sibi; sed, qui benè ministraverint, gradum acquirent. *S. Bern. declam. cap. 11 pag. 289 litt. D. tom. 2 edit. Mabil.*

1 Tim. 5. 17. Qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni habentur, præcipuè eminentiæ singularis gloriam sempiternam. *Petr. Bles. serm. 60 ad Sacerdotes in Syn. qui est in v. 2 cap. 5 Oseæ, in fine.*

CAPUT VI.

Pauci Sacerdotes electi.

NON timerè dico, sed ut affectus sum ac sentio, non arbitror inter Sacerdotes multos esse, qui salvi fiant, sed multò plures, qui pereant; multas enim habet causas, quæ ipsum depellant à suis moribus, & innumeris oculis illi est opus undiquè. Non vides quàm multas res oportet adesse Episcopo, ut sit appositus ad docendum, ut tolerans malorum, ut tenax & fidelis sit in doctrinâ sermonis; quantæ hoc sit difficultatis; & quod alii peccant, hoc illi imputatur. *S. Chrysost. hom. 3 in Act. Apost. post med. pag. 404 litt. D. tom. 3 edit. Paris. 1581 apud Sebast. Nivel.*

Miror, si quem ex Rectoribus salvum fieri contingat. *Idem, hom. 34 in ep. ad Hebr.*

CAPUT VII.

Peccata Sacerdotum monstra.

ARTICULUS PRIMUS.

Quòd peccata Clericorum sint graviora peccatis laïcorum.

GRAVE est subditum peccare: gravius divino cultui consecratum: longè gravissimum eum, qui Pontificis dignitatem nactus sit.

S. Isidor. Pelusiot. lib. 3 ep. 15 Elisæo Monacho.

Quod veniale est plebi, criminale est Sacerdoti; quod erroneum est vi, peremptorium est Pastori. *Petr. Blesf. serm. in Ps. 2 v. 10 in fine, habetur inter 7 tubas, pag. 621.*

Vide plura parte 3 cap. 1.

ARTICULUS II.

Quàm gravia sunt peccata Clericorum.

SI Sacerdos, qui unctus est, peccaverit delinquere faciens populum &c. *Levit. 4 v. 3.*

Quicunque me glorificaverit, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. *1. Reg. 2. 30.*

Propter malignantium insolentiam altare suum Deus repellit, & sanctificationibus maledicit, odit sabbata, abominatur solemnia, odoramenta fœtent, displicent holocausta. In his omnibus laborare se dicit Deus, nec esse voluntatem suam in ministris impuris indignatione districtâ testatur. *Serm. de cœnâ Domini circà finem, inter op. S. Cypr.*

Sicut nihil Episcopo excellentius, nihil est miserabilius, si de sanctâ vitâ Episcopus periclitetur, si Sacerdos in crimine teneatur. *S. Ambros. de dignit. Sacerdot. cap. 2.*

Abjectio discipuli detrimentum est magistri. *Idem, lib. 1 Offic. cap. 41.*

Antè Prophetarum tempora ostendere volens Deus hominum peccata longè majori supplicio expiari, dùm à Sacerdotibus, quàm dùm à privatis fiunt, mandat in tantumdem pro Sacerdotibus, quantùm pro universo populo sacrificium offeratur. Quod quidem quid aliud signat quàm Sacerdotis vulnera majori medicamento

atque auxilio indigere, atque adeò tantò, quantò conjuncta simul universi populi vulnera indigent? Porrò majori nequaquàm indigerent, nisi ea graviora forent. Atqui graviora certè fiunt non naturâ ipsâ, sed Sacerdotis, qui eâ commiserit conditione ac dignitate. *S. Chrys. lib. 6 de Sacerdot. c.* 11.

Sufficit vel unum Episcopatûs rectè factum auctorem suum in cœlum attollere, unumque peccatum in ipsum injicere gehennæ profundum. *Idem, homil.* 1. *in ep. ad Tit. paulò post medium.*

Legislator Pontificis peccatum totius populi peccato pars esse dixit; tantùmque ab ipso sacrificium lege latâ exegit, quantùm, si plebs universa deliquisset, offerre præcepit. *S. Isidor. Pelusiot. lib. 3 ep. 15 Elisæo Monacho.*

O inimici Dei, & non Sacerdotes! ô licitatores malorum, & non Pontifices, traditores, & non Sanctorum Apostolorum successores; impugnatores, & non Christi ministri! *Gildas sapiens in ordine Ecclesiastico, circà finem, tom. 3 Bibliot. Patr. Latinorum, pag.* 407.

Nullum, puto, fratres charissimi, ab aliis majus præjudicium, quàm à Sacerdotibus tolerat Deus, quandò eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare se exempla pravitatis cernit, quandò ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus. *S. Greg. hom. 17 in Evangelium.*

Quomodò obscuratum est aurum, mutatus est color optimus. .... Aurum obscuratum est, quia Sacerdotum vita quondam per gloriam virtutum clara, nunc per actiones infimas ostenditur reproba. Color optimus est mutatus, quia ille sanctitatis habitus per terrena & abjecta opera ad ignominiam despectionis venit. *Idem, ibid.*

Flens dico, gemens denuntio, quia, cùm Sa-

cerdotalis Ordo intùs cecidit, foris quoque diù ſtare non poterit. *Idem, lib. 4 ep. 95 ad Vigil. Epiſcop. Arelat. antè medium, & 107 ad Epiſcopos Epiri.*

Quantò major eſt Presbyter Monacho in dignitatis Eccleſiaſticæ privilegio, tantò deterior eſt in peccato. *Petr. Dam. contrà Cleric. in temp. diſſertat. 2 c. 8.*

Monſtruoſa res gradus ſummus, & animus infimus, ſedes prima, & vita ima &c. *S. Bern. lib. 2 de conſid. c. 7.*

Inter ſæculares nugæ, nugæ ſunt, in ore Sacerdotis blaſphemiæ. *Idem, ibidem, cap. 13.* Multa de hac re diximus ſuprà part. 3 c. 1. art. 2. ſect. 2. parag. 3.

Væ illis, qui, cùm fuerint in capite, relabuntur in caudam; cùm ſint primi, fiunt noviſſimi; quorum aurum vertitur in ſcoriam; qui, cùm fuerint lapides Sanctuarii, diſperſi ſunt in capite omnium platearum. *Petr. Bleſ. ſerm. 4 in Synodo ſuper hæc verba*; Non vos me elegiſtis, *qui eſt lib. 7 Tub. pag. 625.*

Vilitatem & abjectionem hanc Sacerdotum lamentatur Propheta, conqueritur & deplorat, dicens; Filii Sion inclyti & amicti auro primo, quomodò reputati ſunt in vaſa teſtea & in opus figuli? *Idem, ſerm. 60 ad Sacerdotes in verſ. 1 cap. 5 Oſæe.*

Clamat præcipuè ad ſervos ſuos Eccleſiæque miniſtros, à quibus non mediocriter per Prophetam ſe offenſum eſſe conqueritur; Si inimicus meus maledixiſſet &c. Tu verò homo unanimis &c. B. *Laurent. Juſtinia. de comp. Chriſt. perf. n. 26.*

.... Homo pacis meæ, in quo ſperavi, qui edebat panes meos, ampliavit adversùm me ſupplantationem. *Idem, ibid. n. 27.*

In Clero tu nquam in Cœlo.... &c. quò progrederis miſer? An ut ab altiori gradu ſit caſus

gravior? Neque enim sic paulatim decides, sed tanquam fulgur in impetu vehementi, quasi alter satanas subitò dejecieris. *Idem, declam. ac de vitâ & moribus Cleric. cap. 9.*

ARTICULUS III.

Cur tam gravia sunt peccata Clericorum.

SECTIO PRIMA.

Quia scientes & volentes Clerici peccant.

SCIENTI legem, & non facienti peccatum est grande. S. *Ambr. de dignit. Sacerdot. tom. 5 c. 3 circà finem.*

Major scientia majoris pœnæ fit materia: propterea sacerdos eadem cum subditis peccata committens non eadem, sed acerbiora multò patietur. *S. Chrysost. homil. 27 sup. Matth. paulò antè finem.*

Neque licet imperitiam excusare, neque ad ignorantiam confugere, neque aut necessitatis aut violentiæ speciem obtendere. .... quandoquidem, qui delegatus est ut alienam..... emendet ignorantiam, tùm verò diabolicum instare bellum denuntiet, is profectò ignorantiam prætendere minimè poterit, neque vocem hanc usurpare; Tubam non audivi, bellum non prævidi; quippè in hoc sedet ille, & Ezechiel ait: Ut aliis signum tuba canens det, &, quæ futura sunt, incommoda prænuntiet; quo nomine supplicium nullâ excusatione depellere poterit, quamvis unius duntaxat animæ jactura acciderit; si enim, dùm Romphæa imminet, populo tuba signum non dederit, neque annuntiarit, inquit ille, speculator, ac gladius animam invaserit; ipsa quidem anima à suâ ipsius iniquitate capta fuerit, sanguinem autem ipsius *Ezech. 33.*

ex ſpeculatoris manu exquiram. *Idem, lib. 6 de Sacerdot. c. 1.*

SECTIO SECUNDA.

Quia majoribus gratiæ donis locupletantur.

Quò eſt gratia cumulatior & ſtatus ſublimior; eò caſus eſt gravior & damnabilior culpa. *B. Laurent. Juſtin. de compunct. & contempl. Chriſt. perfect. n. 27.*

Cum augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum. *S. Greg. hom. 9 in Evang. initio.*

An verò Salvatori animarum gravior ulla eſſe poterat perſecutio? &c. . . . Meritò & crudeliorem eam cenſet perſecutionem pro acceptis beneficiis, & graviorem ſentit pro poteſtate, quàm propriis ſuſtinet à miniſtris. *S. Bern. ſerm. 1. de Converſ. S. Pauli, num. 3.*

SECTIO TERTIA.

Quia in ſublimiori ſtatu collocantur.

Quantò præ cœteris altior eſt gradus, tantò, ſi per negligentiam delabatur, ruina gravior eſt. *S. Ambr. de dignit. Sacerdot. cap. 3.*

Ut levius eſt de plano corruere; ſic gravius eſt, qui de ſublimi ceciderit dignitate, quia ruina, quæ de alto eſt, graviori caſu colliditur... &c. Magna ſublimitas, magnam habere debet cautelam &c. *Idem, ibidem.*

Vulgarium hominum delicta velut in tenebris commiſſa authores ſuos ſolos perdunt, cœterum hominis illuſtris ac vulgò cogniti delictum commune omnibus damnum affert. . . . &c. Et parva eorum peccata aliis magna videntur; neque enim peccati magnitudine, ſed peccantis potiùs dignitate peccatum plerumquè omnes metiuntur. *S. Chryſoſt. de Sacerd. lib. 3 c. 11 initio.*

Grandis dignitas Sacerdotum, ſed grandis

ruina, si peccant. S. *Hieron. in Ezech. c. 44 tom. 4 circà finem.*

Altiùs mergitur, quod de alto cadit. *S. Aug. serm. 143 de Temp. c. 3 circà finem.*

Quantò honoribus alios antecellunt, tantò quoque ipsorum peccatum, etiamsi alioqui idem sit, gravius efficitur; quippè quod non ad naturæ, sed ad ejus, qui illud perpetravit, peccatoris dignitatem perpendatur. *S. Isidor. Pelusior. lib 3 ep 15 ad Elisæum Monach.*

Potentes potenter tormenta patientur. Quantò altius ascenderit homo lapsus, tantò altiùs cadet. Quid altiùs Cœlo? De Cœlo cadit, in cœlestibus! qui delinquit; desperatus incurrit, qui in ipsis dominantis oculis offendit; & excusatione caret, qui facinus ipso judice tetle committit: sic diabolus, cùm esset Angelus, & in Cœlo & coram Deo semper carissimus versatur, lapsus ad terram, ad tartara dejectus, in diabolum mutatus ex Angelo..... Dispensator ergo divini verbi, qui antè Dominum stat jugiter, versatur inter altaria semper, neque à Dei oculis recedit unquàm &c. Ex homine totus in Angelum substitutus, non potest in ipsâ Dei facie inter Sanctorum Sancta peccare, ut indè sibi sumat crimen, undè aliis veniam consueverat reportare. *S. Petr. Chrysol. serm. 26 de fideli dispensat. Ubi plura videnda.*

Reatu majore delinquit, qui potiori honore perfruitur; & graviora facit vitia peccatorum sublimitas peccantium. *Hilarius Papa, in Synodo Romana, & habetur 25 q. 1 c. Nulli fas.*

Perdimus vim tanti nominis vitio pravitatis; omninò nihil enim prodest nomen sanctum habere sine moribus, quia vita à professione discordans abrogat illustris tituli honorem per indignorum actuum vilitatem. *Salvian lib. 3 de vero judicio & providentiâ Dei, in fine.*

Hoc ipso magis per nomen sacratissimum rei, sumus, qui à sancto nomine discrepamus. *Idem, ibidem.*

Nam & ideò plus sub religionis titulo Deum lædimus, quia positi in religione peccamus. *Idem, ibidem.*

Tantò majus cognoscitur esse peccatum, quantò major, qui peccat, habetur; crescit enim delicti cumulus juxtà ordinem meritorum; & sæpè, quod minoribus ignoscitur, majoribus imputatur. *S. Isidor. Hispal. lib. 2 de summo bono, qui aliàs Sententiarum inscribitur, cap. 18 in fine.*

Et vobis dico, fratres mei, multùm exaltavit vos Deus.... Ego dixi, Dii estis, & filii excelsi omnes; verumtamen sicut homines *Ps. 81.* moriemini; & sicut unus de principibus cadetis. Ubi sapiens? Ubi scriba? Ubi conquisitor hujus sæculi? Nonne sicut homines morientur? Et *1. Cor.* nonne sicut unus de principibus cadent? Undè cadent, vel quò? de latere Domini in profundum inferni. *S. Bern. initio serm. ad Clerum in Conc. Rhem. qui habetur inter oper. S. Bern.*

Quantò gradus eorum altior, tantò gravior casus. *Petr. Blesens. serm. 9 in Synodo, sup. vers. 13 Psalm. 48 qui est in 7 Tubis, pag. 644.*

Si tantus lapsus à gradu infimo, quantus à supremo. *Idem, ibid. initio sermonis.*

Quantò dignior est eminentia Sacerdotum, tantò gravior est lapsus & periculosior ruina ipsorum. *Idem, serm. 59 ad Sacerdot. in vers. 1. cap. 5 Oseæ, initio.*

Sanè, quantò gradus altior, tantò casus gravior; nam, cui plus committitur, plus ab eo exigitur. *Innoc. III. serm. 1 in consecrat. Pontif. Max. initio.*

Si homo in regimine positus suam transgrediatur professionem.... notorium infert Eccle-

siæ scandalum, honorandæ derogat dignitati, cœterorum Præsulum denigrat famam, adimit authoritatem regimini, vilem reddit cathedram sanctitatis. B Laurent. *Justinian. de regim. Prælat. cap. 20 n. 1.*

Neque enim peccati magnitudine, sed peccantis potiùs dignitate peccatum omnes metiuntur. *Idem, ibidem, n. 30.*

Homo Christianus fortiter cadit in peccato propter duas causas, aut propter magnitudinem peccati, aut propter altitudinem dignitatis, ut putà, si sit Clericus.... Propter magnitudinem autem peccati, ut putà, si quis homicidium fecerit, aut adulterium, aut aliquid aliud ex gravibus peccatis, etsi de humili loco cadit, id est, etsi laïcus sit aut sæcularis, fortiter perit propter pondus peccati; de alto verò cadit Clericus.... propter altitudinem dignitatis... etsi enim pondus peccati non habeat, id est, etsi grande peccatum non fecerit, sed leve, tamen fortiter perit.... propter altitudinem dignitatis. *Hom. 40 op. imperf. in Matth. circà finem, inter op. S. Chrysost.*

SECTIO QUARTA.

Quia peccata Clericorum populo maximum afferunt detrimentum.

Cùm per abrupta graditur Pastor, ad præcipitia sequitur ovis; ideò Clericos lucem mundi & sal populi, ne fumo excœcent fideles, & ne ipsis infatuatis non sit, in quo condiatur populus, satis fusè commonuit Ecclesia. *Conc. Narbon. à sanctâ Sede confirm. anno. 1609 sub Paulo V. tit. de vit. & hon. Cleric. & Aquisgr. an. 806 Can. 27.*

Sicut validioribus morbis capite vitiato reliquum necesse est corpus inundatione superioris morbi lethaliter irrigari; ità & ii, qui

caput videntur esse Ecclesiæ, morbo pestifero fraternum vitiant corpus, ut nihil ex totius corporis compage insauciatum possit evadere, quod negligentium Sacerdotum vitiositatis mortale infecerit virus. *S. Ambros. lib. de dignitat. Sacerdot cap. 5 paulò post initium.*

Quid sæcularis factura est multitudo, cùm voluptatibus illicitis & actionibus vetitis ad similem facinorum voraginem Episcopus multitudinem populi provocaverit, ut nulli jàm jamque illicitum esse videatur quod ab Episcopo quasi licitum perpetratur. *idem, ibidem, cap. 6 in fine.*

Ipsum magis credunt homines esse laudabile, quidquid Episcopus habuerit delectabile, nec quisquam, quod agere Pontifex non dubitat, se indubitanter agere dicat *Idem, ibid.*

Cur te velut tetrum speculum universorum oculis demonstras, ità ut non possint obscuritate tuâ se comptiùs exornare. *Idem, ibid.*

Neque enim possunt Episcoporum vitia dissimulari, sed vel parva atque exigua confestim manifesta fiunt, quandò & athleta tantisper, dum domi se continet, ac cum nemine manus conserit, imbecillitatem infirmitatemque suam occultare aliis potest; ubi verò nudato corpore in arenam decertaturus descenderit, tunc facilè apparet quid ille possit. Eâdem ratione, qui privatam hanc & quietam vitam vivunt homines. *S. Chrys. l. 6 de Sacerd. c. 24 init.*

Vulgarium hominum delicta velut in tenebris commissa authores solos suos perdunt; cæterùm hominis illustris & vulgò cogniti delictum commune omnibus damnum affert.... cùm eos, qui ad virtutis capescendæ sudores remissi sunt, supiniores etiamnùm reddens; tùm eos, qui sibi ipsis attendere ac virtuti acquirendæ advigilare volunt, ad superbiam extimulans, *Idem, ibidem.*

Prætereà ignobilium delicta, si in medium prodierint, neminem insigniter vulnerant; at, qui in istius dignitatis fastigio positi sunt, primùm nemini non noti manifestique sunt, tùm verò, si vel tantillùm peccaverint, parva illorum peccata aliis magna videntur &c. *Idem, ibidem.*

Sicut in corpore, si aliquod infirmatum fuerit membrum, non omninò languet & stomachus; si autem stomachus languerit, omnia membra inveniuntur infirma; sic, si aliquis Christianorum peccaverit, non omninò peccant & Sacerdotes. Si autem & Sacerdotes fuerint in peccatis, totus populus convertitur ad peccandum; ideò unusquisque Christianorum pro suo peccato reddet rationem, Sacerdotes autem non solùm pro suis, sed & pro omnium peccatis reddituri sunt rationem; &, quemadmodùm, si videris arborem pallentibus foliis marcidam, intelligis quia aliquam culpam habet circà radicem; ità, cùm videris populum indisciplinatum & irreligiosum, sine dubio cognosce quia Sacerdotium ejus non est sanum. *Hom. 38 operis imperf. in Matth. tom. 2 operum S. Chrysost. initio.*

Cùm attenderit Clericum malum, quid sibi dicit? Dominus dixit; Quæ dicunt, facite; quæ faciunt, facere nolite. Laïcus, qui vult benè vivere, cùm attenderit Clericum malè vivere, malè vivit. *S. Augustin. de verbis Dom. serm. 49 c. 7.*

Vulnerato pastore, quis curandis ovibus adhibeat medicinam? Aut quomodò populum orationis clypeo tueatur, qui jaculis se hostilibus feriendum exponit? Aut qualem de se fructum productarus est, cujus gravi peste radix infecta est? Major ergo metuenda est locis illis fore calamitas, ubi tales interceſſores ad locum reginiinis adducuntur, qui Dei in se ma-

gis iracundiam provocant, quàm per semetipsos placare debuerant. S. *Greg. lib. 7 ep. 114 ad Theodoricum & Theodebertum, in medio.*

Cùm ipsi limpidissimam aquam biberitis, reliquam pedibus vestris turbatis; & oves meæ, quæ conculcatæ pedibus vestris fuerant, pascebantur; &, quæ pedes vestri turbaverant, hæc bibebant. (Ezech. 34.) Aquam quippè limpidissimam pastores bibunt, cùm fluenta veritatis rectè intelligentes hauriunt; sed eamdem aquam pedibus perturbare, est sanctæ meditationis studia malè vivendo corrumpere. Aquam scilicet eorum turbatam pedibus oves bibunt, cùm subjecti quique non sectantur verba, quæ audiunt; sed sola, quæ conspiciunt, opera pravitatis imitantur; qui, cùm dicta sitiunt, & per opera pervertuntur, quasi corruptis fontibus in potibus lutum sumunt. *Idem, pastoral. part. 1. c. 2. & habetur Can. 27 Conc. Aquisgran. I. an 816.*

Cùm pastor per abrupta graditur, fit ut grex ac præcipitium sequatur. *Idem, ibid.*

Necesse est ut cum labente pariter labatur; persuadent enim sibi subditi id eis inprimis licere, quod à suis Pastoribus fieri palam conspiciunt, & audentiùs idem pepetrant: ex quo Superiorum major longè redditur culpa. *Idem, ibid. p. 2. c. 3.*

Scire Prælati debent quia, si unquàm perversa perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. *Idem, ibid. part. 3 cap. 5 initio.*

Per prava, quæ faciunt, non soli moriuntur; sed aliarum animarum, quas pravis exemplis destruxerunt, rei sunt. *Idem, ibidem.*

Quis ei intercessor remanet, cùm ille se transgrediendo præcipitat, qui ad intercedendum pro aliis ordinatus est? *Idem, 1 Reg. lib. 2 c. 3.*

Ex noſtro peccato populi turba proſtrata eſt, quia faciente noſtrâ negligentiâ ad vitam erudita non eſt. *Idem, hom. 17. in Evangel. circà finem.*

Ecce legislator peccatum Sacerdotis peccatum ipſius populi appellavit, quia negligens ſenſibilis Sacerdos aut peccans ipſe aut non vindicans in peccatoribus illicit eos, qui rudes ſunt, ad ſimilia. *Iſichius in Levit. lib. 1. cap. 4 initio.*

Sicut acetum dentibus & fumus contrarius oculis eſt; ità Sacerdos in Eccleſiâ pravus per acredinem peccati fidelium ſenſus obtundere facit, atque erroris ignorantiâ oculos cordis eorum ab intuitu fidei ſeu intellectu rectitudinis, dùm caligant, velut fumus excœcat. *Beda, lib. 2. Commentar. ſup. cap. 10. Proverb. quæ habentur, tom. 8 oper. S. Hieron.*

Dolor capitis in membra redundat. Capita populi ſunt Sacerdotes. Omne caput languidum & omne cor mœrens. *S. Bern. ſerm. ad Paſtores in Synod. n. 13.*

Non parcunt ſuis, qui non parcunt ſibi perimentes pariter & pereuntes. *Idem, ſerm. 77 in cantica, n. 2 in fine.*

Verbum Domini eſt; Sacerdos meus, qui unctus eſt, ſi peccaverit, delinquere faciet populum meum. Super quem locum B. Gregorius dicit: Scire Sacerdotes debent quòd, ſi perverſa perpetrant, tot mortibus digni ſunt, quot ſubditos ad ſuæ perditionis exempla tranſmittunt. *Petr. Bleſenſ. ep. 123 ad Richard. Londonienſ. Epiſc. circà med.*

Non poteſt non peccare graviter, qui ad aliorum inſtitutionem deditus palàm offendit. *B. Laurent. Juſtin. de inſtit. & regim. Prælator. cap. 20 n. 1.*

SECTIO QUINTA.

Quia Ecclesiæ gravem præbent offensionem.

Vos recessistis de viâ, & scandalisatis plurimos in lege; irritum fecistis pactum Levi, dicit Dominus exercituum: propter quod & ego dedi vos contemptibiles & humiles omnibus populis, sicut non servastis vias meas & accepistis faciem in lege. *Malach. 2 v. 8 & 9.*

Si contraria gesseritis (id est, si non rectè sanctèque vixeritis) & homines perditis profectò, & Dei nomen blasphemiis offendi facietis. *S. Chrysost. homil. 15 in Matth. 5 post medium.*

Facti sunt domui Israël in offendiculum iniquitatis. *Ezechiel. 44 v. 12.*

Veteres scrutans historias invenire non possum scidisse Ecclesiam, & de domo Domini populos seduxisse præter eos, qui Sacerdotes à Deo positi fuerant & Prophetæ, id est, speculatores: isti ergo vertuntur in laqueum tortuosum in omnibus locis ponentes scandalum. *S. Hieron. lib. 2 Comment. ad caput Osee, antè medium, & habetur 24 q. 3 c. Transfer. 33.*

Clericus admonendus est, quatenùs sic vivat, ut exemplum vitæ sæcularibus præbeat, ne, si quid in illo justè reprehenditur, ex ejus vitio ipsa religionis nostræ æstimatio gravetur. *S. Greg. hom. 17 in Evang. in fine.*

Quanto mundus gladio feriatur aspicitis: quibus quotidiè percussionibus intereat populus videtis. Cujus hoc nisi nostro præcipuè peccato agitur? Ecce depopulatæ urbes, eversa castra, Ecclesiæ ac Monasteria destructa, in solitudinem agri reducti sunt. Sed nos pereunti populo authores mortis extitimus, cui esse debuimus duces ad vitam. *idem, ibidem.*

Nemo in Ecclesiâ nocet amplius, quàm qui

perversè agens nomen vel Ordinem sanctitatis habet ; deliquentem namque hunc nemo redarguere præsumit & in exemplum culpa vehementer extenditur, quandò pro reverentiâ Ordinis peccator honoratur. *idem*, *Pastoral*, *part. 1. c. 2. n. 4*

Perit reverentia, adimitur disciplina, quia, qui culpas debuit emendare, committit. *idem*, *lib. 7 regist. ep. 113 indictione 2 antè medium.*

Absque his eò deformior, quo illustrior pares. Nunquid potest abscondi civitatis suprà montem positæ desolatio, aut latere fumus lucernæ extinctæ super candelabrum ? Simia in tecto rex fatuus in solio sedens. *S. Bern. de consid. lib. 2 cap. 7.*

Serpit hodiè putrida tabes per omne corpus Ecclesiæ ; & quò latiùs, eò desperatiùs, eòque periculosiùs, quò inimicus quò interiùs ; nam, si insurgeret apertus hæreticus, mitteretur foràs & arceret : si violentus inimicus, absconderet se forsitan ab eo. Nunc verò quem ejiciet, aut quò absondet se ? Omnes amici, & omnes inimici ; omnes necessarii, & omnes adversarii ; omnes domestici, & nulli pacifici, omnes proximi, & omnes, quæ sua sunt, quærunt. *Idem*, *sup. cantic. serm. 33 in fine.*

Olim prædictum est, & nunc tempus impletionis advenit ; Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Amara priùs in nece Martyrum, amarior post in conflictu hæreticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum non fugare non fugere eos patet, & non est pax Pax à paganis, & pax ab hæreticis, sed non profectò à filiis. Vox plangentis in tempore isto ; Filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me, spreverunt & maculaverunt me à turpi vitâ, à turpi quæstu, à turpi commercio. *Idem*, *ibid.*

Filios exaltavi & enutrivi ; ipsi autem spre-

verunt me. Spreverunt & maculaverunt me à turpi vitâ, à turpi quæstu, à turpi commercio, à turpi negotio perambulante in tenebris. *Idem, ibidem, serm. ad Clerum 12. Conc. Rhem. habito, qui est inter op. S. Bern.*

Propter peccata nostra data est in conculcationem & opprobrium sancta Ecclesia Christi. *Petr. Bles. in serm. in versum 1 cap. 5 Oseæ, qui est 60 initio.*

Rubigine propter peccata nostra vilis est hodiè & obductus gladius Petri; ubiquè hodiè propter hæc impunè nomen Domini in vanum accipitur, sententia Petri contemnitur; hodiè impunè Phassur in Jeremiam, Malchus in Christum, Jason in oblationes sacras, Balthasar in vasa Domini manus extendit sacrilegas. *idem, ibidem*

Privato peccanti sæpè parcitur; sed, si Prælatus deliquerit, in ejus infamiam linguæ omnes acuuntur. *idem, ep. 15 ad Reginaldum, circà medium.*

Si homo in regimine positus suam transgrediatur professionem, aut delinquat, publicæ notorium infert Ecclesiæ scandalum, honorandæ derogat dignitati, cæterorum Præsulum denigrat famam, adimit autoritatem regimini, vilem reddit cathedram sanctitatis, præbetque exemplum delinquendi, iis, quibus formam virtutis exhibere debuerat. *B. Laurent. Justin. de institut. & regim. Prælat. c. 20 n. 1.*

SECTIO SEXTA.

Quia acerbiora merentur supplicia.

Ingressus Templum Dominus per semetipsum quasi flagellum de funiculis fecit, & de domo Dei pravos negotiatores ejiciens, cathedras vendentium columbas evertit; quia subditorum quidem culpas per Pastores percutit,

sed Pastorum vitia per semetipsum ferit. *S. Greg. hom. 17 in Evang. post medium.*

Quæ seminaverit homo, hæc & metet. Duplicia metet, qui occasionem aliis præbuerit delinquendi. *B. Laurent. Justin. de comp. Christ. perf. versùs finem.*

CAPUT VIII.

Sacerdotum difficilis & rara pœnitentia.

SECTIO PRIMA.

Emendatio Sacerdotum rara.

POPULARES quidem vel satiati actibus suis malis, aliquandò compuncti convertuntur ad Deum, & incipiunt operari justitiam; Sacerdotes autem impœnitibiles constituti nunquàm desinunt peccare in Deum. *Hom. 40 op. imperf. in Matth. inter op. S. Chrysost. longè post init. pag. 926 litt. C. tom. 2.*

Quis aliquandò vidit Clericum citò pœnitentiam agentem. *Ibid. in cap. 21 Matth. longè antè med. pag. 927 litt. D.*

Laïci delinquentes facilè emendantur; Clerici autem, si semel mali evaserint, inemendabiles fiunt. *Ibid. homil. 43 apud S. Bonav. lib. 1. Pharetræ, c. 22 antè finem.*

Si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultrà, nisi ut mittatur foràs, & conculcetur ab hominibus; alii enim, etsi sæpè delinquant, possunt tamen ad veniam pervenire; si verò hoc Magister ipse patiatur, omni excusatione privabitur, & supplicia extrema persolvet. S. *Chrisost. hom. 15 in Matth. circà med. pag. 125 litt. D. tom. 2 edit. Paris. 1581.*

Si pecces privatim, nihil tale passurus es, si

in Sacerdotio periisti. *Idem, hom. 3 in Act. post med. pag.* 405 *litt. C. edit. Paris.* 1681 *tom.* 3.

Monachus, si ceciderit, rogabit pro eo Sacerdos: pro Sacerdotis lapsu quis rogaturus est? *S. Hieron. ep. Heliodor.*

Si sal infatuatum fuerit, in quo salietur? Qui erunt homines, per quos à vobis error auferatur, cùm vos elegerit Deus, per quos errorem auferat cæterorum? *S. Aug. de serm. Domini in monte, lib. 1. c. 6 tom. tom. 4 pag. 332 col. 2 litt. C. edit. Doct. Lovan. Paris. 1651.*

Si incantator fuerit percussus à serpente, quis medebitur ei? Et, si Sacerdos peccaverit, quis orabit pro illo? *Innoc. III. serm. 1 in consecrat. Pontific. Max. circà init.*

SECTIO SECUNDA.

Cur Sacerdotum pœnitentia adeò rara.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Quia in Scripturis exercitati ad nullum Dominicæ comminationis tonitru expergiscuntur.

Sæcularis homo post peccatum facilè ad pœnitentiam venit; nam occupatus negligentiâ sæculari, dùm Scripturis non satis attendit, semper ei, quæ in Scripturis posita sunt, nova videntur, ideòque, cùm audit aliquid de gloriâ sanctorum aut de pœnâ peccatorum, quasi novum aliquid audiens expavescit, dùmque aut bona concupivit aut mala timet, compunctus ad pœnitentiam citò decurrit. Nihil autem impossibilius, quàm illum corrigere, qui omnia scit, & tamen contemnens bonum diligit malum; omnia enim, quæcunque sunt in Scripturis, propter quotidianam meditationem antè oculos ejus inveterata & vilia æstimantur; nam quidquid ibi terribile est, usu vilescit, propterea Clericus, qui semper meditatur Scripturas, aut omninò observaturus

servaturus est; & erit perfectus; aut, si semel cœperit illas contemnere, nunquàm excitatur in illis, ut timeat. *Oper. imperf. hom.* 40 *in cap.* 21 *Matth. longè antè med. pag.* 927 *litt. C. inter op. S. Chrys.*

Alto quippè demersi oblivionis somno, ad nullum Dominicæ comminationis tonitruum expergiscuntur, ut vel ipsorum suum periculum expaveścant. *S. Bern. serm.* 77 *in cantic. post init. n.* 2 *pag.* 1539 *litt. A. tom.* 1 *edit. Mabil.*

§. II.

Quia tenet eos superbia, adeò ut omne consilium respuant.

Sed & si deprehensus humiliaverit se, non ideò dolet quia peccavit, sed confunditur quia perdidit gloriam suam. *Hom.* 40 *oper. imperf. in Matth. longè antè med. pag.* 927 *litt. D. int. op. S. Chrys.*

Erubescit aliquandò reus videri, qui semper fuerat judex. *Hom.* 43. *oper. imperf. in Matth. post med. pag.* 957 *litt. B. tom.* 2 *edit. Paris.* 1581 *int. op. S. Chrys.*

§. III.

Quia deliciis diffluentes vitæ asperioris labores perhorrescunt.

Alienis laboribus locupletantur Clerici, comedunt fructum terræ absque pecumâ, & prodit quasi ex adipe iniquitas eorum.... &c.... Mens quippè assueta deliciis, nec exculta disciplinæ sarculo, multas contrahit sordes. Porrò inveteratam rubiginem si tentet abradere, nec summis saltem digitis contingi patientur, sed, sicut scriptum est, incrassatus est dilectus, & recalcitravit. *S. Bern. ep.* 132.

CAPUT IX.

Ruina populi, Sacerdotes mali.

SECUNDUM judicem populi, sic & ministri ejus, &, qualis Rector est civitatis, tales & habitantes in eâ. *Eccli.* 10. 2.

Rex insipiens perdet populum suum. *ibidem, vers.* 3.

Audite hoc Sacerdotes, quoniam laqueus facti estis speculationi, & rete expansum super Thabor, & victimas declinastis in profundum. *Oseæ.* 5. 1.

Propheta laqueus ruinæ factus est super omnes vias ejus. *Oseæ.* 9. 8.

Laqueus ruinæ populi mei, Sacerdotes mali. *Ezech.* 44.

Quandò vita Sacerdotum cum doctrinâ non concordat, & auditoribus infirmis scandalum, & animarum provenire periculum non est dubium. *Conc. Paris. VI. c.* 4 *sub fin. an* 824 *pag.* 1600 *lit. D. tom.* 7 *Conc. Labb.*

Sæpè accidisse legimus culpam Sacerdotum ruinam extitisse populi.... sicut apertè liquet, culpam Heli filiorumque ejus populi extitisse ruinam. *Concil. Aquisgran.* 2 *ann.* 836 *sub Greg IV. & Ludovico Pio, ad Pippin. Reg. lib.* 2 *cap.* 8.

Sicut homo ex animâ & corpore constituitur, ità regnum ex rege & subditis; & quemadmodùm, si homo manibus peccans tergo pœnas luat, non utiquè injustè in eum animadvertitur; ità non iniquè Deus facit, cùm principum delicta coërcet plectendo populum. *D. Justin. Martyr. in solut. quæst.* 138 *ad orthodoxos.*

Dicet fortasse quispiam quòd est tertium malum, quandò est malus Rector & Magistratus. Id quoque scio & non parvum malum, sed etiam longè prius defectu Rectoris & Magistratûs; melius est enim à nullo duci, quàm à malo; nam ille quidem sæpè evasit salvus, sæpè autem venit in periculum; hic autem omninò veniet in periculum, ne adducatur in barathrum. *S. Chrys. hom.* 34 *in epist. ad Hebr. circà init pag.* 1700 *littera. D. tom.* 4 *edit. Paris.* 1581 *apud Sebast. Nivelium.*

Quasi devorant populos, quibus suorum morum perversitatem persuadent. *S. Aug. in ps.* 13 *antè medium.*

Si cadit, qui sibi columna videbatur in templo, quantò magis populus peribit. *Serm* 38 *ad Fratres eremi. post med. pag.* 346 *litt. L. append. tom* 6 *edit. Bened. inter op. S. Aug.*

Mali illi Pastores non parcunt talibus, nempè ovibus crassis & sanis parum est quòd illas languentes & infirmas & errantes & perditas non curant; etiam istas fortes & pingues necat, quantùm in ipsis est, illæ vivunt de misericordiâ Dei; tamen, quantùm ad malos Pastores attinet, occidunt. Quomodo, inquis, occidunt? Malè vivendo, malum exemplum præbendo. *Sanct. Aug. serm.* 165 *de Tempore, de pastorib. c.* 4 *edit. Bened. serm.* 46 *c.* 4 *n* 9 *pag.* 229 *litt. A. tom.* 5 *Hoc idem habetur in Conc. Aquisgr. an.* 826 *c.* 12 *lib.* 1.

Urbis piaculum, Ecclesiæ labes, libertatis probrum, eorumque, qui cum ipso consuetudinem habent, pestis ac pernicies. *S. Isidor. Peluf. ep.* 229 *de Zozimo spectetenùs presbytero, lib.* 3 *epist.*

Quidquid boni non facit, aut mali committit (scilicet Pontifex) nec jubebit, nec vetabit; quia necessariam docendi auctoritatem contrarietate suæ actionis aut amittit, aut minuit.

Sanct. Prosp. vel Jul. Pom. lib 1 *vit. contemp. c.* 15 *in fine, tom.* 8 *pag.* 57 *colum.* 1 *Bibliot. Lugd.*

Causa sunt ruinæ populi Sacerdotes mali; quis enim se pro populi peccatis intercessor objiciat, si Sacerdos, qui exorare debuerat graviora committit? *Sanct. Greg. regist. lib.* 9 *ep.* 64 *indict.* 4 *apud S. Bonav. lib.* 1 *Pharetræ, cap.* 21.

Undè fit ut, cùm Pastor per abrupta graditur, ad præcipitium grex sequatur. *Idem, pastor. part.* 1 *cap.* 2 *init. pag.* 1056 *litt.* B. *tom.* 1 *edit.* 1675.

Nemo quippè in Ecclesiâ ampliùs nocet, quàm qui perversè agens nomen vel ordinis sanctitatem habet. *Idem, ibid.*

Languente capite incassùm membra vigent, & in exploratione hostium frustrà exercitus velociter sequitur, si ab ipso duce itineris erratur. *idem, ibid. part.* 2 *c.* 7 *paulo post init. pag.* 1072 *litt.* B.

Per prava, quæ faciunt (Prælati,) non soli moriuntur, sed aliarum animarum, quas pravis exemplis destruxerunt, rei sunt. *Idem, ibid. part.* 3 *admonit.* 5.

Nullum, puto, fratres charissimi, ab aliis majus præjudicium quàm à Sacerdotibus tolerat Deus, quandò eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit. *Idem, hom.* 17 *in Evang. post med. edit. Paris.* 1675 *tom.* 1 *pag.* 1398 *litt. D.*

Nulla subditorum mentes exhortatio sublevat eorumque culpas increpatio nulla castigat; quia, dùm per animarum præsulem terreni exercetur officium judicis, à gregis custodiâ vacat cura Pastoris, & subjecti veritatis lumen apprehendere nequeunt, quia, dùm Pastoris sensus terrena studia occupant, vento tentationis impulsus Ecclesiæ oculos pulvis cœcat. *idem, ibid.*

Sicut boni Sacerdotes Deo fidelium oblationes & vota commendant; ità plerumquè, qui sacris altaribus indigni sunt, horribiliter gravant. *Petr. Dam. contrà Clericos intemp. dissertat. 2 in fine.*

Sacerdos, qui legem Dei nesciendo delinquit, suis etiam populum in peccatis involvit; & quos ductus relevare poterat, secum simul per imperitiam gravat. *idem, opusc. 26 contrà insciticm incuriom. Cleric. cap. 4 circà finem.*

Qui est, quæso, ô damnabiles homines carnales, quod tantò ambitionis ardore Ecclesiasticæ dignitatis culmen appetitis? Quid quod tantò desiderio vestræ perditionis nexibus Dei populum illaqueare tentatis? Non vobis sufficit, quia vosmetipsos in alta facinorum præcipitia mergitis, nisi ruinæ vestræ periculo & alios involvatis. *idem, opusc. 7 cap. 19.*

Non parcunt suis, qui non parcunt sibi, perimentes pariter & pereuntes. *S. Bern. serm. 77 in cantic. paulò post init. n. 2 pag. 1539 litt. A. tom. 1 edit. Mabil.*

Conjurasse videtur contrà te (Deus) universitas populi Christiani. . . . egressa est iniquitas à Senioribus judicibus vicariis tuis &c *idem, serm. 1 in Convers. S. Pauli, antè med. pag. 656 litt. B. tom. 1 edit. Mabil.*

Egressa est iniquitas à Senioribus judicibus Vicariis tuis, qui videntur regere populum tuum. Non est jam dicere, Ut populus, sic Sacerdos. Heu! heu! Domine Deus, quia ipsi sunt in persecutione tuâ primi, qui videntur in Ecclesiâ tuâ primatum diligere, gerere principatum! Arcem Sion occupaverunt, apprehenderunt munitiones, & universam deinceps liberè & potestativè tradunt incendio civitatem! Misera eorum conversatio, plebis tuæ miserabilis subversio est! *Idem, ibid.*

Pauci planè operarii, & admodum rari in-

confusibiles, qui aspicientes in authorem fidei & consummatorem Jesum, quos instruunt verbo sanctæ prædicationis, non destruunt exemplo pravæ operationis, efficaciùs opere quàm verbo prædicantes. *idem, ad pastores in synodo, n. 3 tom. 2 edit. Mabil. pag. 740 litt. C.*

Multi sunt Catholici prædicando, qui hæretici sunt operando. Quod hæretici faciebant per prava dogmata, hoc faciunt plures hodiè per mala exempla.... & tantò graviores sunt hæreticis, quantò prævalent opera verbis. *idem, ibid. pag. 742.*

Inferiorum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quàm ad desides negligentesque Rectores. *Eugenius III. Papa in Conc. Rhem. apud S. Bern. lib. 3 de consid. c. 434 litt. C. tom. 1. edit. Mabil.*

Sicut per senem vitiosum & fatuum, ità per adolescentem inverecundum & temeriarium religio sancta destruitur; post indoctos namque Prælatos malosque in sanctâ Ecclesiâ nulla pestis ad nocendum infirmis valentior invenitur. *De ordine vitæ, c. 1 n. 1 tom. 2 edit. Mabil. pag. 374 litt. E. inter. op. S. Bern.*

Ruina populi Sacerdos nequam *ibid.*

Propter negligentiam Sacerdotum hodiè hæreses pullulaverunt innumeræ & pernicioſæ, atque damnabiliter sentiunt hodiè quidam de Sacramento Altaris. *Petr. Bles. serm 60 in vers. 1 cap. 5 Osæe, paulò antè fin. pag. 374 col. 2 edit. Paris. 1672.*

Si quis constitutus esset primipilarius & dux belli, quid deberet fieri de ipso, si populum sibi commissum traderet in manus inimici? Populum Dei, quem pretioso sanguine Christus de diaboli potestate redemerat, vos evacuantes beneficium Passionis Christi, iterùm in potestatem diaboli rejecistis. *Idem, serm. 60 in v.*

1 *cap.* 5 *Oſæe , circa finem , pag.* 375 *col.* 1 *edit. Pariſ.* 1672.

Sacerdotum converſatio eſt populi ſubverſio. *Idem , ſerm.* 61 *ad ſacerdotes in ſynodo , poſt init. pag.* 775 *col.* 2.

Sacerdos, qui unctus eſt , ſi deliquerit , delinquere facit populum ſuum. *idem , ex Levitic* 4. 3.

Vos Eccleſiam Dei contemnitis & adulteratis , ut jàm non confidat in eâ cor viri ſui ; ideòque repulit Dominus Altare ſuum & hæreditatem ſprevit , & , cùm de tribulatione & anguſtiâ clamaretur , avertit aurem ſuam , & non aſpicit in faciem teſtamenti ſui. *idem , ibidem.*

Eccleſ. 4. dicitur : Pro juſtitiâ agonizare pro animâ tuâ , & uſque ad mortem certa pro juſtitiâ. Hoc dicitur maximè Sacerdoti habenti curam animarum , qui eſt contrà diabolum in campo certaminis ; undè , ſi devincitur , omnes alii dimittunt cauſam ſuam. *Hugo Cardin. in* 2 *ad Timot. c.* 2 *antè medium.*

CAPUT X.

Salus populorum , Sacerdotes boni.

SALUS gregis eſt integritas Paſtoris. *Concil. Burdigal. ann.* 1483. *De examine promovendorum , cap.* 22 *in inſtit. pag.* 970. *litt. D. tom.* 15 *Conc. Labb.*

Capite ſano omnes ſenſus vigent. *S. Hier. ep. ad Paulin. de inſtitut. Monachi , ſub fin. tom.* 1 *pag.* 108 *col.* 1 *litt. C. edit. Pariſ.* 1643.

Bonus ſi fuerit , qui tibi præeſt , nutritor tibi eſt : malus ſi fuerit , tentator tuus eſt. S. *Aug. de verbis Domini , ſerm.* 6 *c.* 7 *tom.* 10 *edit. Doctor. Lovan. pag.* 10 *col.* 1 *litt. A.*

Si (Sacerdotes) mores suos correxerint, spes est plebem quoque secuturam esse. *S. Isidor. Peluf. lib.* 3 *epist.* 326.

Per tales (Sacerdotes sanctos) Deus placatur populo, populus instruitur Deo. *S. Prosp. seu Jul. Pom. de vitâ contempl. sacerdot. lib.* 1 *c. ult. circà medium. pag.* 60 *col.* 1 *litt. A. tom.* 8. *Bibl. Lugd.*

Integritas præsidentium salus est subditorum. *S. Leo. ep.* 87 *ad Episcopos Africanos per Mauritaniam Cæsarienſem Constitutos, cap.* 1 *circà initium.*

CAPUT XI.

ARTICULUS PRIMUS.

Sic activæ vitæ labores subeat Clericus, ut contemplativæ vitæ non prætereat otiosa negotia.

OMNINO quicunque ex Ægypto excidere & Pharaonem effugere conamur, Mose aliquo ductore, qui nos inter ac Deum sequestor, sit, indigemus, qui medius inter studia actionis & contemplationis prestans manus ad Deum expandat &c. *S. Joan. Climac. grad.* 1. *antè med.*

Admonendi sunt (Prælati) ut sic aliorum curas expleant, quatenùs & suas agere non desistant; & sic in propriâ sollicitudine ferveant, ut à commissorum custodiâ minimè torpescant. *S. Greg. pastor. pag.* 3 *c.* 1 *admonitione* 5 *antè med. pag.* 1083 *litt. B. tom.* 1 *edit. Paris.* 1675.

Quid enim prodeſt, ſi amantes noſmetipſos relinquamus proximos? Vel quid rursùs prodeſt, ſi amantes vel zelantes proximos relinquamus noſmetipſos? *Idem, homil. 17 in Evang. poſt med. p. 1397 litt. B.*

Sic debemus agere curam noſtri, ut non negligamus curam proximi; ut quiſquis ad nos jungitur, ex linguæ noſtræ ſale condiatur. *idem, ibidem, ſub fin. p. 1400 litt. C.*

Quiſquis ergo jàm in ſe contumelias carnis edomuit, ſupereſt ut mentem per ſtudia ſanctæ operationis exerceat; & quiſquis jàm mentem per ſancta opera dilatat, ſupereſt ut hanc uſque ad ſecreta intimæ contemplationis ſtudia extendat; neque enim perfectus prædicator eſt, qui vel propter contemplationis ſtudium operanda negligit, vel propter operationis inſtantiam contemplanda poſtponit. *Idem, Moral. lib. 6 c. 17 circà init. pag. 187 litt. C. edit. Pariſ. 1675.*

Sit ergo Paſtor.... internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, externorum providentiam in internorum ſollicitudine non relinquens. *Stimul. paſtor. poſt init. paſtoral. S. Greg. p. 2 c. 7 init.*

Cùm alii de pectore ſuo quaſi de fonte hauriant, ut priùs bibe de fonte putei tui; ſic deriventur fontes tui foràs, ut tui tamen immemor non exiſtas; maledictus, qui facit partem ſuam deteriorem; qui autem ſibi nequam eſt, cui bonus erit? In animæ negotio, & in acquirendâ hæreditate cœleſti, nemo tibi germanior ſit teipſo. *Petr. Bleſ. de inſtitut. Epiſc. longè poſt init. 448 col. 2 in fin. edit. Pariſ. 1672.*

Pro ſalute proximorum propriam non debent negligere; ſed neque ſic ſuæ intendere, ut proximis prodeſſe deficiant. B. *Laurent. Juſtinian. de inſtitut. & regimine Prælat. cap. 19. num. 6.*

Parùm proficit sibi, quamvis alteri intendat, qui erga se minùs sollicitus est. *Idem, de compunct. & compl. Christian. perfect. part. 2 num 6.*

Nullus plus de aliis quàm de se debet esse sollicitus. *idem, ibid.*

Si offeras Deo omnes sæculi divitias, omneque genus humanum convertas ad fidem, & tu ipse illi displiceas, nihil obtulisti. *idem, ibid. num. 7.*

ARTICULUS II.

Cur vitæ activæ labores subire debeat, non deserens contemplativæ otiosa negotia.

SECTIO PRIMA.

Quia primùm saluti animæ consulere debet.

BIBE aquam de cisternâ tuâ, & fluenta putei tui: deriventur fontes tui foràs, & in plateis aquas tuas divide. *Prov. 5. 15.*

Si sapiens fueris, tibimetipsi eris. *Prov. 9. 12.*

Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro animâ suâ? *Matth. 16 26.*

Alios docere aggredi, priusquàm ipsi satis edocti simus &... in aliorum animabus pietatem meditari & exercere, valdè stultorum aut temerariorum hominum esse videtur. *S. Gregor. Naz. orat. 1. n. 80.*

Purgari priùs, deindè purgare: sapientiâ instrui, atque ità demùm alios sapientiâ instruere; lux fieri, & alios illuminare; ad Deum appropinquare, & ità alios adducere; sanctificari, & posteà sanctificare. *idem, ibidem, num. 122.*

Sacerdos, ut sapiens medicus & perfectus,

primùm sua pecata diluere sciat, & posteà aliena detergere & sanare, & non publicare. S. *Aug. Refertur Decreti 2 part. causâ 3 quæst. 7 c. 7 Sacerdos.*

Quis extruendi, nisi cùm fundamenta jeceris, locus est? Superædificare cæteras utilitates destinanti salus fundamentum est. *S. Eucher. ad Valerianum cognatum suum, epist. parænet. paulò post init. pag. 858 col. 1 litt. B. tom. 6 Bibliot. PP. Lugd.*

Quomodò quispiam sequentia addat, si nec prima possederit; undè succedentium augebitur incrementis, si anteriorum deficiatur exordiis &c. Quid prodest, si adjiciat cibis, non habens undè consulendum est animæ... ubi salutis damnum est, illic utiquè jàm lucrum nullum est. *idem, ibid. litt. C.*

Nonnunquàm ego....cùm sederem ad pedes Jesu....audivi dicentes; Ut quid perditio hæc? causantes videlicet quòd soli viverem mihi, qui, ut putabant, multis prodesse possem, & dicebant; Potuit enim venundari multò, & dari pauperibus. Sed non bonum mercatum mihi est, etiamsi universum mundum lucrer, meipsum perdere. *S. Bern. serm. 12 in cant. n. 8 pag. 1300 litt. C. Edit. Mabil.*

Si sapis, (Sacerdos) concham te exhibebis, & non canalem; hic siquidem penè simul & recipit & refundit; illa verò, donec impleatur, expectat, & sic, quod superabundat, sine suo damno communicat sciens maledictum, qui partem suam facit deteriorem. Et, ne meum consilium contemptibile ducas, audi sapientiores me; Stultus, ait Salomon, profert totum spiritum suum simul, sapiens reservat in posterum. Verùm canales hodiè in Ecclesiâ multos habemus, conchas verò perpaucas: tantæ charitatis sunt, per quos nobis cœlestia fluenta emanant, ut antè effundere, quàm infundi, velint;

loqui, quàm audire, paratiores; & prompti docere, quod non didicerunt, & aliis præesse gestientes, qui seipsos regère nesciunt &c. *Idem, serm. 18 in cantic. paulo post init. pag.* 1321 *litt. A & B. tom.* 1 *edit. Mabil.*

A te tua consideratio inchoet, ne fruſtrà extendaris in alia te neglecto. Quid tibi prodest, si universum mundum lucreris, te unum perdens? Etsi sapiens sis, deest tibi ad sapientiam, si tibi non fueris &c. *idem, lib. 2 de consider. cap.* 3 *p.* 417 *litt. F. t.* 1 *edit. Mabil.*

Rectus ordo requirit ut priùs propriam, deindè alienas curare debeas conscientias; primus quippè pietatis gradus est, de quò scriptum est, Miserere animæ tuæ placens Deo. Ex hoc autem ad miserandum proximum recto jàm tramite charitas ordinata procedit, quippè quem ad sui quisque mensuram amare præcipitur. Quòd si in hunc modùm, quo te hactenùs amasti, & tibi committendos amaturus es, malo ego quidem tibi non committi, quàm sic diligi; si autem priùs te diligere didicisses, & me forsitan scires amare. *idem, ep. 8 ad Brunon. Colon. Elect., antè medium, p. 26 litt. C. t.* 1.

Eccl. 30 *24.*

Multi salutem fratrum saluti propriæ anteponunt: ego cum istis non sentio; nemo enim me mihi germanior est: pro fratribus meis libenter corpus meum expono periculis, sed non animam, nisi nomine animæ voces vitam. *Petr. Ples. ep. 102 ad H. Radingens. Abbat. longè post med pag. 163 col.* 2.

Priùs ergo custodi teipsum, ut securiùs procures custodiam aliorum. *idem, ep. 132 antè med pag. 202 col.* 2.

Si vis alios regere & docere, priùs teipsum regas & doceas. Cœpit Jesus facere & docere, priùs fac, & posteà doce. *idem, ep. 157 ad Vicarium suum, post. med. pag. 243 col.* 1 *edit. Paris. 1672.*

Sacerdotum Clericorumque maxima pars dedita jacet voluptatibus, & bestiarum more quasi degentium ; parùm ab illâ sæcularium illorum conversatio distat ; Incedunt quotidiè per plateas ; hinc indè discurrunt ; theatris & spectaculis interfunt ; choreis dimissâ omni gravitate se immiscent ; pudorem rejiciunt ; turpiloquiis vacant & nugis ; habitu pompatico vestiuntur ; crinibus crispantibus comam contrà Apostolicum præceptum & sanctiones Patrum nutriunt. Quâ fronte, oro, redarguere tales possint delicta populorum ? Quomodò errantem ad semitas justitiæ revocare sufficiunt ? Negligentes salutem propriam, qualiter super aliorum salute vigilabunt ? Alteri vix bonus esse valet, qui sibi nequam est. Corrigat sua, qui proximorum cupit errata corrigere ? *B. Laurent. Justinian. de compunct. & perfect. Christian. part. 1 n. 14.*

Discat Christianus priùs diligere se, ut proximum irreprehensibiliter valeat diligere sicut se nam supervacuè laborabit in altero, qui suimet curam negligit. *idem, ibidem, part. 2 num. 6.*

A teipso inchoa ; ex te experire, quid in aliis debeas. *idem, ibidem. n. 7.*

Te si spiritualiter excolueris, & alios etiam juvare valebis. *idem, ibid.*

SECTIO SECUNDA.

Quia non sibi tantùm, sed & aliis vivere tenetur.

Habemus duo quædam ; unum, quòd Christiani sumus ; alterum, quòd Præpositi sumus : illud, quòd Christiani sumus, propter nos est ; in eo, quòd Christiani sumus, attenditur utilitas nostra ; in eo, quòd Præpositi sumus, non nisi vestra. *S. Aug. ad pastores, tom 10 apud Conc. Aquisgran. ann. 816 pag. 1325 litt. C. tom. 7 Conc. Labb.*

Illud perpetuò reputent (Sacerdotes) se non sibi solis vivere. *Conc. Tolosan. an. 1590 tit. de presbyteris & Clericis, init. pag. 1397 tom. 15 Conc. Labb*

Sacerdotem perspicacem esse oportet, atque innumeros quoquoversùs oculos circumferre, quippè qui non sibi uni tantùm, sed & tantò vivat populo. *S. Chrys. lib. 3 de sacerdot. c. 12 pag. 41 litt. D. tom. 4 edit. Paris. 1621 authore Frontone Duc.*

Si districtè judicentur, ex tantis procul dubio rei sunt, quantis venientes ad publicum prodesse potuerunt. *S. Greg. pastor. part. 1 c 1 in fin.*

Exi in agrum domini tui: exi, inquam, in mundum; ager est enim mundus &c. In hunc quondam agrum Isaac exierat ad meditandum, tu ad extirpandum egrediaris necesse est. Tibi jàm præcessisse meditatio debet, tempus faciendi præ manibus si nunc hæsitare incipias id quidem serò antè, juxtà consilium salvatoris, sedisse debueras &c. *S. Bern. lib. 2 de consider. cap. 6*

Fidelis Pontifex, qui. . . non populi requirit datum, sed lucrum. *Idem, ep. 42 ad Henric. Senon. c. 3 post med. pag. 465 litt. L. tom. 1 edit. Mabil.*

Qui acceptum talentum non ligat in sudario, sed partitur numulariis, à quibus & usuras. . . . recipit non sibi, sed Domino. *idem, ibidem. litt. F.*

Oblivioni datus sum tanquam mortuus à corde, id est, à propriâ voluntate. Bona oblivio, si teipsum nescias, ut proximo prosis Benè autem mortuus à corde, si jàm non tibi vivere studeas sed ei, qui pro te mortuus est. *idem, ibid. pag. 466 litt. A.*

Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur, id est pro ipsorum utilitate. *S. Thom. Comment. in c. 5 ad Hebr. litt. I. circà init.*

CAPUT XII.

Ordines sacros & Ecclesiasticas dignitates formidet Clericus, nedum ambiat.

ARTICULUS PRIMUS.

Quanta curâ fugiendæ dignitates.

SACERDOTIS animum honoris illius desiderio undiquè vacare oportet. *S. Chrys. lib. 3 de sacerdot. antè med pag. 445 litt. D. tom. 5 edit. Paris. 1581 & edit. Paris. 1621 autore Frontone Duc. c. 10 pag 39 litt. C. tom. 4.*

Exitialis morbus Episcopatum appetere. *S. Isidor. Pelus. lib. 3 ep. 216 Palladio Diacono, antè med.*

Ego Episcopatûs opus mirificè laudo; divinum est enim, ipsius autem amorem minimè laudo, periculosus enim est *idem, ibidem. post medium.*

Ne probatissimos quidem viros hunc amorem in animo alere, verùm pro viribus expellere oportet. *idem, ibidem.*

Ad majora aspirare & præstantiora quærere, quàm à Deo datum tributumque sit, pœnam ac perniciem affert. *S. Cyril. Alex. de adorat. in spiritu & veritate, lib. 13 de sacerdot. loquens de Core, Dathan & Abiron, pag. 461 litt. A. tom. 1 edit. 1638.*

Qui vacat, hæc incautè non expetat (Pastoralis curæ pondera) & qui incautè expetiit,

adeptum se esse pertimescat. *S. Greg. in prologo pastor.*

Appetitum timor temperat. *Idem, ibidem.*

Non volentes neque currentes assumito, sed cunctantes, sed renuentes; etiam coge illos & compelle intrare. *S. Bern. lib. 4 de consider. c. 4 n. 12 circà med. pag. 439 litt. F. edit. Mabil. tom. 1.*

Reverendo vertici Christi manum impositurus Baptista contremuit. Princeps Apostolorum miraculosâ piscium captione perterritus, Recede, inquit, à me, Domine, quia homo peccator sum: seque introitu Christi Centurio putabat indignum. Quâ igitur fiduciâ meritorum, quâ mentis audaciâ contrectare præsumam vitam animarum, pretium mundi, Angelorum panem? Ubi quantò dignior & eminentior est hujus ministerii gradus, tantò gravius imminet ex ipsius dignitate discrimen. *Petr. Blesc. ep. 139 circà init. pag. 215 col. 1 edit. Paris. 1672.*

Cum magno timore ad tantùm gradum (Sacerdotii) ascendendum est. *Pontific. Rom. in Ordine presbyt. Episc. alloquens ordinandos in presbyt.*

ARTICULUS II.

Cur tantâ curâ fugiendæ.

SECTIO PRIMA.

Ob exemplum Christi & Sanctorum.

EPISCOPATUM ipsum nec postulavit, nec voluit, nec, ut cæteri, quos arrogantiæ & superbiæ suæ tumor inflat, invasit; sed quietus & modestus, & quales esse consueverunt, qui ad hunc locum divinitùs eliguntur, & pro pudore virginalis conscientiæ suæ, & pro humilitate

ingenitæ sibi & custoditæ verecundiæ ; non , ut quidam , vim facit , ut Episcopus fieret , sed ipse vim passus est , ut Episcopatum coactus exciperet. *S. Cyprian. ep. 52 ad Ant. de Cornelio loquens , longè antè med. pag. 97 col. 1. edit. Pamelii.*

Ab eo ipso die , quo tutè mihi Episcopatûs suspicionem injecisti , factum est identidem , ut corpus hoc ab animâ propemodùm dissolveretur ; tam ingens pavor , tam ingens mœstitia animum meum occupavit. S. *Chrys. lib. 6 de sacerdot. post med. pag. 488 litt. C. edit Paris.* 1581. *tom.* 5.

Querebatur (Nepotianus) se ferre non posse, & juvenilem ætatem incongruam Sacerdotio causabatur. sed quantò magis repugnabat , tantò magis in se studia omnium concitabat & merebatur negando , quod esse nolebat , eòque dignior erat , quò se clamabat indignum. *S. Hier. ep. 3 ad Heliodor. de morte Nepotian. antè med. p. 22 col. 1. litt. C. t. 1 edit Paris. 1643.*

Tam multi , ut Episcopatum suscipiant , tenentur inviti , perducuntur , includuntur , custodiuntur. *S. August. ad Donat. presbyt. ep. 204 & nunc 173 edit. Bened. tom. 2 pag. 613 litt. B.*

Usque adeò timebam Episcopatum , ut , quoniam cœperat esse jàm alicujus momenti inter Dei servos fama mea , in quo loco sciebam non esse Episcopum , non illò accederem. Cavebam hoc, & agebam , quantùm poteram , ut in loco humili salvarer , ne in alto periclitarer. *Idem , serm. 49 de diversis , qui est , primus de communi vitâ cleric. cap.* 1 *& nunc* 355 *edit. Bened. tom.* 5 *pag.* 1380 *litt. L.*

Vis mihi facta est merito peccatorum meorum. *Idem , ad Valerium , ep.* 148 *& nunc* 21 *n.* 1 *pag.* 25 *litt. D tom.* 2 *edit. Bened.*

Hinc erant lacrymæ illæ , quas me fundere in civitate Ordinationis meæ nonnulli fratres

animadverterunt. *Idem*, *ibidem*, *num.* 2 *litt. F.*

Ad hoc negotium mihi parvum tempus vel usque ad Pascha impetrare volui. *Idem*, *ibid n.* 4 *pag* 26 *litt. D.*

Repentinâ vi multitudinis.... Presbyteratu initiatus sum : fateor.... invitus, qui ab æditui nomine & officio optavi sacram incipere servitutem. S. *Paulinus*, *ep. ad Sever.* 6 *sub fin. pag.* 183 *col.* 1 *litt. C. tom.* 6 *Biblioth. Lugdun.*

Domino placuit in vase fictili ponere thesaurum sanctum, qui me vocavit per gratiam suam suscitans de terrâ inopem, & de stercore erigens pauperem, ut collocaret cum principibus populi sui &c. In cujus domo domesticus fieri, & benedicere Dominum de fontibus israël, cùm pro meritorum meorum conscientiâ recusarem, vel potiùs non auderem recipere, ego vermis & non homo, vi subitâ invitus, quod fateor, adstrictus, & multitudine strangulante compulsus, quamvis cuperem calicem ipsum à me transire, tamen necesse habui dicere Domino, Verùm non mea voluntas sed tua fiat. *Idem*, *ep. ad Amandum* 4 *paulò post init. pag.* 204 *col.* 2 *litt. G. tom.* 6 *Biblioth. Lugdun.*

Præventi à Domino & apprehensi ab eo... deservimus altari Dei. *Idem*, *ibid.*

Per vim inflammatæ subitò plebis sacratus sum. *Idem*, *ep. ad Alipium Episcop. post med. pag.* 242 *col.* 1 *litt. C.*

Reperio omnes Sanctos divini ministerii ingentem velut molem formidantes. *S. Cyril. Alex. hom.* 1 *de festo Pasch. paulò post init. pag.* 3 *litt. C. tom.* 6 *edit. Paris.* 1638.

Jesus ergo cùm cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum & facerent eum Regem, fugit iterùm in montem ipse solus (Joan. 6.) Quis enim principari hominibus tam sine culpâ

potuisset, quam is, qui hos nimirùm regeret, quos creaverat; sed, quia idcircò in carne apparuit, ut non solùm nos per passionem redimeret, verùm etiam per conversationem doceret, exemplum se sequentibus præbens rex fieri noluit; ad crucis verò patibulum sponte pervenit; obiatam gloriam culminis fugit, pœnam probrosæ mortis appetiit. S. *Greg. pastor. part.* 1 *c.* 3 *pag.* 1057 *litt. A. edit. Paris.* 1675. *tom.* 1.

Moyses suadente Domino trepidat: & infirmus quisque, ut honoris onus suscipiat, anhelat, &, qui ad casum valdè urgetur ex propriis, humerum libenter opprimendus ponderibus submittit alienis. Quæ egit, ferre non valet; & auget, quod portet. *idem*, *ibid. c.* 7 *in fine*, *pag.* 1059 *litt. A.*

Ego considerans infirmitatem meam ad Apostolicæ Sedis culmen non posse pertingere, onus hoc malui declinare.... sed, quia contraire non est Domini disponentis arbitrio, obedienter secutus sum. *Idem*, *Registr.*

Quantùm sine pervicaciæ vitio potuit, noluit. *Joan. Diac. in vitâ S. Greg. lib.* 1 *c.* 45.

Hæc in me projecta fuerunt onera (Episcopatûs) non suscepta, &, ut ità loquar, retiaculum non ingressus sum, sed violenter opertus; quapropter occasione nactâ pondus libenter abjeci, quod ultroneus antè non subii. *S. Petr. Damian. opusc.* 20 *apolog. ad dimiss. Episcopatum*, *c.* 1.

Vocatus non ivi; rogatus & tractus multipliciter non consensi. *Petr. Bles. in Archiep. Neapolitan. electus*, *ep.* 131 *sub fin. pag.* 261 *col.* 1.

Legimus quòd Gaufridus Peronensis Clarævallis Prior electus in Episcopum Tornacensem electioni nullatenùs acquievit; qui postea defunctus, & apparens cuidam fratri inquirenti,

qualiter ei esset, respondit: Revelavit mihi Trinitas sancta quòd, si suscepissem Episcopatum, fuissem de numero reproborum. *Idem*, *ep.* 102 *paulò antè fin. pag.* 164 *col* 2.

Ob reverendam hujus ministerii eminentiam, B. Marcus, cujus cor & linguam Dominus Sancti Spiritûs igne purgaverat, quasi tamen adhuc imperfectum suum sentiens pollicem sibi abscidit, ne ad Sacerdotium cogeretur. *Idem*, *ep.* 123 *ad Episcop. London. circà med. pag.* 186 *col.* 2.

Legimus quòd, cùm B. Ammonius ad regimen populi traheretur invitus, aurem sinistram ferro sibi radicitùs secuit, dicens: Lex divina neminem præcisâ aure permittit fieri Sacerdotem, *Idem*, *ibid. pag.* 187 *col.* 1.

Paulus Eremita, Antonius, Apollonius, Mutius, Hilarion, Paphonitius & uterque Macarius & Arsenius, B etiam Benedictus nunquàm gradum Sacerdotii attigerunt. *Idem*, *ibid.*

Moyses jàm electus in ducem populi....

Jeremias etiam vocatus à Domino, ut populum rebellem erudiat, humiliter se excusant. Nec dubium est quin tantùm præemineat Sacerdotalis dignitas officio veterum Patrum, quantùm res spei, substantia umbræ, promissionibus exhibitio veritatis. *Idem*, *ibid.*

Fugiendi honores sunt in hoc sæculo, quoniam periculis pleni, & sollicitudinibus referti. Fugit Dominus, cùm illum Regem vellent Judæi constituere: fugerunt Sancti, cum regiminis præeminentia offerebatur illis. *B. Laurent. Justin. de compunct. & perfect. Christi. num.* 20.

SECTIO SECUNDA.

Ob gravissimum dignitatum Sacerdotiique pondus.

Sit sanè aliquis non modò à vitiorum contagione purus, verùm ad summum etiam virtu-

tis fastigium evectus. Haud equidem video quânam scientiâ instructus, aut quibus viribus fretus hujusmodi præfecturam intrepidè suscipere queat. *S. Greg. Naz. orat.* 1 *n.* 31.

Oportere puto tantâ cum religione ac cautione ad rem ipsam accedere, ut illius molem magnitudinemque primùm detrectes. *S. Chrys. lib.* 3 *de Sacerdot. c.* 10 *pag.* 39 *tom.* 4 *edit. Paris.* 1621 *authore Frontone Duc.*

Timere oportet & contremiscere propter conscientiam & propter molem imperii, & neque, qui semel trahentur, recusare, neque, si non trahantur, in ipsum irruere, imò verò etiam fugere prævidentes magnitudinem dignitatis; rursùs autem eos, qui fuerint comprehensi, oportet esse cautos & reverentes; si, priusquàm factus sis, nullum modum non præsenseris, secede, tibi persuade eâ te esse indignum: si rursus fueris comprehensus, similiter cautionem adhibe, & reverentiam, ubiquè ostendens pium & gratum animum. *Idem*, *ep.* 34 *in ep. ad Hebr. antè med. pag.* 1702 *litt.* B. *tom.* 4 *edit. Paris.* 1581.

Tantò me percussum dolore cognoscite, ut vix loqui sufficiam; oculos enim mentis meæ doloris tenebræ obsiderunt; triste est, quidquid aspicitur; quidquid delectabile creditur, cordi meo lamentabile apparet. S. *Gregor. Regist. lib.* 1 *ep.* 6.

Celsitudines graduum Ecclesiasticorum ipsis etiam Angelicis humeris formidandæ. *S. Bern. serm.* 2 *in Ascens. Domini*, *sub fin. pag.* 914 *litt.* B.

Si ad hoc angelica inferiora sunt merita, quid æstimabuntur humana? B. *Laurent. Justin. serm. de Eucher. n.* 31.

SECTIO TERTIA.

Ob innumera, quibus obnoxiæ sunt dignitates Ecclesiasticæ, pericula.

Undiquè tempestatibus deprimor, ità ut rectè dicam; Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. *Joan. Diac. in vitâ S. Greg. Magni, lib. 1 c. 47 ex epist S. Greg. Theoctistæ sorori Imperatoris, Registr. lib. 1 ep. 5.*

Redire ad cor desidero, sed obedire nequeo Propheticæ voci, quâ dicitur; Redite prævaricatores ad cor, sed stultis pressus cognitionibus solummodò exclamare compellor, Cor meum derelinquit me. *Idem, ibidem.*

Pressus in hoc honore tumultu sæcularium negotiorum, ex eis me esse video, de quibus scriptum est; Dejecisti eos, dùm allevarentur. *Idem, ibid. post med. ep. 5 lib. 1 Regist. epist.*

Hoc autem, quòd me ad Episcopatûs Ordinem cognoscitis perveniisse, si me diligitis, plangite, quia hìc hujus mundi tantæ occupationes sunt, ut per Episcopatûs Ordinem penè ab amore Dei me videam esse separatum; quod incessanter defleo. *S. Greg. regist. lib. 1 ep. 29.*

Ingemisco quia sentio quod negligente me crescit sentina vitiorum, & tempestate fortiter obviante jamjamque putridæ naufragium tabulæ sonant. Flens reminiscor, quòd perdidi meæ placitum littus quietis, & suspirando terram conspicio, quam tamen rerum ventis adversantibus tenere non possum. *Idem, ibidem, ep. 41 Leandro Hispalensi Episcopo.*

Non parvi terroris est atque formidinis esse vel inferioris ordinis Sacerdotem. Nimirùm ipsi quoque lege præcipitur ut populi portet iniquitatem. *Petr. Damian. opusc. 25 de dignitate Sacerdotii, in prologo.*

Quàm pavendum est ac tremefactis visce-

ribus formidandum omnibus nunc in Ecclesiasticâ dignitate præcellere, quos æquè necesse est & antè omnes in tremendi judicis examine respondere. *Idem*, *ibidem.*

Si tentatio est cujuscunque hominis vita super terram, quantis putatis periculis patet vita Pontificis, cui omnium necesse est ferre tentationes. *S. Bern. ep.* 40 *ad Henric. Senon. Archiep. c.* 1 *paulò post init. pag.* 461 *litt. C.*

Si ergo latens in cavernâ & quasi sub modio non quidem lucens sed fumigans ventorum tamen impetus nec sic declinare sufficio, sed continuis tentationum variisque fatigatus impulsibus instar vento agitatæ arundinis hac illacque circumferor; quid positus suprà montem, positus suprà candelabrum? *Idem*, *ibid.*

Solus mihi servandus, solus tamen ipse mihi sum scandalo, solus tædio, solus oneri atque periculo; ità ut propriæ gulæ & ventri & oculo scandalizanti frequenter irasci oporteat: quibus ergo molestiis angitur, quibus lacessitus injuriis, cui etiam, etsi propria cessent, nunquàm tamen de alienis desunt foris pugnæ, intùs timores. *Idem*, *ibidem.*

In alto posito non altum sapere difficile est & omninò inusitatum.... timor de adeptâ jam altitudine tœdere magis quam placere faciet altiora. *Idem*, *ep.* 42 *ad Henric. Senon. Archiep. c.* 8 *circa init. n.* 30 *p.* 474 *litt. A.*

Considero gradum, & casum vereor; considero fastigium dignitatis, & intueor faciem abyssi jacentis deorsum; attendo celsitudinem honoris, & è vicino periculum reformido. *Id. ad Eugenium III. recenter in summum Pontificem electum*, *ep.* 238 *antè med. p.* 234 *litt. C. tom.* 1 *edit Mabil.*

Honoris assumptio multis tentatio facta est, & subversionis occasio. *Petr. Blesen. tract. de institut. Episc. antè med. pag.* 450 *col.* 1 *edit. Paris.* 1672.

1°. Testimonio Salomonis, Citò & horrendè fiet judicium his, qui præsunt. *Idem*, *ep.* 13 *ad L. Priorem de Monasteriolo*, *sub finem*, *pag.* 201 *col.* 1.

2°. Tutiùs reputem latere & fumare sub modio, quàm ascendere super candelabrum. *Idem*, *ibidem.*

3°. Multorum turpitudo latuit, donec honoris assumptio palpebras vulgaris famæ aperiens in publicam deduxit notitiam; quod status humilior occultabat, non dignitas indignos ostendit. *Idem*, *ibidem.*

4°. Adde quòd multorum dominatio est eorum damnatio; quot enim paupertas ad Cœlum promovet, tot cum dignitatibus suis infernus absorbet. *Idem*, *ibidem.*

Nec te immittas in populum, neque alliges duplicia peccata. Eccli. 7. v. 8. Juxta verbum Salomonis, Immisisti te in turbam, & alligasti peccata duplicia, ideò plerique volunt latere sub modio. *Idem*, *ep.* 134 *ad Wihelmum Abbatem Sanctæ Mariæ electum*, *circa init. pag.* 205 *column.* 1.

SECTIO QUARTA.

Dignitates ambire non permittit Apostolus.

Si quis Episcopatum desiderat, non culpo, non improbo; opus quippè regiminis est. Si quis hunc idcircò appetit non principatûs ac dominationis fastu, verùm curâ regiminis & charitatis affectu, non improbo, inquit; bonum quippè desiderat opus. Quippè & Moyses eam rem appetisse cognoscitur. *S. Chrys. hom.* 10 *in ep.* 1 *ad Tim. c.* 3 *in hæc verba*, Si quis Episcopatum desiderat &c. *init. pag.* 1360 *litt. D. tom.* 4 *edit. Paris.* 1581.

Si quis Episcopi munus appetit, honestum opus desiderat; at ego non operis ipsius, sed dominationis

dominationis ac potentiæ desiderium pestilens esse dixi. *Idem, lib. 3 de Sacerdot. cap. 10 in fin. p. 40 litt. B. t. 4. edit. Paris. 1621 Front. Duc.*

Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, non dignitatem; laborem, non delicias; opus, per quod humilitate decrescat, non intumescat fastigio. *S. Hieron. ep. ad Ocean. 83 post med.*

Opus, inquit, non honorem, non gloriam. *Idem, in ep. ad Tit. c. 1 long. ant. med.*

Locus superior, sine quo regi populus non potest, etsi ità teneatur atque administretur, ut decet, tamen indecenter appetitur. S. *Aug. de Civit. Dei, lib. 19 c. 19 propè finem.*

Plerumquè verò, qui præesse concupiscunt, ad usum suæ libidinis instrumentum Apostolici sermonis arripiunt, quo ait; si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: qui tamen laudans desiderium in favorem vertit protinùs, quod laudavit, cùm repentè subjungit; Oportet ergo Episcopum esse irreprehensibilem .... favet ergo ex desiderio, & terret ex præcepto. *S. Greg. pastor. part. 1 c. 8.*

Quamvis notandum quòd illo in tempore hoc dicitur, quo, quisquis plebibus præerat, priùs ad Martyrii tormenta deducebatur. Tunc ergo laudabile fuit Episcopatum quærere, quandò per hunc quemque dubium non erat ad suplicia graviora pervenire, undè ipsum quoque Episcopatûs officium boni operis expressione definitur, cùm dicitur; Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. *Idem, ibidem.*

Si lucri spiritualis gratiâ hæc faciunt, laudandus est zelus; sed præsumptio corrigenda. *S. Bernard. ep. 42 ad Henric. Senon. c. 7 n. 27 p. 472 litt F.*

Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, non dicit; Bonum desiderium habet, sed, Bonum opus, scilicet utilitatem plebis,

sed nunquàm licet ipsum desiderare ? Augustinus dicit ; Locus superior , sine quo regi non potest populus , etsi teneatur & administretur decenter , tamen indecenter appetitur. Et idem dicit 19. de Civitate Dei. Cujus ratio est , quòd nullus debet appetere aliquid suprà vires suas , non sibi proportionatum , alias esset stultus. . . & hanc idoneitatem de se præsumere , est maximæ superbiæ. *D. Thom. in* 1 *ad Tim. c.* 3 *sect.* 1 *antè med.*

CAPUT XIII.

Ordines seu dignitates in Clero ambiens reprobus.

SI ad eum principatum (Episcopatûs) adipiscendum vehementi animi affectu rapiatur , eo adepto impotentiorem sanè ambitionis suæ flammam incendet , ac vi tandem captus , ut sibi adeptum honorem stabiliat , nulli non peccato serviet , seu adulandum , seu servile quid atque indignum sustinendum , seu res magno pecuniæ sumptu tentanda. *S. Chrys. lib. 3 de Sacerdot. c. 10 p. 39 litt. D. edit. Paris. 1621 tom.* 4 *auctore Froton. Duc.*

Pestilens & lethale est appetentiæ istius virus. *Idem , ibid. p.* 40 *litt. A.*

Hoc ego desiderium (scilicet Episcopatûs) sic toto studio ab animo abjiciendum esse sentio , ut ne animum quidem ipsum prorsùs permittas ab illo occupari. *idem , ibidem , c.* 11 *p.* 40 *litt.* B.

Si quis existet , qui honore illo nondùm adepto atrocem hanc atque efferam belluam secum enutriat , verbis assequi non possim in quantam perniciem accepto honore præceps iturus sit. *Idem , ibid , p.* 41.

Illud oportet undiquè circumspicere ac dili-

genter perſcrutari, nec ubi deſiderii hujus ſcintilla aliqua ardens lateat. *Idem*, *ibid.*

Loquor his tantùm, qui principatum affectant. Si credis Dei eſſe electionem, ne indigneris (ſupple, ſi non aſſumeris ad aliquam dignitatem) illi enim indignaris, & adversùs illum irritaris, illius enim eſt electio. Quòd, ſi ipſe elegit, tu verò audes huic (ſcilicet electo) indignari, idem facis, quod Caïn. *Idem*, *hom.* 3 *in Act. Apoſt. poſt med. p.* 404 *litt. A. tom.* 3 *edit. Pariſ.* 1581.

Quid refert, ſi non dat pecuniam (ad obtinendam dignitatem Eccleſiaſticam) ſed pecuniæ loco aduleris, ſubornas, multaque machinaris?... His dicetur; Ambitio tua ſit tecum in perditionem, quoniam putaſti ambitu humano parari domum Dei. *Idem*, *ibid. antè fin. p.* 406 *litt.* B.

Magna me tenet admiratio eorum, qui hujuſmodi onera appetunt. Infeliciſſime hominum atque miſerrime, non aſpicis, cujus rei deſiderio teneris! *Idem*, *hom.* 1 *in ep. ad Tit. poſt med. p.* 1470 *litt. D. tom.* 1 *edit. Pariſ.* 1581.

Si ii, qui neceſſitate trahuntur, non habent quò fugiant & quò ſe excuſent, ſi rem malè adminiſtrent & ſint negligentes; nam & Aaron tractus eſt neceſſitate, & venit in periculum; & Moyſes rursùs venit in periculum, cùm ſæpè recuſaſſet; & Saül, cui fuerat creditum aliud imperium, poſtquam recuſavit, vocatus eſt in periculum, quoniam ipſum malè adminiſtraret, Quantò magis ii, qui in hoc ſtudium ſuum ponunt, & in illud irruunt? Qui eſt autem talis, longè magis ſe omni privabit veniâ *Idem*, *hom.* 34 *in ep. ad Hebr. circa med. p.* 1702 *litt. A. tom.* 4 *edit. Pariſ* 1581.

Ego Epiſcopatûs opus mirificè laudo; divinum enim eſt: ipſius autem amorem minimè laudo; periculoſus enim eſt. Non dico, Benè

facit ; neque enim ne probatiſſimos quidem viros hunc amorem in animo alere , verùm pro viribus expellere oportet. *S. Iſidor. Peluſ. lib.* 3 *ep.* 216 *Palladio Diac. poſt med.*

Quod autem vanorum hominum ſit , & nullam domi utilitatem habentium alios gubernandi munus appetere , vel ex eo patet quòd nemo , qui quietis & contemplationis bona guſtavit , facilè illud ſuſcipiat , ut terrenis ſeſe occupationibus implicet , animumque cœleſtia meditantem ad mundi negotia revocet... Quemadmodùm enim oliva , ficus & vitis lignorum ſylvæ recuſarunt imperium , Quòd magis fructibus ſuis lætarentur , quàm ejuſmodi dignitate ; ità , qui fructum aliquem in ſe virtutis aſpiciunt utilitatemque ſentiunt , licet vocentur ad multum imperium illi commoda ſemper ſua anteponent. *S. Nil. Abb. lib. aſcetic. antè med. p.* 1161 *col.* 1 *litt. D. & col.* 2 *litt. E. Bibl. Lugd. tom.* 7

Dùm improbè , ad inanem gloriam , locum feſtinat utilitatis arripere , eò ipsò magis , quòd honorem quæſivit , indignus eſt. *S. Greg. lib.* 7 *ep.* 111 *Syagrio Etherio &c. paulò poſt init. p.* 860 *litt. A. tom.* 2 *edit. Pariſ.* 1675.

Sicut is , qui invitatus renuit .... ſacris eſt altaribus admovendus ; ſic , qui ultrò ambit , vel importunè ſe ingerit , eſt procul dubio repellendus. *Idem , ibid.*

Reprobi ſe honorum faſtibus oſtendunt electi , in humilitate ſe deprimunt. *Idem , Moral. lib.* 17 *c.* 6.

O ſtultum , qui , cùm ad caſum urgeatur ex oneribus propriis , humeros libenter ſubmittit opprimendus alienis ! *Stimul. paſtor ex paſtoral. S. Greg. part.* 1 *init.*

Sicut is , qui reginis apicem invitus aſſequitur , ſi quid illic aſperum , ſi quid patietur adverſum , ad cumulum pervenit ſibi meritorum & pro tribulatione , quam tolerat , non incaſsùm exultationis æternæ præmium ſperat ;

sic ille, qui ultroneus ambit, vel importunus ingeritur, vix pro adversitate, quam in regimine patitur, præmium consequitur. Ad se itaque, quod patitur, referat, sibique omne, quod laceratur, adscribat; labores, quos sustinet, honoribus recompensetq; fructumque laborum potiùs in adeptâ dignitate constituat, quàm de futuri muneris retributione præsumat, Domino de talibus attestante; Quia receperunt mercedem suam. *Petr. Dam. opusc.* 22 *contra Clericos aulic. c.* 3 *circa med.*

Qui ad ministerium terrenæ dispensationis coactus attrahitur, cùm in executionibus ejus adversa pertulerit, laboris sui præmio non carebit; at, si villicatus pretio vel precibus obtinetur, erubescit pro laboribus suis commodum retributionis exigere, qui se laborandi materiam meminit importunis anxietatibus extorsisse. *Idem, ibid. circa fin.*

Quisquis tot terrenis actionibus plenum Monasterii regimen ultroneus appetit, quid aliud creditur agere, nisi quod velut jam lassus Christi militiam execratur ulteriùs bajulare. *Idem, opusc. c.* 1 *tom.* 3 *p.* 201 *col.* 1 *litt.* B.

Quæri nempè, quàm quærere ipse debuerat *S. Bern. declam. c.* 13 *n.* 15 *p.* 290 *litt. D tom.* 2 *edit. Mabil.*

Tinea cordium, animarum subversio, cupiditas dignitatum. Undè obrepsit hæc pestis? Undè invaluit hæc execranda præsumptio, ut indigni dignitates ambiant; & quanto minùs meruerunt ascendere ad honores, tantò importuniùs honoribus se importent. *Petr. Blef. epist.* 23 *ad Octavianum Cardin. init.*

Certè, qui præesse aliis volunt, cor eorum vanum est, dùm à virtute vacui spiritu elationis & vento gloriæ volatilis intumescunt. *Idem, epist.* 102 *ad Rading. Abbat.*

Qui volunt, imò, quod deterius, procurant

vel per se vel per alios, quod ipsi habeant administrationes, similes sunt rhamno, qui non recusavit hunc honorem *Hugo Cardin. in Apoc. c. 2 ad illud*; Dabo manna absconditum, *tom. 7 p. 374 col. 2 in fin.*

Quamobrem quicunque honoribus ac dignitatibus sublimari concupiscit, quod tantummodò Deo congruit, spiritualis censendus est fur. B. *Laurent. Justin. de regim. Prælat. c. 16 num. 6.*

Falluntur utiquè, qui hoc (scilicet, regimen animarum) concupiscunt aut sui elatâ opinione, vel vanâ honoris ambitione, seu immoderatâ divitiarum cupiditate? Rejiciendi sunt tales & tanquam indigni spernendi, quia cœci, fures, & prædones sunt. *Idem, ibid.*

CAPUT XIV.

Honores sunt onera.

SI novisses quòd Episcopus debet omnium onera portare; quòd aliis irascentibus datur venia, ipsi verò nequaquàm; quòd aliis peccantibus super est excusatio, ipsi vero minimè, haudquaquàm festinasses ad primatum, haudquaquàm accurrisses; hìc enim omnium linguis expositus est, omnium judiciis objectus & sapientium & insipientium; curis perpetuis obtunditur tum diurnis tum nocturnis; multos habet, quibus est invisus; multos habet invidentes. *S. Chrys. hom. 3 in Act. Apost. post med. p. 404 litt. B. tom. 3 edit. Paris 1581*

Nihil à navi, quæ fluctibus jactatur differt Sacerdotis animus; undiquè premitur, ab amicis & inimicis, à suis & ab alienis. Nonne terrarum imperium tenet Imperator? Hic autem

unius civitatis Episcopus est; sed tantò plus curarum habet hic, quantùm interest inter aquam fluminis vento agitatam & inter mare intumescens & insaniens. *Idem, ibid.*

Talem quidem tantamque Episcopo populi regendi cura molestiam difficultatemque affert, quòd, si ea examinare quis volet, quæ illum præstare erga Deum oportet, quæ dixi, præ illis nihil prorsùs esse comperiet: tam ingens, tam sollicitum, tam exactum ea studium requirunt. *Idem, l. 6 de Sacerd. longè post init. p. 480 litt.* B *edit. Paris. 1581 tom. 5.*

Clericus duas res professus est, & sanctitatem, & Clericatum; interiùs sanctitatem; nam Clericatum propter populum suum Deus imposuit cervicibus ipsius, cui magis onus est, quàm honor: sed quis sapiens, & intelliget hæc? S. *Aug. serm. 49 de diversis, qui est 1 de communi vitâ Cleric. c. 4 post med. p. 1384 litt. A. tom. 5 edit. Bened.*

Vide sect. 2. Non sibi tantùm, sed & aliis vivere tenentur Clerici, suprà.

Inter cætera, ait Apostolus, Episcopum potentem esse debere in doctrinâ sanâ, ut contradicentes redarguere possit, magnum opus est, clivus arduus. *Idem, serm. 19 de verbis Apostoli, circa init. p. 849 litt. C. tom. 5 Bened. edit.*

Quòd si scirent quantus sit labor aliis se ducem ad religionem capessendam præbere, & quantùm indè periculum consequatur, onus illud iti gravius, quàm ipsi sustinere possent, profectò detrectassent Verùm, quoniam hoc ignorant, & aliis præesse præclarum existimant, ideò facilè in barathrum se demergunt, & in caminum ardentem desilire nullum esse negotium arbitrantur. *S. Nil Abb. lib. ascetic. antè med. p. 1160 col. 2 litt. F. tom. 7 Bibl. Lugd.*

Hominibus præesse res est omnium maximè

laborioſa. *Idem, ibid. p. 1161 col. 2 litt. F.*

Veri Sacerdotes non excellentiam ſuam cogitant provecti, ſed ſarcinam non gloriantur de officiis, dignitate; ſed ſudant potiùs conſtituti ſub onere. *S. Proſp. ſeu Jul Pomer. lib. de vitâ contempl. Sacerd. c. 2 p. 61 & 62 litt. F. tom. 8 Bibl. Lugd.*

Multi, cùm regiminis jura ſuſcipiunt, ad lacerandos ſubditos inardeſcunt, terrorem poteſtatis exhibent, &, quibus prodeſſe debuerant, nocent; &, quia charitatis viſcera non habent, domini videri appetunt; patres ſe eſſe minimè recognoſcunt. *S. Greg. Mag. hom. 17 in Evang. poſt init.*

Quid enim aliud deſignant baſes in Templo, niſi Sacerdotes in Eccleſiâ, qui, dùm ſollicitudinem regiminis tolerant, quaſi more baſium ſuperimpoſitum onus portant? *Idem, ibidem, poſt med. edit. Pariſ. an. 1675 p. 1397 litt. D.*

Quid eſt officium Paſtorale, niſi quædam jugis ac perpetua mentis tempeſtas fluctibus curarum & cogitationum ſemper fervens? *Stimul. paſtor. S. Greg. paſtoral. poſt init.*

Quantò quis hic altiùs erigitur, tantò curis gravioribus oneratur, eiſque ipſis populis mente & cogitatione ſupponitur, quibus ſuperponitur dignitate. *Idem, l. 17 Moral. c. 12.*

Dùm unam caput tot dominis ſubditur, infelix anima multiplici quodammodò catenâ conſtringitur, ne Creatoris ſui veſtigia proſequatur. Dic, pater, dic, inquam, videlcet ut expertus; Quis poteſt hoc ferreo ſæculo Monaſterium ſine ſui capitis periculo regere? imò quis poteſt ſimul cum Abbate Monachum poſſidere? mox enim ut quis Abbas fieri inciſit, Monachus eſſe deſiſtit. *Petr. Dam. opuſc. 1. init. tom. 3 p. 200.*

Præcipitur Monacho ut moriatur mundo. Sed

quâ ratione hoc Abbas adimplet, qui tot curarum tumultibus premitur, tot negotiorum sæcularium perplexionibus innodatur, qui diem loquendo & diversa tractando continuat, noctem consiliando dimidiat ? *Idem, ibid.*

Qui inter catervas militum non poterat ire vel ultimus, principandi desiderio jam in præcedenti cornu cernitur primipilus ; infelix non illud ad memoriam revocans, quod per eos B. Benedicti Spiritus Sanctus terribiliter clamat : Qui suscipit animas regendas, præparet se ad rationem reddendam. Et iterùm ; Sciat, inquit, Abbas de omnibus judiciis suis æquissimo judici Deo se rationem redditurum. Qui etiam alibi ; Sciat Abbas culpæ Pastoris incumbere, quidquid minùs utilitatis in ovibus pater familias poterit invenire. Qui enim judex fieri vult animarum, nescit quàm durum, quàm districtum cogatur expectare judicium. *Id. ibid. p. 201.*

Factum Superiorem dissimulare nequimus ; sedenim ad quid omnimodis attendendum ; non enim ad dominandum opinor, nàm & Propheta cùm similiter levaretur, audivit ; Ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes. S. *Bern. l. 2 de consid c 6 init.*

Exi in agrum Domini, non tanquam Dominus, sed tanquàm villicus. *Idem, ibidem, post medium.*

Esto quod Propheta : nunquid plus quàm Propheta ? Si sapis, eris contentus mensurâ, quâ tibi mensus est Deus ; nam, quod ampliùs est, à malo est. Disce exemplo Prophetico præsidere, non tam ad imperitandum, quàm ad factitandum ; disce sarculo tibi opus esse, non sceptro, ut opus facias Prophetæ ; & quidem non ille regnaturus ascendit, sed extirpaturus. *Idem, ibidem.*

Multò minùs inveniri oportet aut deliciis resolutum aut resupinum pompis. Nihil horum tibi

tabulæ testatoris assignant. Sed quid ? si illarum tenore contentus sis, curam potiùs hæreditatis & operam, quàm gloriam & divitias &c. Nam quid tibi aliud dimisit sanctus Apostolus ? Quod habeo, inquit, hoc tibi do. Quid illud ; Unum scio : non est aurum neque argentum, cùm ipse dicat ; Argentum & aurum non est mihi &c. Nec enim ille tibi dare, quod non habuit, potuit : quod habuit, hoc dedit, sollicitudinem, ut dixi, super Ecclesias. Nunquid dominationem ? Audi ipsum ; Non dominantes, ait, in Clero ; sed forma facti gregis. Et ne dictum solâ humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini est in Evangelio ; Reges gentium dominantur eorum &c. vos autem non sic. Planum est ; Apostolis interdicitur dominatus. *Idem, ibidem.*

Ergo tu & tibi usurpare, aude aut dominans Apostolatum, aut apostolicus dominatum : planè ab alterutro prohiberis : si utrumque similiter habere voles, perdes utrumque &c. *Idem, ibidem.*

Enim verò prospectus iste procinctum parit, non otium. *Idem, ibidem.*

Ità & tu præsis, ut provideas, ut consulas, ut procures & serves : præsis, ut prosis ; præsis ut fidelis servus & prudens, quem constituit dominus super familiam suam. Ad quid ? Ut des illis escam in tempore, hoc est, ut dispenses, non imperes. *Idem, ibid. l. 3 & paulò post init. n. 2. p. 426 litt. E.*

Si tentatio est cujuscunque hominis vita super terram, quantis putatis periculis patet vita Pontificis, cui omnium necesse est ferre tentationes ? *Idem, ep. 42 ad Henric. Senon. c. 1 init. tom. 1 p. 461 edit. Mabil.*

Solus mihi servandus, solus tamen ipse mihi sum scandalo, solus tædio, solus oneri atque periculo ; ità ut propriæ gulæ & ventri & oculo

scandalizanti frequenter iraſci oportet : quibus ergo moleſtiis angitur, quibus laceſſitur injuriis ; cui etiam, & ſi propria ceſſent, nunquàm tamen de alienis deſunt foris pugnæ, intùs timores ? *idem*, *ibid.*

Meditantibus quidem honores blandiuntur ; ſed onera penſantibus tædio ſunt atque formidini : non autem omnes capiunt hoc verbum ; multi enim non tantâ fiduciâ & alacritate currerent ad honores, ſi eſſe ſentirent & onera : gravari profectò metuerent, ne cum tanto labore & periculo quarumlibet affectarent infulas dignitatum. *idem*, *ibid.*, *c.* 7 *init. p.* 471 *litt. E.*

O perverſitas ! ô abuſio filiorum Adam ! quia, cùm aſcendere difficillimum ſit, deſcendere autem facillimum, ipſi & leviter aſcendunt, & difficiliùs deſcendunt, parati ad honores & celſitudines graduum Eccleſiaſticorum ipſis etiam angelicis humeris formidandos. *Idem*, *ſerm.* 2 *in Aſcenſ. Domini*, *ſub fin. edit. Mabil. tom.* 1 *p.* 914 *litt.* B.

Paulus non de dominio, ſed de miniſterio gloriatur ; Miniſtri Chriſti ſunt, inquit ? Et ego. 2. Cor. 11. *v.* 23. *Petr. Bleſ. ibid. de inſtitut. Epiſc. c.* 3.

Miniſterium tuum plus oneris habet, quàm honoris. *idem*, *ibid. c.* 4.

Sunt, qui honores virtutes reputant, ſuiſque meritis adſcribunt gradum eminentiæ, quem in irâ Dei fortè adepti ſunt. *idem*, *ibid. de inſtit. Epiſc. ant. med.*

Ad honorem vocavit te (Deus) propter onera. *idem.*

Suſpirando dicebas ; Infelix ego homo carnalis & venundatus ſub peccato, quid mihi ad divitias & honores ? Cur mihi magiſterium & cathedram ſuper alios uſurpavi ? Nonne ſufficiebat mihi iniquitas mea, niſi peccarem in multitu-

dine; & alligarem mihi peccata duplicia? &c. *Idem, ep.* 102 *ad Rading. Abbat. edit. Paris.* 1672 *p.* 159 *col.* 1 *sub finem.*

Evenit enim mihi, quod Dominus per B. Job impio comminatur; Divitias, inquit, quas devoravit, evomet, & de ventre ejus extrahet eas Deus. Sanè judicio diligentium Deum terribile ejus possum expectare judicium, cùm in libro Sapientiæ legam quia horrendè & citò apparebit Dominus; & judicium durissimum his, qui præsunt fiet. *idem, ibid.*

Sciebam omnem honorem hujus sæculi esse impedimentum grave & quoddam peremptorium salutis æternæ. *idem, ibid.*

Nunc autem in irâ Dei elatus in cathedram Pastoralem, cujus assumptionem etsi non procuravetim, eam tamen non sine ambitiosâ voluntate recepi. *idem, ibid.*

Antequàm hunc honorem aut potiùs hoc onus mihi impositum esset cœlestis indignatio (ad hoc enim irâ Dei vocatus sum) sentiebam de Domino in bonitate &c. *idem, ibid.*

Subditi te honorant; sed plus onerant. *idem, ep.* 132 *ant. med. p.* 292 *col.* 2.

Administrationem hanc onus reputa, non honorem. *Petr. Blef. ep.* 134 *ad Wihelmum Abbatem S. Mariæ electum, long. ant. med. pag.* 205 *col* 2.

Quis enim in honore sine dolore, in prælatione sine tribulatione, in sublimitate sine vanitate esse poterit? *S. Bonav. de contemptu sæculi, init.*

Mittam te ad Pharaonem, ut educas populum &c. Exod. 3 Cernisne quòd non ad dominandum populo, sed ad ducatum regiminis missus est Moyses? Nec mirum, regere quippè, charitatis est opus; dominari verò, superbiæ. *B. Lauren. Justinian. de regimine Prælatorum, c.* 2 *n.* 2.

Grande prorsùs onus, negotium multarum vigiliarum pavendumque ministerium est regimen animarum. *idem, ibid.*

Quantò uniuscujuscunque major est status, tantò perniciosior est ruina. *idem, serm. Euch. num.* 21.

Sciens igitur quoniam antè ruinam exaltatur cor, & abominabilis est Deo omnis mente sublimis, magnoperè honoris refugit cathedram, aliisque imperare formidat. *idem, ibid.*

Grave ministris Ecclesiæ appositum est onus, gravissimaque desidiosis & malis præparata supplicia. *idem, ibid.*

CAPUT XV.

Nihil prodest canonica electio sine canonicâ vitâ.

QUI à Sanctis Patribus in unâquaque Synodo huc usque expositi sunt Canones, observare æquum censuimus. *Conc. Calced. ann.* 451 *act.* 15 *c.* 1 *Refertur, Can.* 14. 25. *q.* 1.

His, qui sacram dignitatem sortiti sunt, testimonia & directiones canonicarum præceptionum formæ constituunt, quas libenter suscipientes.... exultantes in eis, divinos Canones amplectabiliter in pectore recondimus, & integram illorum præceptionem ac immobilem tenemus, tam scilicet illorum; qui ab almis & laudabilissimis Apostolis Sancti Spiritûs tubis editi sunt, quàm eorum, qui à sex sanctis & universalibus Synodis atque his Conciliis, quæ localiter collecta sunt in expositionem ejusmodi decretorum promulgati sunt; necnon & eorum, qui à Sanctis Patribus nostris prolati fuisse

probantur. *Conc. Nic. II. an.* 787 *act.* 8 *Can.* 1.

Placuit ut ordinandis Episcopis vel Clericis priùs ab ordinatoribus suis decreta Conciliorum auribus eorum inculcentur, ne se aliquid contrà statuta Concilii fecisse pœniteat. *Conc. Carthag.* III. *ann.* 397 *cap.* 3 *Refertur*, *Can.* 7 *dist.* 38.

Sciant igitur Sacerdotes Canones.... ut ædificent cunctos tam fidei scientiâ, quàm operum disciplinâ. *Conc. Tolet. IV. an.* 633 *cap.* 25 *Refertur*, *can.* 1 *dist.* 38.

Canonum statuta custodiantur ab omnibus. *Conc. Melden. an.* 845 *c.* 24 *Refert. can.* 1 *de constitutionib.*

Contemptum Canonum esse immane piaculum utriusque docet pagina Testamenti. *Conc. Lambathense*, *in præfat. an.* 1281.

Nolite errare, fratres mei carissimi; doctrinis variis & extraneis nolite abduci. En instituta Apostolorum & Apostolicorum virorum, Canonesque habetis; his fruemini; his circumdamini; his delectamini; his armamini, ut his freti, circumdati, delectati, armati contrà cuncta inimicorum jacula persistere valeatis. *Jul. I. Papa ad Episcopos Orientales*, *ep.* 1 *an.* 337 *Refertur dist.* 11 *can.* 3.

Ea, quæ sunt ab Apostolis eorumque successoribus instituta, nullâ desidiâ negligantur, nullâ dissensione violentur, nullâ conversatione turbentur. *Idem*, *ibidem*, *c.* 4 *Refertur*, *can.* 11 *n.* 5 *q.* 2.

Violatores Canonum voluntarii graviter à SS. Patribus judicantur, & à S. Spiritu (instinctu cujus ac dono dictati sunt) damnantur, quoniam blasphemare Spiritum Sanctum non incongruè videntur, qui contrà eosdem sacros Canones non necessitate compulsi, sed libenter, ut præmissum est, aliquid aut protervè agunt, aut loqui præsumunt, aut facere volentibus sponte

consentiunt ; talis enim præsumptio manifestè unum genus est blasphemantium Spiritum Sanctum , quia , ut jàm prælibatum est , contrà eum agit , cujus nutu & gratiâ sancti Canones editi sunt. *Damas. Papa an. 374 Refertur can. 5. n. 25 q. 1.*

Omnia Decretalia & cunctorum decessorum nostrorum Constituta , quæ de Ecclesiasticis ordinibus & Canonum promulgata sunt disciplinis , ità à vobis & ab omnibus Episcopis ac cunctis generaliter Sacerdotibus custodiri debere mandamus , ut , si quis in illa commiserit , veniam sibi deinceps noverit denegari. *Idem, ep. 4 Prospero Episcopo , an. 380 Refert. can. 12. 25. q. 1.*

Ne innitaris prudentiæ tuæ. Prudentiæ suæ innititur , qui , quæ sibi agenda vel dicenda videntur , Patrum decretis præponit. *Comment. l. 2 in Prov. caput. 3 inter op. S. Hieron. Refertur , can. 6 de constitutionib.*

Hoc veræ indicimus charitati , ut ab Apostolicis institutis nullo ulteriùs recedatur excessu , quia inultum post hoc esse non poterit , si quisquam Apostolicas regulas in aliquo crediderit negligendas. *Leo Papa I. ad Episcopos Siciliæ , ep. 4 c. 6 an. 447 Refertur can. 11. 25. q. 1.*

Nulli Sacerdotum liceat Canones ignorare , nec quidquam facere , quod Patrum possit regulis obviare ; quæ enim à nobis res dignè servabitur , si Decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu , licentiâ populis permissâ , frangatur. *Cœlestin. universis Episcopis per Apuliam & Calabriam constitutis , ep. 3 Refertur can. 4 dist. 38*

Cùm nobis contrà salutarium reverentiam regularum cupiamus temerè nil licere , & cùm Sedes Apostolica superior his omnibus , favente Domino , quæ paternis Canonibus sunt præ-

fixa, pio devotoque ſtudeat tenere propoſito, ſatis indignum eſt quemquam vel Pontificum vel Ordinum ſubſequentium hanc obſervantiam refutare, quàm B. Petri Sedem & ſequi videat & docere. *Gelaſ. Pap. I. ep. 9 c. 9.*

Prima ſalus eſt rectæ fidei regulam cuſtodire, & à conſtitutis Patrum nullatenùs deviare. *Hormiſd Pap. Epiſcopis Hiſpaniæ, an. 519 Refert. can. 9 25. q. 1.*

Hac conſonâ SS. Patribus definitione ſancimus ut, qui ſacris neſcit obedire Canonibus, nec ſacris adminiſtrare, nec communionem capere ſit dignus altaribus. *S. Greg. I. lib. 1 epiſt. ep. 7 ad Joan. Epiſcopum, an. 592 Refertur can. 13. 25. q. 1.*

Canones Patrum vim legum habere oportet. *Honorius II. Refertur c. 1.*

Quid prodeſt, ſi canonicè eligamur, & canonicè non vivamus? *S. Bern.*

Non ex vocatione, ſed ex virtutum operatione quiſque ſanctificatur. *idem.*

CAPUT XVI.

Nec vita ſine doctrinâ, nec doctrina ſine vitâ.

OMNE opus eorum in prædicatione & doctrinâ conſiſtat, atque ædificent cunctos tam fidei ſcientiâ, quàm operum diſciplinâ *Concil. Tolet. IV. an. 633 c. 25 Concil. Labb. tom. 5 pag. 1713 litt. D.*

Doctrina autem Sacerdotalis ſecundùm cujuſque qualitatem omnibus ſufficiens eſſe debet, modeſta, prudens, diſcreta, honeſta atque utilis; nec minùs exemplum boni operis doctri-

næ conveniens in Sacerdotibus esse debet, ut, quod ore doctrina profert, vitæ meritum justæ operationis verba Sacerdotis omnibus delectabilia faciat exequenda, vitamque probabilem commendet. *Conc. Aquisgr.* II. *cap.* 2 *can.* 8 *an.* 836 *sub Greg. IV. & Ludovico Pio Imp. p.* 1706 *tom.* 7 *Conc. Labb.*

Quemadmodùm sermo actionis expers mancus & imperfectus est; ità etiam actio, quæ à sermone deseritur. S. *Isidor. Pelus. lib.* 3 *ep.* 362 *Hermogeni Episc.*

Sis Dei Philosophus & Dei vates, non quærendo, sed imitando Deum; sapiens, ut non tam linguâ, quàm vitâ eruditus tam differens magna, quàm faciens. *S. Paulin. ep. ad Jovium, post med. p.* 232 *col.* 1 *litt.* B. *tom.* 6 *Biblioth. Lugdun.*

Periculosa certè & supervacua doctrina Sacerdotibus est, quæ pravis operibus offuscatur. *Gildas Sapiens in Ecclesiasticum Ordinem, SS. PP. Bibl. Lugd. tom.* 8 *pag.* 718. *col.* 2 *litt. G. post med.*

Tam vitâ quàm doctrinâ clarere debet Ecclesiasticus doctor; nam doctrina sine vitâ arrogantem reddit, vita sine doctrinâ inutilem facit. *S. Isid. Hispal. lib.* 3 *sent. c.* 36.

CAPUT XVII.

Ignorans Sacerdos ignorabitur.

ARTICULUS PRIMUS.

Quàm culpanda Sacerdotis ignorantia.

PONES in rationali judicii doctrinam & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron. *Exod.* 28. 30.

Præceptum sempiternum est in generationes vestras, & ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum & profanum. *Levit 10 9 10.*

Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi. *Osee 4. 6.*

Si quis ignorat, ignorabitur. 1. *Cor.* 14. 38.

Si rudes & ignaros ordinare præsumpserint (Episcopi) & ordinatores & ordinatos ultioni gravi decernimus subjacere. *De ætate & qualitate ordinand. c. 14. Cùm sit ars. Decretal. Greg. lib. 1 tit. 14 in Concilio Later. generali, an.* 1215.

Origo totius mali ab ignorantiâ descendit, & ipsa est omnium malorum mater, quæ incuriâ & ignaviâ gignitur; negligentiâ verò alitur & augetur, atque in sensibus hominum radicatur, dùm amatur: quam si quis fortè doceat effugandam, velut antiquis & hæreditariis sedibus molestè & indignanter avellitur. S. *Clem. ep.* 3 *longè antè med. pag.* 105 *litt. D. Conc. Labb. tom.* 1.

Illiteratos.... nullus præsumat ad Clericatûs Ordinem promovere, quia litteris carens sacris

non potest esse aptus officiis. *Dist. 36 c. 1 Illitteratos, ex Gelas. ep. ad Episc. per Lucaniam, c. 18 & 19.*

Pastorum imperitia voce veritatis increpatur, cùm per Prophetam dicitur; Ipsi Pastores ignorarunt intelligentiam. Quos rursùs detestatur Dominus dicens; Et tenentes legem nescierunt me... Et nesciri ergo se ab eis veritas queritur; nescire se principatum nescientium protestatur, quia profectò hi, qui ea, quæ sunt Domini, nesciunt, à Domino nesciuntur, Paulo attestante, qui ait; Si quis autem ignorat, ignorabitur. *S. Greg. pastor. parte 1 c. 1 pag. 1054 litt. D. tom. 1 edit. Paris. 1675.* *Isai. 15. Jerem. 2.*

Elaborandum est Sacerdotibus ut ignorantiam à se quasi pestem abjiciant; licet enim servus nesciens voluntatem Domini sui & non faciens dicatur vapulare paucis, non tamen generaliter de omnibus hoc intelligitur; ait enim Apostolus; Qui ignorat, ignorabitur. Quod de eo intelligendum est, qui noluit intelligere ut benè ageret. *S. Isid. Hispal. dist. 37 c. 15 Ideò 1 parte Decretal.* *Luc. 12. 1. Cor. 14.*

Sicut iniqui & peccatores ministerium assequi Sacerdotale prohibentur, ità indocti & imperiti à tali officio retrahuntur; illi enim exemplis suis vitam bonorum corrumpunt; isti verò ignaviâ suâ iniquos corrigere nesciunt; quid enim docere potuerunt, quod ipsi non didicerunt? *Idem, de summo, bono, l. 3 cap. 35.* *Psal. 35.*

Nonne idolum tristitiæ & mœroris est Prælatus illitteratus & fatuus, qui in irâ Dei & populi desolatione eligitur..... ut veniat, quod loquitur in Matthæo; Cùm videritis abominationem desolationis &c. *Petr. Blesi. ep. 23 ad Octavian. Card. antè fin.*

Omne tempus doctrinæ deditum, se arbitrantur amittere; carnis voluptatibus intenti potiùs eligunt vagari quotidiè & confabulari, quàm

Sacrarum Litterarum se lectioni dare &c. Ad arentem fontem quis pergeret, ut aquam hauriret? &c. B. *Laur. Just. de compunct. & perfect. Christianâ, n.* 15 *&* 16 *part.* 1.

Si ignoret Sacerdos discernere inter lepram & lepram, nesciat qualitates criminum, quantùmque Deo displiceant, sine profectu pœnitentis proprio seipsum mucrone interimit. *Idem, de spirituali animæ interitu, lib.* 1 *num.* 15.

ARTICULUS II.

Cur Sacerdos ignarus acerbè plectendus.

SECTIO PRIMA.

Quia indoctus docendi officium suscipit.

IGNORANTIA mater cunctorum errorum, maximè in Sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. *Conc. Tolet. IV. an.* 633 *c.* 24 *dist.* 38 *c.* 1 *Ignorantia, Decretal.* 1 *parte.*

Si in laïcis vix intolerabilis videtur inscitia; quantò magis in his, qui præsunt, nec excusatione digna est, nec veniâ. *Dist.* 38 *c.* 3. *Si in laïcis. S. Leo, ep.* 22.

Desinat locum docendi suscipere, qui nescit docere.... cœcus enim, si cœco ducatum præbuerit, ambo in foveam cadunt &c. S. *Isidor. Hispal. de summo bono, l.* 3 *c.* 35.

Quandò enim excusare ignorantia posset hominem, qui se magistrum infantium, doctorem insipientium profitetur? Ignorans utiquè ignorabitur, imò & multos ignorare faciet, & ignorari. *S. Bern. declam. c.* 15 *p.* 291 *tom.* 2 *edit. Mabil.*

Nonne Ecclesiæ quoddam est dedecus inscium videre presbyterum, cui utiquè congruit eru-

dire populum & ad se confluentibus monita propinare salutis ? Nam propterea in capite turbarum præsidet ; ad hoc cathedralis dignitatis adeptus est culmen , ut verbum Dei pronuntiet plebibus , errantibus scientiæ proferat lumen , atque de omnibus , quæ ad Catholicam pertinent veritatem , rationem competentem se interrogantibus respondere sufficiat. S. *Laurent. Just. de spirituali animæ interitu , lib.* 1 *n.* 15.

SECTIO SECUNDA.

Quia creditam plebem secum in exitium trahit.

Si indoctus & insicius officium doctoris accipiat , sine dubio discipuli & auditores ignorantiæ tenebris obvoluti in interitum demergentur. S. *Clem. ep.* 1 *circà med. pag.* 89 *litt. A. Conc. Labb. tom.* 1.

Speculatores ejus cœci , omnes nescierunt , universi canes muti , non valentes latrare &c. Ipsi Pastores ignoraverunt intelligentiam : omnes in viam suam declinaverunt &c. *Isaï.* 56. 10. 11.

Propterea captivus ductus est populus meus , quia non habuit scientiam , & nobiles ejus interierunt fame , & multitudo ejus siti exaruit. *Isaï.* 5. 13.

Cœcus autem , si cœco ducatum præstet , ambo in foveam cadunt. *Matth.* 15. 14.

Districto judicio agitur , ut per eorum ignorantiam hi etiam , qui sequuntur , offendant ; hinc namque in Evangelio per semetipsam veritas dicit ; Si cœcus cœco ducatum præbeat &c. *S. Greg. part* 1 *c.* 1 *pag.* 1054 *litt. D.*

Obscurentur oculi eorum ne videant , & dorsum eorum semper incurva. Obscuratis ergo oculis dorsum flectitur , quia , cùm lumen scientiæ perdunt , qui præeunt , profectò ad portanda peccatorum curvantur onera , qui sequuntur. *Idem , ibid. pag.* 1056 *litt. A.* *Psal.* 61.

Quibus quid aliud evenire putandum est, nisi
4. Reg 17. quod illis Sacerdotibus contigerit, quos post captivitatem Israëlitici populi Rex Assyriorum in urbibus Samariæ constituerat, & divini cultûs cæremonias ignorabant? Nam, cùm nescirent Deum juxtà legalium mandatorum observantiam colere, leonum eos rabies perimebat. *Petr. Dam. opusc. 26 contrà insciitiam Cleric. in præfat.*

Sacerdotes, qui Dei legitima nesciunt, leo-
4. Reg. 17. num dentibus reponuntur; quia nimirùm illos malignorum spirituum rabies devorat, qui sacrificiorum cultui temerariis ausibus insistentes, qualiter Deus ritè colatur, ignorant, sicque funguntur officio Sacerdotum, ut Sacerdotalis officii nesciant Sacramentum. *Idem, ibidem.*

Per Sacerdotum vecordium imperitiam plebs indocta deperit. *Idem, ibidem, c. 1 initio.*

Si Sacerdos, qui unctus est, peccaverit delinquere faciens populum. Quia nimirùm Sacerdos, qui Legem Dei nesciendo delinquit, suis etiam populum in peccatis involvit, &, quos doctus relevare potuerat, secum simul per imperitiam gravat. *Idem, ibidem, cap. ultimo.*

SECTIO TERTIA.

Quia Ecclesiæ contumeliam & damnum multiplex infert.

Nullâ arte doceri præsumitur, nisi intentâ priùs meditatione discatur. Ab imperitis ergo Magisterium Pastorale quâ temeritate suscipitur, quandò ars est artium regimen animarum? *S. Greg. pastor. part. 1 c. 1 init. pag. 1053 tom. 1 edit. Paris. 1675.*

Quis autem cogitationum vulnera occultiora esse nesciat vulneribus viscerum? Et tamen sæpè, qui nequaquàm spiritualia præcepta cognoverunt, cordis se medicos profiteri non metuunt, dùm

qui pigmentorum vim nesciunt, videri medici carnis erubescunt. *Idem, ibid.*

Per Episcopalis torporis ignaviam ità nunc Presbyteri litterarum reperiuntur expertes, ut non modò eorum, quæ legerint, intelligentiam non attingant, sed syllabatim quoque vix ipsa decurrentis articuli elementa balbutiant. Et quid jàm pro populo in suis precibus supplicat, qui, quod loquitur, ipse velut alienus ignorat? Scriptum est enim; Qui ignorat, ignorabitur. *Petr. Damian. opusc. 26 contrà insciitiam Cleric. præfat. init.*

Cùm Apostolus obsequium nostrum rationabile esse præcipiat, quomodò illic rationabile erit obsequium, ubi is, qui offert, oblationis suæ non concipit intellectum? *Idem, ibid.*

Sicut per illorum (Sacerdotum) imperitiam factum est, quod Scriptura testatur; Unaquæque, inquit, gens fabricata est Deum suum, posueruntque eos in fanis excelsis.... ità nunc per pseudo-Sacerdotum ignorantiam.... fieri dolemus; ut scilicet alii, quorum Deus venter est.... luxuriam colant; alii avaritiam, quæ est idolorum servitus, venerentur; alii rapinis.... sacrilegâ devotione deserviant, & sic diversis criminibus tanquam simulachris & sculptilibus obsequium servitutis impendant. *Id. ibid.*

Quid enim periculi sit, ubi non invenit Pastor pascua, ignorat dux itineris viam, vicarius nescit Domini voluntatem, Ecclesia quotidiè multipliciter & miserabiliter experitur? *S. Bern. declam. c. 15 pag. 291 litt. E. tom. 2 edit. Mabil.*

Qui nihil didicit, aliorum doctor efficitur, & quasi æs sonans aut cymbalum tinniens usurpat prædicantis officium, cùm sit truncus inutilis, & idolum mutum. *Petr. Bles. ep. 23 ad Octavian. Cardinal. paulò post initium, pag. 41 col. 1 edit. Paris. 1672.*

Nonne idolum tristitiæ & mœroris est Prælatus illiteratus & fatuus, qui in irâ Dei & populi desolatione eligitur, & quasi idolum eligitur, ut veniat quod legitur in Matthæo; Cùm videritis abominationem desolationis, stantem in loco sancto, id est, in Ecclesiâ Dei, tunc væ prægnantibus & nutrientibus; illi enim, qui spiritum salutis conceperant, exemplo talium suffocantur; qui verò vitæ cœlestis alimenta petebant, nullo verbi divini pabulo sustentantur; Parvuli, inquit Propheta, petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis. *Idem, ibidem, paulò antè finem.*

Nonne Ecclesiæ quoddam est dedecus insscium videre presbyterum. *S. Laurent. Justin. de spirit. animæ interitu, lib. 1 n. 15.*

Quantùm in Sacerdotibus ignorantia detestanda, quàmque perniciosa sit corpori Ecclesiæ facilè colligitur. *Idem, ibidem. n. 16.*

ARTICULUS III.

Scientia quàm Clericis necessaria.

PResbyterorum, qui præsunt Ecclesiæ Christi.... ministerium esse videtur, ut in doctrinâ præsint populis. *Concil. Aquisgran. ann. 836 cap. 2 de vitâ & honest. clericor. can. 5 p. 1711 tom. 7 Conc. Labb.*

Qui Hierarcham dicit, is virum divino numine afflatum divinumque declarat, qui omni sacrâ scientiâ sit præditus. *S. Dionys. Eccles. Hierarch. cap. 1 circà medium.*

Non sufficit Prælatis bona conversatio & morum honestas, nisi addatur scientia doctrinæ: undè Sacerdotes ingressuri Tabernaculum priùs lavabantur in labro æneo, quod fecerat Moses ex speculis mulierum; hinc etiam in Canticis Canticorum oculi, per quos Prælati Ecclesiæ

siæ intelliguntur, assimilatur columbis, quæ residunt juxtà fluenta plenissima. *Zozimus Papa apud Gratian dist. 36 c. 2. Qui Ecclesiast. in fin. 1 parte Decret.*

Ubi sunt, qui innocentiam Sacerdoti dicunt posse sufficere? Vetus lex novæ congruit. Idipsum Moses, quod Apostolus; ille Sacerdotis scientiam ornat in vestibus, iste Timotheum & Titum instruit disciplinis. *S. Hieron. ad Fabiolam, de veste Sacerdot. antè fin. pag. 42 col. 2 litt. F. tom. 3 edit. Francof. 1684.*

Hinc namque est, quod in Templi ministerio in basibus Templi sculptorio opere..... Cherubin expressa sunt; Cherubim quippè est plenitudo scientiæ..... Quid enim aliud designant bases in Templo, nisi Sacerdotes in Ecclesiâ Dei.... In basibus igitur Cherubim exprimuntur, quia decet nimirùm ut Sacerdotum pectora plenitudine scientiæ sint referta. S. *Greg. hom. 17 in Evang. circà med. pag. 1397 litt. D. tom. 1. edit. Paris. 1675.*

Summoperè necesse est præcaveri, ut in ordinandis offerendisve ministris non communicemus peccatis alienis, criminosos videlicet ad Sacerdotium provehendo, aut, quod adhuc multò deterius est ignorantiâ cœcos. *S. Agobardus Episc. Lugdun. de privilegio & jure Sacerdotii, n. 18 pag. 270 col. 2 litt. G. Libliot. Lugd. t. 14.*

Amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem, 1. ad Tit. 1 Aliquid amplectens, illud diligenter constringit, & amplexus ex dilectione fit; oportet enim eum scientiæ inhærere cum amplexu, id est, firmâ adhæsione animi, & cordis dilectione. *S. Thom. in suprà dictum locum, 1. ad Tit. 1. 3 init.*

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Ut populos doceant.

Si Sacerdotum ordo illustrandi vim habet, profectò penitùs abhorret à Sacerdotum ordine atque facultate is, qui illustrandi vi non est præditus, ac multò magis is, qui illustratus non est. *S. Dionys. ep. 8 ad Demoph. circà medium.*

Modestum esse oportetSacerdotem, eundemque perspicacem, atque innumeros quoquoversùs oculos circumferre; quippè qui non sibi uni tantùm sed & tantò vivat populo. *S. Chrys. lib. 3 de Sacerdot. c. 12 tom. 4 pag. 41 litt. D. edit. Front. Duc.*

Si Clericatûs te titillat desiderium, discas quod possis docere, & rationabilem Deo offeras hostiam, ne miles antequàm tyro, nec priùs magister sis quàm discipulus. *S. Hier. ep. 4 ad Rusticum Monachum. Refertur 16 q. 1 c. 27. Si Clericatûs.*

Si Episcopi tantùm sancta sit vita, sibi soli prodest sic vivens. Porrò, si & doctrinâ & sermone fuerit eruditus, potest cæteros quoque instruere, & docere suos, & adversarios revincere. S *Isidor. Hispal. lib. 2 de Offic. Ecclesiast. c. 5 de Sacerdotibus, longè post med. pag. 599 col. 1 litt. P. edit. Paris.* 1601.

Quomodò in pascua Divinorum educet Eloquiorum greges Dominicos Pastor idiota? *S. Bern. serm. 76 in cant. sub. fin. pag. 1538 litt. A. tom. edit. Mabil.*

Maximè pertinet ad officium Sacerdotis, ut sit potens in doctrinâ sanâ. *Petr. Blesens. serm. 50 ad Sacerdotes, in Synodo, super vers. 12 c. 6 Levit.*

§. II.

Ut Ecclesiasticam tueantur disciplinam.

Multùm omninò ad Ecclesiæ ædificationem confert, si Præsules doctrinæ gratiâ polleant; quæ, nisi adsit, plurima Ecclesiasticæ disciplinæ peribunt. S. *Chrys. hom. 15 in c. 5 ep. 1 ad Timot. in hæc verba;* Oportet Episcopum doctorem esse, *pag.* 1393 *litt. D. tom.* 4 *edit. Paris.* 1581.

§. III.

Ut errores præcaveant, eisque se opponant.

Tales ibi (scilicet in scholis) erudiantur, quibus meritò dicatur à Domino; vos estis sal terra; & qui condimentum plebibus esse valeant, & quorum doctrina non solùm diversis hæresibus, verùm etiam Anti-christi monitis, & ipsi Anti-christo resistatur, ut meritò de illis in laude Ecclesiæ dicatur; Mille Clypei pendent ex eâ, omnis armatura fortium. *Conc. Cabillon. II. cap.* 3 *an.* 813.

Facillimè zelo tuo spiritus illudet erroris, si scientiam negligas. *S. Vern. serm. 19 sub. fin. p.* 1325 *litt. F. tom.* 1 *edit. Mabil.*

ARTICULUS IV.

Quænam præsertim scire teneantur Clerici.

1°. *Fidei dogmata.*

PRIMO omnium fidem Catholicam, (id est Symbolum S Athanasii) omnes Presbyteri & Diaconi seu Subdiaconi memoriter teneant, ut, si quis hoc faciendum prætermittat, quadraginta diebus à vino se abstineat. *Atto* II. *Episc. Vercellens. Capitular. cap.* 4 *tom. 8 spicileg. pag.* 3.

2°. *Legem Dominicam Scripturamque Sacram.*

Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent de ore ejus. *Malach. 2 7.*

Interroga Sacerdotes legem, (dicit Aggæus Propheta 2 v. 12.) Considera Sacerdotum esse officii, de lege interrogatos respondere: si Sacerdos est, sciat legem Domini; si ignorat legem, ipse se arguit non esse Domini Sacerdotem; Sacerdotis enim est scire legem, & ad interrogationem respondere de lege. *Conc. Paris. VI. c. 12 ex S. Hieron. pag. 1607 litt. D. t. 7 Conc. Labb.*

Sacræ Scripturæ prorsùs expertes onus importabile dignitatis usurpant. *Petr. Bles. ep. 25 ad Octavian. Cardinal. post init.*

Scientia legis in eis esse debet, non quidem ut sciant omnes quæstiones legis difficiles, quia in his debet ad superiores haberi recursus; sed sciant, quæ populus debet credere & observare de lege. *S. Thom. in 4 dist. 24 quæst. 1 art. 3 ad 1. 2. quæstionis.*

3°. *Ecclesiæ Canones.*

Sciant Sacerdotes Scripturas Sacras, & Canones. *Conc. Toletan. IV. an. 633 c. 25 dist. 38 c. Ignorantia. Item Atto II. Vercellens. Ep. Capitular. cap. 3.*

Convenit Sacerdotali ministerio scire formam Evangelicam, documenta Apostolica, Canonum instituta. *Conc. Aquisgran an. 836 cap. 2 Can. 4 pag. 1707 tom. 7. Conc. Labb. sub Greg. IV. & Ludov. Pie.*

Nulli Sacerdotum liceat Canones ignorare. *Cœlestin. Papa, dist. 38 c. Nulli.*

Ignorare nunquàm licuit Sacerdotem, quod Canonum fuit regulis definitum. *S. Leo, epist. 1 cap. 2.*

4°. *Sacramentorum ritus.*

Quatuor præcipuè locos Catechiſmi Romani, doctrinam de duodecim fidei articulis, de ſeptem Sacramentis, de decem præceptis, de oratione Dominicâ in promptu atque explicatè habere omni ſtudio contendite. Cùm iis & præceptorum Eccleſiæ cognitionem, & preces horarias recitandi peritiam, & Eccleſiaſticorum rituum cærimoniarumque notitiam conjungite. *Conc. Mediolan. IV. part. 3 tit. Monitiones, longè poſt initium.*

Quæ ipſis Sacerdotibus neceſſaria ſunt ad diſcendum, id eſt, Liber Sacramentorum, Lectionarius Antiphonarius, Baptiſterium, Computus, Canon pœnitentialis, Pſalterium, Homiliæ per circulum anni Dominicis diebus, & ſingulis Feſtivitatibus aptæ. Ex quibus omnibus, ſi unum defuerit Sacerdotis nomen, vix in eo conſtabit, quia valdè periculoſæ ſunt Evangelicæ minæ, quibus dicitur; Si cœcus cœco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt. *S. Aug. aut Beda, diſt. 38 c. Quæ ipſis.*

Quoniam populus ad fidem vocatus viſibilibus Sacramentis inſtituendus eſt, ut per exhibitionem viſibilium pertingere poſſit ad intellectum inviſibilium, noſſe oportet Domini Sacerdotes, qui hæc Sacramenta contrectant, modum & ordinem Sacramentorum, & veritatem rerum ſignificatorum; alioquin diſpenſatores tantorum myſteriorum ſunt, tanquam cœci, duces cœcorum, tantùm utilitatis indè habituri, quantùm capiunt jumenta, quæ portant panem ad uſus aliorum. *Yvo Carnot. ſerm. de Sacram. Neophitor. in Synodo, init.*

Diſtrictè præcipimus ut Epiſcopi promovendos in Sacerdotes diligenter inſtruant & informent..... ſuper divinis officiis Eccleſiaſticif-

que Sacramentis, qualiter ea ritè valeant celebrare. *Innoc.* III. *de ætate & qualitate ordinandorum, cap. 14. Cùm sit ars. Decret. Greg. lib. 1 tit. 14.*

ARTICULUS V.

Qualis esse debeat Clericorum scientia.

1°. *Non sæcularis.*

INANIS gloriæ sublimiter negligens piscatorum prædicationes Tullianis omnibus & tuis Litteris prætulisti. Confugisti ad pietatis silentium, ut evaderes iniquitatis tumultum. Mutescere voluisti mortalibus, ut ore puro divina loquereris, & pollutam caninâ facundiâ linguam Christi laudibus.... expiares. *S. Paulin. epist. de Sever. I. longè antè med. pag. 164 col. 2 litt. E. tom. 6 B. bl. Lugd.*

Esto Peripateticus Deo, Pytagoræus mundo, veræ in Christo sapientiæ prædicator, & tandem tacitus vanitati pernicioſam istam inanium dulcedinem litterarum quasi illos patriæ obliteratores de baccarum suavitate lotophogos, ut syrenarum carmina, blandimentorum nocentium cantus evita. *Idem, ep. 38 ad Jovium, post medium, pag. 232 col. 1 litt.* B. *tom. 6 bibl. Lugd.*

Vinum sæcularis scientiæ, quæ inebriat, sed curiositate, non charitate; implens, non nutriens; inflans, non ædificans; ingurgitans, & non confortans. *S. Bern. serm. 9 in cant. post med. pag. 1290 litt. D. tom. 1 edit. Mabill.*

2°. *Non vana.*

Ne Clerici apud se libros habeant aut legant, quorum lectione benè agendi studium, morum

disciplina, & timor, charitasque Dei languescere possit; quales libri sunt, qui res vel inanes, vel jocosas, vel scurriles, ridiculasve, vel impuras continent. *Concil. Mediolan. IV. part. 3 tit. de vit. & hon. Cleric. post med.*

Libros de rebus jocosis, ridiculis, obscœnis, inanibus, ad Poësisque prophanæ studium pertinentibus, vulgari aut Latino sermone conscriptos procul abjicite. *Ibid. tit. Monitiones.*

Occupatus es, vacat tibi, ut & Philosophus sis; non vacat, ut Christianus sis Verte potiùs sententiam. *Sanct. Paulin. Episc. ad Jovium post medium, pag. 232 col. 1. litt. A. tom. 8 Bibl. Lugdun.*

Sis Dei Philosophus & Dei vates non quærendo, sed imitando Deum. *Idem, ibid.*

Ille erat lucerna ardens & lucens; est enim tantùm lucere, vanum; tantùm ardere, parùm; lucere & ardere, perfectum. *S. Bern. serm. in Nativ. S. Joan. Bapt. n. 3 p. 983 tom. 1 edit. Mabil.*

Æmulare consilio Apostoli charismata meliora, & in corde tuo devoret draco Moysi draconem Pharaonis; id est, veritatis scientia scientiam vanitatis. Non enim ascendet in montem, neque stabit in loco sancto ejus, qui in vano accepit animam suam. *Petr. Blef. ep. 140 ad Cleric. Regis Angl. init.*

Illi sunt, qui semper circumeunt montem Seïr, nec unquàm terram promissionis introëunt. *Idem, ibidem.*

Dat eis Deus Cœlum æneum & terram ferream, ut sint sine affectione & sine devotione; ut sint terra sine aquâ, quasi montes Gelboë, super quos nec ros nec pluvia descendit. *Idem, ibidem.*

3°. *Non instans.*

Rejectâ ergo scientiâ, quæ in perniciem

trahit, apprehende scientiam, quæ ædificat ad salutem *Idem, circà med. pag. 218 col. 2 edit. Paris. 1672.*

Dedit tibi Dominus scientiam Sanctorum; qui hanc scientiam apponit, apponit & dolorem, non gloriam.... dolorem, de quo quidam pœnitens dicit; Et dolor meus in conspectu tuo semper: non humanam gloriam, quæ est ventus urens, cœlestis gratiæ fluenta deficcans. *Idem, de instit. Episc. post med. pag. 450 col. 2 edit. Paris. 1672.*

ARTICULUS VI.

Quomodò comparanda.

SECTIO PRIMA.

Non vanâ prophanorum lectione.

POST noctium crebras vigilias, post lachrymas, quas mihi præteritorum recordatio peccatorum ex imis visceribus eruebat, Plautus sumebatur in manus. Si quandò in memetipsum reversus Prophetam legere cœpissem, sermo horrebat incultus; & quia lumen cœcis oculis non videbam, non oculorum putabam culpam esse, sed solis. *S. Hieron. ep. 22 ad Eustoch. c. 13 circà med. pag. 148 col. 1 litt. B. tom. 1 edit. Paris. 1643.*

Nunc etiam Sacerdotes Dei omissis Evangeliis & Prophetis comœdias legere, amatoria Bucolicorum versuum verba canere, Virgilium tenere, id quod in pueris necessitatis est crimen in se facere voluptatis. *Idem, epist. 146 ad Damas. antè med. p. 789 col. 1 litt. C. tom. 3 edit. Paris. 1643.*

Dist. 37. c. Sacerdotes.

Negant Camænis, nec patent Apollini dicata Christo pectora. *S. Paulini, epist. 2 ad Auson.*

inter poëmata S. Paulinus, pag. 257. col. 1. t. 6 Bibl. Lugd.

De fabularum Gentilium moralitate quandoquè forma eruditionis elicitur quoniam fas est & ab hoste doceri. Dominus etiam populum suum peculiarem auro & argento & omni supellectili Ægyptiorum honorari voluit & ornari. *Petr. Blef. ep.* 91 *ad Radulphum Lexovienf. Epifc. paulò poft init.*

Verba lepida habet (prophana scientia) sed sunt folia sine fructu, nugæ canoræ & Syrenes usque in exitum dulces. *Idem, ep.* 140 *ad Petr. Cleric. Regis Angeliæ, antè med.*

SECTIO SECUNDA.

Non temerariâ myfteriorum perfcrutatione.

Sicut, qui mel multùm comedit, non est ei bonum; sic, qui scrutator est Majestatis, opprimetur à gloriâ. *Prov. 25. 27.*

A fide quidam perverteruntur, dùm rationibus omnia colligere quærunt; naufragium quippè hujusmodi raciocinatio gignit, fidesque veluti navis tutissima est. *S. Chryf. hom. 5 in ep. 1 ad Timot. c. 1 antè med. p. 1440 litt. C. tom. 4 edit. Parif. 1581.*

Quos tradidi satanæ, ut discant non blasphemare &c. Vides ut blasphemia sit rationibus divina velle discutere, & ità nihil commune habet humana ratio collata divinis. *Idem, ibid. litt. D.*

Rom. 12. v. 3. Non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Alta nimirùm sapere, mors est; & facilè periclitatur, qui se in eminenti considerans obtupescit. *Petr. Blef. ep.* 140 *ad Petr. cleric. Regis Angl. poft med. p.* 219 *col.* 1 *edit. Parif.* 1672.

Sacramentorum autem ratio & inquisitio cessset, claudatur puteus, ne bos in eum aut asi- *Amos. 2. 2.*

Hebr. 12. 20. nus cadat, ne periculosè nimis; ossa Regis Idumeæ rediguntur in cinerem; & bestia, quæ montem tetigerit, lapidetur. *Idem, ibidem.*

SECTIO TERTIA.

Sed studio sancto & oratione.

Utilis proindè lectio, utilis eruditio est; sed multò magis unctio necessaria, quippè quæ sola docet omnibus. *S. Bern. declam. c. 15 p. 291 litt. E. tom. 2 edit. Mabil.*

Falleris, fili, falleris, si te putas invenire apud mundi magistros scientiam, quam soli discipuli Christi, id est, mundi contemptores Dei munere assequuntur; non enim hanc lectio docet, sed unctio; non littera, sed spiritus; non eruditio, sed exercitatio in mandatis Dei. *S. Bonav. in Pharetr. lib. 1 c. 25 S. Bern. ep. 108 ad Thomam de Sancto Audomaro.*

CAPUT XVIII.

Non secundùm consuetudinem, sed secundùm sacros Canones vivat.

MALA consuetudo, quæ non minùs, quàm perniciosa corruptela, vitanda est, nisi citiùs radicitùs evellatur, in privilegiorum jus ab improbis assumitur, & incipiunt prævaricationes & variæ præsumptiones celerrimè non compressæ pro legibus venerari, & privilegiorum more perpetuò celebrari. *Conc. Suess. III. an. 866 in ep. 21 col. 1 ad Hincmar sub finem, & refertur dist. 8 c. Mala consuetudo.*

Nec sub obtentu cujusquam consuetudinis reatum suum quis tueatur, quia diuturnitas temporis non diminuit peccata, sed auget.

Alexand. III. *in Conc. Turon. Refertur c. Non satis, de simoniâ, Decret. Greg. lib. 5 tit. 2 cap. 8.*

Nec consuetudo.... impedire debet quominùs veritas prævaleat & vincat; nam consuetudo sine veritate, vetustas erroris est: propterea relicto errore sequamur veritatem. *S. Cyprian. ep. ad Pompeium, antè fin. edit. Priorii 1666 p. 132.*

Facitis quod fieri cernitis, non quod fieri oportere confiditis; nimirùm, quia apud vos plus valet nullam habens consuetudo rationem, quàm rerum inspecta natura veritatis examinatione ponderata. *Arnob. lib. 7 adversùs gentes, post medium, pag. 507 litt. C. tom. 5 Bibl. Lugdun.*

Quandò paternarum, ac gularum despiciuntur inventa, nec eorum, quæ benè instituta sunt, firmitas vindicatur, hujusmodi impietates necesse est fidei supervenire; nam, ubi facilis dissolutio est rationabilis constituti, ibi omnis sanctitatis forma corrumpitur, Christus impetitur. Et quis hoc fidelium patienter accipiat, institutæ Patrum reverenda calcantur? *Symmach. I. Papæ epist. 8 ad Orientales &c. circà med. pag. 1302 litt. C. tom. 4 Conc. Labb.*

Interrogemus Prophetas, interrogemus Apostolos, interrogemus sacrorum Canonum edicta, atque cæterorum Sanctorum Patrum instituta, &, quod ab eis didicerimus.... certissimè teneamus; nullis novis consiliis decipiamur ut ea, quæ ipsi sanxerunt, violare aliquomodò conemur; quoniam, qui illorum contendit regulis impugnare restat ut eorum non mereatur consortium obtinere. *Atto* II. *Vercellens. Episc. tract de pressuris Ecclesiasticis, part. 2 sub fin. pag. 86 tom. 8 spicilegii.*

Hic planè jure fungitur Sacerdotio, qui regulis non obviat Patrum, qui paternum non

violat institutum. *B. Petr. Dam. opusc. 26 c. 3 init.*

Consuetudo.... plurima sæpè vitia quasi naturalia in neglectâ conscientiâ efficere solet. Consuetudo, sicut Philosophi docere, solent est secunda natura. *S. Bern. de vitâ solitariâ ad Frat. de monte Dei, col. 1049. edit. Paris. 1640 edit. verò Mabil. c. 15 pag. 225 litt. A. tom. 2 dub.*

Adhæsio tam pertinax consuetudinis, ut vix à se eam natura excutiat. *Idem, ibid.*

Nisi pertinaci studio & prudenti operâ expugnata fuerit consuetudo, leniri potest, vinci vix potest. *Idem, ibid. litt. D.*

Multa per patientiam tolerantur, quæ, si in judicium fuerint deducta, justitiâ cogente cassarentur. S. *Thom. q. lib dilibet 9 art. 15.*

CAPUT XIX.

Non tempori serviat, sed veritati.

INTOLERABILIUS est, quod allegant, oportere scilicet servire tempori; quasi spiritus Christi & Evangelica norma mutari debeant cum tempore, ac opinionibus & affectibus hominum servire, cùm potiùs omnia tempora sint Evangelicæ institutioni conformanda & juxtà normam Evangelici atque Apostolici spiritûs reformanda. Officium carnis, non spiritûs est, quòd nostra tempora non ferant illam antiquorum Patrum modestiam & humilitatem externam. Officium carnis est semper excogitare apparentes rationes, quibus se muniat & commoda sua defendat. Nec desunt ei innumeri Doctores & patroni, qui partes ejus tueantur; at verba Dei & Sanctorum testimonia firma stant...

promulgata non sunt, ut varientur cum tempore, sed ut illibata permaneant in omni tempore, & eis serviant omnia tempora. *Barthol. à Martyr. Arch. Brachar. slim. pastor. part. 2 c. 6 circà med*

CAPUT XX.

Singularitates probatas sectetur, fugiat vitiosas.

ANGUSTA est porta, & arcta via, quæ ducit ad vitam; & pauci sunt, qui inveniunt eam. Considera ergo te de paucis & electis effectum, & ne exemplo ac tepore multitudinis refrigescas; sed vive ut pauci, ut cum paucis inveniri merearis in regno Dei; multi enim sunt vocati, pauci verò electi. *Cassian. lib. 4 instit. cap 38.*

Multi excusationem dicere solent; Non est ad extrema declinandum, communis via tenenda est. Profectò, si antiqui Sancti & Pastores non tenuissent extrema, nec declinassent ad Apostolicas singularitates, nunquàm, neque sancti fuissent, neque Kalendaria nostra suis nominibus ornassent, neque Breviaria gestis suis implessent: qui autem tritam secuti sunt viam, vel ignorantur eorum nomina, vel sordent, nec semen Sanctum post se reliquerunt *Barthol. à Martyribus Archiep. Brachar. slim. pastor. part. 2 c. 6 antè medium.*.

Si trita sequenda est via, quarè B. Gregorius electus in Pontificem mox è domo suâ omnes sæculares juvenes explosit? &c. *Idem, ibidem.*

Profectò non est superba singularitas, quòd

unus aut alter Episcopus hujus ætatis nolit conformari in fulgore statûs Episcopis sui sæculi; imò maxima superbia & damnanda singularitas est eorum, qui audacter documentis & exemplis antiquorum Patrum contradicunt. *Idem, ibidem.*

Finis Partis Sextæ.

FORMA CLERI

PARS SEPTIMA.

DE PRÆCIPUIS CLERICORUM MUNIIS.

CAPUT PRIMUM.

Suſcepti Ordinis munus Obire.

ARTICULUS PRIMUS.

Religionis officiis vacare præcipuum Clericorum munus.



Clericum inter tentationes ab officio ſuo declinantem vel negligentiùs agentem ab officio ſuo removendum. *Conc. Carthag. IV. Can. 50 an. 398 Refertur diſt. 91 c. Quilibet.*

Clerici, qui officium ſuum implere deſpiciunt, aut vice ſuâ ad Eccleſiam venire de-

trectant, loci sui dignitate priventur. *Concil. Aurelian. II. Can. 14. an. 533.*

Ministerium vestrum explere studete, sanctissima studia religionis & officii vestri rebus aliis potiora ducite. *Conc. mediol IV. p. 3 tit. Monitiones, antè med. pag. 529 litt. D. tom. 15 Conc. Labb.*

Quid ergo jàm restat, nisi ut ii, qui jam Deo facti sunt sacrificium, & à mundi hujus servilibus sint operibus liberi, & solis divini famulatûs vacent obsequiis mancipati. *Petr. Dam. opusc. 18 contrà Clericos intemper. c. 2 init.*

Officium vestrum agnoscite, & implete. *Pontific. Rom. ad Lectorem.*

ARTICULUS II.

Cur susceptí Ordinis munia libenter exercere debeant Clerici.

SECTIO PRIMA.

Quia id Christus præcipit & Ecclesia.

EGO elegi vos, & posui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. *Joan. 15. 16.*

Minores Ordines.... per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videbitur, conferantur, ut... in unoquoque munere juxta præscriptum Episcopi se exerceant. *Conc. Trid. sess. 23 cap. 11.*

Nullus in posterum ordinetur, qui illi Ecclesiæ, aut pio loco, pro cujus necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus. *Idem, ibidem, c. 16 de Reformat.*

Ut sanctorum Ordinum à Diaconatu ad Ostiariatum functiones ab Apostolorum tempori-

bus in Ecclesiâ laudabiliter receptæ, & pluribus in locis aliquandiù intermissæ, in usum juxta sacros Canones revocentur, nec ab hæreticis tanquam otiosæ traducantur; illius pristini moris restituendi desiderio flagrans sancta Synodus decernit, ut in posterum hujusmodi ministeria non nisi per constitutos in dictis Ordinibus exerceantur, omnesque & singulos Prælatos Ecclesiarum in Domino hortatur & illis præcipit, ut, quantùm fieri commodè poterit in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, & Parochialibus suæ Diœcesis, si populus frequens & Ecclesiæ proventus id ferre queant, hujusmodi functiones curent restituendas, & ex aliquâ parte redituum aliquorum simplicium. Beneficiorum vel fabricæ Ecclesiæ, si proventus suppetant, aut ex utriusque illorum eas functiones exercentibus stipendia assignent: quibus si negligentes fuerint, Ordinarii judicio aut ex parte mulctari aut in totum privari possint. *Idem, ibidem, c.* 17 *de Reform.*

Non ad dominationem vocati sumus, sed ad opus. *Conc. Colon. p.* 2 *c.* 23 *an.* 1536.

Episcopi ex Trid. Conc. præscripto veteres sacrorum Ordinum functiones, quibus in locis intermissæ sunt, ad usum revocandas omni diligentia curent. *Conc. Mediol. I. p.* 2 *tit. De funct. Min. Ordin.*

Minorum Ordinum functiones ac munera à singulis Clericis pro eorum, quibus initiati sunt, Ordinum ratione præstentur. *Conc. Mediol. IV. p.* 2 *tit. Quæ pertinent ad Sacram. Ordin. sub fin.*

Qui aliquo... Ordine initiandus est, testimonium... afferat... de Ordinis, quem proximè suscepit, functionibus à se præstitis. *Idem, ibidem.*

Illud autem unusquisque Clericus sæpè repetat se non ad inertiam atque ignaviam, sed

ad spiritualis & Ecclesiasticæ militiæ labores vocatum esse. *Idem, p. 3 tit. De vitâ & honest. Cleric.*

Clericus primâ Tonsurâ initiatus... Clericalis vitæ instituta obeat, doctrinæ Christianæ exercitationes adjuvet.... Sacerdoti celebranti ritè ministret; Ecclesiæ solemnitatibus interfit, ut divinorum officiorum ritibus & cerimoniis disciplinæque Ecclesiasticæ usu erudiatur. *Synod. Ferrar. an.* 1612. *Decret.* 105 *tit. Cler. &c.*

Nauticam legem laudo, quæ gubernatori futuro primùm remos tradit, deindè ad proram eum collocat, sicque prioribus muneribus ipsi commissis tandem eum post diuturnam remigationem ac ventorum observationem ad gubernacula constituit. *S. Greg. Naz. orat.* 20 *n.* 48.

SECTIO SECUNDA.

Quia munia hæc eximia sunt ac præstantissima.

Beati servi tui, qui assistunt coram te, omni empore. 2 *Paralip. 9. 7.*

Quicunque Clericus alicui Ecclesiæ ascriptus, ubi Ordinis à se suscepti functiones obeat, memor complurium Sanctorum, qui vel toto vitæ tempore vel multis saltem annis in alicujus etiam Minoris Ordinis ministerio munereve religiosè versati ad altiorem se Ordinis gradum provehi passi non sunt. *Conc. Mediol. V. p. 3 tit. De initiandis Ordin. Sacram.*

In omnes cæremonias pia (Nepotiani) sollicitudo dispositа non minus non majus negligebat officium; ubicunque eum quæreres, in Ecclesiâ invenires. *S. Hier. ep. 3 ad Heliodor. de morte Nepotian. post med.*

Mens Christo dedita æquè in majoribus & in minoribus intenta est. *Idem, ibid.*

Lex nihil, quod ad divinum cultum pertineat, exiguum existimare permittit, aut ejus-

modi, quod Sacerdotali operâ fit indignum. S. *Cyril. Alex. de adorat. in spir & verit. lib. 12 qui est de Sacerdot. pag. 473 litt. C. tom. edit. Paris. 1638.*

SECTIO TERTIA.

Quia sancta sunt & difficilia.

Quomodò sine exercitio doctrina, aut sine usu profectus? Qui disciplinam bellicam vult assequi; quotidiè exercetur armis, & tanquam in procinctu positus præludit prœlium, & velut coram posito prætendit hoste, atque ad peritiam vireisque jaculandi vel suos explorat lacertos vel adversariorum declinat ictus, & vigilanti exit obtutu. Qui navim in mari regere gubernaculis studet, vel remis ducere, priùs in fluvio præludit. Qui canendi suavitatem, & vocis affectant præstantiam, priùs sensim canendo vocem excitant. Et qui viribus corporis legitimoque luctandi certamine corónam petunt, quotidiano usu palestræ durantes membra nutrientes patientiam laborem assuescunt. Hæc ipsa natura nos in parvulis docet, quòd priùs sonos meditantur loquendi, ut loqui discant. S. *Ambros. lib.* 1 *Offic. c.* 10.

ARTICULUS III.

Quomodò Ordinum suorum munus exercere debeant Clerici.

QUI benè ministraverint, bonum gradum sibi acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ est in Christo Jesu *1. ad Tim. 3. 13.* Illud sedulò curet, atque adeò efficiat ut Ordinis, quo proximè initiatus, est præscriptas func-

tiones non elatè sed humiliter, non rarò sed frequenter, non negligenti studio sed accuratâ verèque Clericali sollicitudine & disciplinâ, piè, rectè atque ritè præstet; alioqui si in sanctis his functionibus negligenter, contraque ac præceptum est, se gesserit, illud norit eo voluntati testimonio sibi apud Episcopum aditum præcludere ad altiorem gradum ascendendum. *Conc. Mediol. V. p. 3 tit. De initiand. Ordin. Sacram. antè finem.*

Clerici quicunque Ecclesiæ adscripti Ordinis à se susceptì functiones .. obeant, ut Trid. Conc. statutum est, non elatè sed humiliter, non rarò sed frequenter, non negligenti quâdam consuetudine sed accuratâ verèque Clericali sollicitudine; alioquin si in sanctis iis functionibus negligentes fuerint, norint sese non solùm aditum sibi præcludere apud nos, ad altiorem gradum ascendendi, sed pœnis prætereà gravioribus... fore obnoxios. *Synod. Ferrar. Decret. 105 tit. 1.*

Non coronabitur, nisi qui legitimè decertet... Quid est, legitimè? Non sufficit, inquit, si quis in certamen tantùm descendat, si solùm ungatur aut congrediatur tantùm... Sed nisi per omnia certaminis servaverit legem... ut omnia prorsùs observet, quæ certantibus congruunt. *S. Chrys. hom. 4 in epist. 2 ad Tim. cap. 2 longè post init.*

Qui in his, quæ inferiora sunt, diligentiam suam vigilantiamque monstraverint, facilè & ad ea, quæ sunt superiora atque excellentiora, pervenient. *Idem, hom. 11 in hæc verba. 1 ad Timot. 3* Qui benè ministraverint, bonum gradum sibi acquirent, *post init.*

In Sacerdotium ii omnium maximè contumelioſi sunt, qui malè illud ac sceleratè administrant. *S. Isid. Pelus. lib. 2 ep. 52 Theodosio Episcopo, init.*

Oza fuit percussus à Domino, eò quòd in Arcam Domini manus devotè quidem, sed indignè porrexerit. *Petr. Bles. ep 10.*

Qui benè ministraverint in Minoribus Ordinibus, gradum sibi bonum acquirent, ut sint vel fiant Sacerdotes vel Episcopi in bonum & utilitatem tam sui, quàm aliorum. *Hugo Card. in 1 ad tim 3.*

CAPUT II.

Animarum saluti incumbere.

ARTICULUS PRIMUS.

Clerici ac præsertim Sacerdotes animarum saluti promovendæ se totos devovere debent.

SI quis ordinatus Episcopus non susceperit officium & curam populi sibi commissam, hic communione privetur, quoadusquè consentiat obedientiam commodans, similiter autem Presbyter & Diaconus. *Can. Apost. 33 tom. 1 Conc. Labb. pag 51.*

Idcircò nempè nos ille elegit, ut simus quasi luminaria, ut veluti fermentum evadamus.... ut veluti Angeli cum hominibus versemur in terris, ut tanquam viri cum infantibus pueris, quasi spirituales cum animalibus, ut ex contubernio nostro ingentia illi lucra, conquirant, ut semina simus, ut fructum lætissimum asseramus; nihil opus esset verbis, si in hunc modum vita nostra sanctitatis luce fulgeret. *S. Chrys. hom. 10 in ep. 1 ad Tim. post med.*

Contra justitiam faciunt hi, qui merito suæ conversationis vel eruditionis electi otiosum studium fructuosæ utilitati regendæ multitudinis anteponunt, &, cùm possent laboranti Ecclesiæ subvenire, operosæ administrationis laborem fruendæ quietis contemplatione refugiunt. S. *Prosper, sive Jul. Pomer. lib. 3 de vit. contempl.*

Moyses ait; Ut uxorem fratris sine filiis defuncti superstes frater accipiat, atque ad nomen fratris filios gignat; quam si accipere fortè renuerit, huic in faciem mulier expuat, unumque ei pedem propinquiùs discalciet, ejusque habitaculum domus discalceati vocetur. Frater quippè defunctus ille est, qui post resurrectionis gloriam apparens dixit; Ite, nunciate fratribus meis; qui quasi sine filiis obiit, quia adhuc electorum suorum numerum non implevit. Hujus scilicet uxorem superstes frater sortiri præcipitur, quia dignum profectò est, ut cura sanctæ Ecclesiæ ei, qui hanc benè regere prævalet, imponatur. Cui nolenti in faciem mulier expuit, quia quisquis ex muneribus, quæ perceperit, prodesse aliis non curat, bonis quoque ejus sancta Ecclesia exprobrans ei quasi in faciem salivam jactat. Cui ex uno pede calceamentum tollitur, ut discalceati domus ejus vocetur; scriptum quippè est; Calceati pedes in præparatione Evangelii pacis. Si ergo, ut nostram, sic curam proximi gerimus, utrumque pedem per calceamentum munimus; qui verò suam cogitans utilitatem proximorum negligit, quasi unius pedis calceamentum cum dedecore amittit. *S. Greg. Pastor. part. 1 c. 5.*

Sunt nonnulli, qui magnis muneribus ditati, dùm solius contemplationis studiis inardescunt, parere utilitati proximorum in prædicatione refugiunt, secretum quietis diligunt, secessum speculationis petunt. De quo si districtè judicentur, ex tantis procul dubio rei sunt, quantis venien-

tes ad publicum prodesse potuerunt Quâ enim mente is, qui proximis profuturus eniteſceret, utilitati cæterorum ſecretum præponit ſuum, quandò ipſe ſummi Patris Unigenitus, ut multis prodeſſet, de ſinu Patris egreſſus eſt ad profectum noſtrum? *Idem, ibid. in fine.*

Nec præeſſe ſe hominibus gaudeant, ſed prodeſſe. *Idem, ibidem, p. 2 c 6 circa init.*

Glorifica manum & brachium dextrum in faciendo vindictam in nationibus, increpationes in populis &c. Si hæc facis honorificas miniſterium tuum, & miniſterium te. S. *Bern. lib. 2 de conſid. c. 6.*

Non vos ergo felices, quia præeſtis; ſed ſi non prodeſtis infelices putate. *Idem, ep. 42 ad Henric. Senon. cap. 8 n. 30 edit. Mabil.*

Vineæ animæ ſunt, vel Eccleſiæ.... ad has reviſendas, corrigendas, inſtruendas, ſalvandas anima perfectior invitatur, quæ tamen id miniſterii ſortita ſit non ſuâ ambitione, ſed vocata à Deo tanquam Aaron. *Idem, ſerm. 58 in cant. n. 3 edit. Mabil.*

Quære ergo non quod tibi expediat, ſed quod multis; quære cum Apoſtolo non datum, ſed fructum. *Petr. Bleſ. de inſtit. Epiſc. c. 1.*

Sic præſis; ut proſis. *Idem, ibid. c. 3.* *Philip. 4. 17.*

1. Timot. 6. O Thimothee, depoſitum cuſtodi!

2. Tim. 1. Bonum depoſitum cuſtodi Specialiter Prælati habent depoſitum, ſcilicet curam proximorum & fidelium. *D. Thom. in 1 ad Timot. c. 6 lect. 4.*

Si Deum honorare conaris, non aliter meliùs, quàm in hominis ſalute poteris actitare. *B. Laurent. Juſtin. de contempl. Chriſtian. perfect. 2 p. n. 3 in fine.*

Venit veluti veriſſimus paſtor ad revocandas oves errantes eaſque paſcendas, ſicut per Prophetam ait; Ego requiram oves meas, & liberabo eas de omnibus locis. *Idem, ibid. n. 4.* *Ezech. 24.*

ARTICULUS II.

Cur animarum saluti se totos devovere debent.

SECTIO PRIMA.

Ad hoc munus institutus est Clericalis Ordo.

ECCE ego..... mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cavernis petrarum. *Jerem.* 16. 16.

Presbyter, qui Cleri vel populi curam non gerit, & eos pietatem non docet, segregetur, &, si in socordiâ perseveret, deponatur. *Canon. Apost.* 57.

Ecclesiastici summa gubernaculi est gloria Dei & salus animarum: utrumque diligenter tractandum, cùm negligentia in re tantâ maledicti piaculo subjiciatur. *Concil. Aquileiens. cap.* 5 *an.* 1596.

Est vocatus Pastor, sed non electus, qui præest gregi quidem, & lacte ejus utitur, & lanâ ejus operitur; sed infirmum non requirit, & claudum non colligit &c. *Origen. in cap.* 1. *ad Rom.*

Id scire oportet, & nequaquàm ambigere te, priùsquàm ordinaberis, tibi vixisse; ordinatum autem illis, quibus ordinatus es. *S. Athanas. ep. ad Dracont. n.* 2.

Nisi quis fuerit bos triturans, & contrà gelu & spinas jugum sustinens traxerit, neque antè discesserit, dignus non est (operarius mercede suâ. *S. Chrysost. homil.* 15 *in* 1 *ad Tim. antè medium.*

Oportet ergo Doctoribus necessarium victum affatim ministrari, ne deficiant, neque solvantur,

tur, neque minimis occupati magnis seipsos atque alios privent, ut spiritualia operentur nullam sæcularium habentes rationem. *idem, ibid.*

Habemus duo quædam; unum quòd Christiani sumus, alterum quòd Præpositi sumus: illud, quòd Christiani sumus, propter nos est: quòd autem præpositi sumus, propter vos est: in eo quòd Christiani sumus, attenditur utilitas nostra; in eo quòd Præpositi, non nisi vestra. *S. Aug. serm.* 165 *de Tempore, nunc in edit.* Bened. *serm.* 46 *n.* 2 *p.* 226 *litt. A. tom.* 5.

Sacerdotibus propriè animarum curandarum sollicitudo commissa est. *S. Prosper. sive Jul. Pomer. lib.* 2 *de vit. contempl. c.* 2.

Sacerdos, qui alium ab errore non revocat, seipsum errare demonstrat. *S. Leo, ep.* 93 *c.* 15.

Quâ conscientiâ honorem sibi debitum (Sacerdotes) vindicant, qui pro animabus sibi creditis non laborant? *Idem, ibid. c.* 16.

Vos estis sal terræ; si ergo sal sumus, condire mentes fidelium debemus &c.... ut quisquis Sacerdoti jungitur, quasi ex salis tactu æternæ vitæ sapore condiatur. *S. Greg. hom.* 17 *in Evang.*

Sacerdotes debent esse condimentum animarum. *Idem, ibidem, ant. finem.*

Indignus lacte & lanâ convincitur, si non pascat oves, si non vigilat in custodiâ gregis, judicium sibi manducat, & vestit: Væ væ tibi, Clerice, mors in ollâ. *S. Bern. declam. c.* 16 *n.* 19 *edit. Mabill. tom.* 2 *pag.* 292 *litt. D.*

Sumptus Ecclesiasticos gratis habere te reputas, Cantando, ut aiunt, bona tibi provenire videntur; sed bonum erat magis fodere, aut etiam mendicare; peccata enim populi comedis, ac si propria tibi minùs sufficere viderentur..... Venient, venient ante tribunal Christi; audietur populorum querela gravis, accusatio dura, quorum vixere stipendiis, nec

diluere peccata ; quibus facti sunt duces cœci, fraudulenti mediatores. *Idem , ibid.*

Tertiò dictum , Pasce ; nec , Mulge , seu , Tonde , vel semel additum est. *Idem , declam. c. 11 n. 12. edit. Mabil. tom. 2 pag. 289 littera D.*

Animarum nec casus reputatur , nec salus : non sunt profectò matres , qui , cùm sint de Crucifixi patrimonio nimiùm incrassati , impinguati , dilatati , non compatiuntur super contritione Joseph. *Idem , serm. ad clerum , in Conc. Rhem. n. 4 edit. Mabil. tom. 2 pag. 736 litt. E.*

Cœteri divites sunt in latibulis suis , sicut leæna in foveâ , ericius in antro , leo in spelunca ; tu te omnibus exhibe , cogitans te omnium servum , nec tibi , sed cunctis genitum te vivere credas , datum indoctis doctorem , consolatorem pauperum , solatium oppressorum , patrem orphanorum , deffensorem viduarum , & omnibus debitorem. *Petr. Blesens. de instit. Episc. c. 4.*

SECTIO SECUNDA.

Ad id impellit amor Dei.

Si diligis me , pasce oves meas , Joan. 21. Poterat dicere ; Si me amas , Petre , jejunia exerce , super nudam humum dormi , vigila continenter , injuriâ pressis patrocinare , orphanis patrem te exhibe , viduæ item te maritorum loco habeant ; nunc verò prætermissis omnibus his , quidnam ille ait ? Pasce oves meas. S. *Chrys. lib. 2 de Sacerdot. in fine , c. 1.*

Si me diligis , non te pascere cogita , sed oves meas ; sicut meas pasce , non sicut tuas ; gloriam meam in eis quære , non tuam.... lucra mea , non tua. *S. Aug. Tract. 123 in Joan. n. 5 circà init. p. 817 litt. C. tom. 3 edit. Bened.*

Si diligis me , pasce oves meas. Si ergo di-

lectionis est testimonium cura pastionis, quisquis virtutibus pollens gregem Dei pascere renuit, Pastorem summum convincitur non amare. Hinc Paulus dicit. . . . Si pro omnibus mortuus est Christus, supereſt ut, qui vivunt, jàm non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. *S. Greg. pastor. p. 1 c 5.*

Fidelis servus, quem constituit Dominus super familiam suam. Fidelis es, si. . . . in Symbolum publicæ utilitatis conferas, quod tibi cœlestis gratia prærogavit. *Petr. Blesens. de instit. Episc. c. 1.*

Nullo quidem exercitio congruentiùs occupatur sponsa (verbi Dei) quàm cùm animarum intendit lucris ; hoc etenim sacrificio nihil majus, nihil suavius verbo redolet. *S. Laurent. Justin. de casto connubio, cap. 12 n. 6.*

SECTIO TERTIA.

Ad id invitat grande præmium.

Magna Sacerdotis gloria est rectitudo subditorum : undè benè egregius prædicator discipulis dicit ; Quæ enim est nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ ? Nonne vos antè Dominum ? Sed cùm Sacerdotes vitam discipulorum negligunt, & nullum de eorum profectibus antè Dominum fructum ferunt, quid aliud quàm inglorii dicuntur ? Quia antè districtum judicem nimirùm gloriam tunc non inveniunt, quam modò in subditorum suorum moribus prædicationis studio non exquirunt. *S. Greg. Moral. lib. 11 c. 9 init.*

Tantò celeriùs quisque ab omnibus suis peccatis absolvitur, quantò per ejus vi am & linguam aliorum animæ suorum peccatorum nexibus solvuntur. *S. Greg. apud Barthol. à Martyrib. p. 2 stimul. pastor. c. 7 circà init.*

Prælatus tot coronas sibi multiplicat, quot

Deo animas lucrifacit. *Petr. Bles. ep. 132. Item S. Greg. pastor. 3 p. admon. 5.*

Nec utilitates tuas procurabis efficaciùs, quàm si commoditati & saluti fraternæ tua diligentia impendatur. *Idem, ep. 132 ad Abbatem S. Launomari, circà medium.*

Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ &c. Vivere, & non dare operam ut rectè vivatur, vitam perdere est. *Idem, de institut. Episc. antè med. pag. 449 col. 2 edit. Paris. 1672.*

Non habeo nisi modicùm olei, quo ungar; imò paululùm aceti, quo sub diebus estivis liceat mihi cum mesforibus Booz bucellam panis intingere; illud verò tantillum non recipit portiones; charitas tamen nunquàm excidit, & quantò, quæ sua sunt, manu largiore dispensat, tantò pleniùs crescit, & ex impendio liberali farina viduæ & olei lecythus exuberat. Manna quidem putrescit, & vermibus scatet, si fuerit reservatum; erogatum autem fideliter fit panis cœlestis, & refectio Angelorum. *Idem, ibid. in præmio.*

Gratia Dei obest, si non alii prodest; qui autem Dei donum in usum & utilitatem alienam communicat, pleniùs meretur habere, quod habet; nam dabitur ei, & abundabit; qui autem è diverso talentum Domini abscondit, quod videtur habere, auferetur ab eo. *Idem, ibidem.*

Nunquàm tibi deficiat, quod per te alteri proficiet. Lucerna non minuitur alteram accendendo, nec soli dispendium infert contemplantium multitudo. *idem, ibid. c. 2.*

Non enim sempiternâ valet carere mercede, quod pro amore Christi utilitati impeditur proximorum. B. *Laurent. Justin. de institut. & regim. Prælat. c. 2 in fine.*

Sibi coronam fabricat pretiosorum lapidum

varietate decoratam, qui proximorum desudat profectibus. *Idem, de complantu Christian. perfect. post med. 2 part. n. 5.*

Est quippè sacrificium juge & medullatum, quo delectatur Deus, animarum videlicet lucrum. Hoc si obtuleris rationabiliter, plurimam gratiam consequeris & gloriam. *Idem, ibidem. num. 7.*

Quantoscunque in hac vitâ positus converteris ad salutem, super tantos principatum accipies in futuro. Hæc dixit Angelus apparens. *B. Hor. Abb in ejusd. vitâ, lib. 2 de vitis. PP. authore Ruffino, apud Roweid.*

SECTIO QUARTA.

Quia, sicut nec soli perire, sic nec soli salvari possunt Clerici.

Cui docendi munus commissum est, is, si annuntiare neglexerit, perindè ut homicida judicatur. *S. Basil. in regul. brevior. interrog. 45.*

Neque id mihi persuasi salvum fieri quemquam posse, qui pro proximi sui salute nihil laboris impenderit, cùm neque miserum illum quicquam juverit talentum sibi traditum non imminuisse; imò hoc ille nomine periit, quòd illud non auxisset duplicassetque. *S. Chrys. lib. 6 de Sacerdot. c. 10.*

Si fueris frigidus & marcidus, ad te solùm spectans.... & dicens in corde tuo.... Sufficit mihi anima mea &c. Eia non tibi venit in mentem servus ille, qui abscondit talentum &c. Nolite quiescere luctari Christo, quia lucrati estis à Christo. *S. Aug. tract. 10 in Joan. post med. n. 8 p. 372 litt. E. tom 3 edit. Bened.*

Ille, cui dispensatio verbi commissa est, etiamsi sanctè vivat, & tamen perditè viventes arguere aut erubescat aut metuat, cum omnibus, qui eò tacente perierunt, perit: & quid ei proderit non puniri suo, qui puniendus est alie-

no peccato ? *S. Prosp. sive Jul. Pomer. de vitâ contempl. lib. 1 c. 20.*

Qui culmen regiminum , si vocati suscipere renuunt , ipsa sibi plerumquè dona adimunt , quæ non pro se tantummodò , sed etiam pro aliis acceperunt. *S. Greg pastor. p. 1 c. 5.*

Virtutibus pollens , coactus ad regimen veniat. . . . Si omninò renititur , caveat ne acceptam pecuniam in sudario ligans , de ejus occultatione judicetur ; pecuniam quippe in sudario ligare , est percepta dona sub otio lenti torporis abscondere. *idem , ibid. c. 9.*

Talentum qui erogare noluit , cùm sententiâ damnationis amisit. *Idem , ibid. p. 3 admonit. 26 ant. med.*

Audiant quod voce Angelicâ Joannes admonetur , cùm dicitur ; Qui audit , dicat , Veni : ut nimirùm , cui se vox internâ insinuat , illuc etiam clamando alios , quò ipse rapitur , trahat , ne clausas fores etiam vocatus inveniat , si vocanti vacuus appropinquat. *Idem , ibidem.*

Pensemus quòd lucrum Deo fecimus nos , qui talento accepto ab eo ad negotium missi sumus ; etenim dicit ; Negotiamini , dùm venio. Ecce jàm venit ; ecce de nostro negotio lucrum requirit : quale ei animarum lucrum de nostrâ negotiatione monstrabimus ? Quot ejus conspectui animarum manipulos de prædicationis nostræ segete illaturi sumus ? *Idem , hom. 17 in Evang. Luc. ant. finem.*

Ponamus antè oculos nostros illum tantæ districtionis diem , quo judex veniet , & rationem cum servis suis , quibus talenta credidit , ponet. Ecce in majestate terribili inter Angelorum atque Archangelorum choros videbitur. . . . in illò tantò examine electorum omnium & reproborum multitudo deducetur , & unusquisque quid sit operatus ostendetur. Ibi Petrus cum Judæâ conversâ , quam post se traxit , appare-

bit ; ibi Paulus conversum, ut ità dixerim, mundum ducens ; ibi Andreas post se Achaïam &c. Nos miseri, quid ducturi sumus, qui ad Dominum nostrum post negotium vacui redimus ? *idem, ibid.*

Testante Domino per Prophetam (Ezech. 3) speculatorem dedi te domui Israël, si non fueris locutus, ut se custodiat impius à viâ suâ malâ, i le in iniquitate suâ morietur, sanguinem autem ejus de manu tuâ requiram ; sic enim Heli Sacerdos pro filiorum iniquitate damnatus est, &, licèt eos deliquentes admonuit, sed tamen non, ut oportebat, redarguit. *S. Isid. lib. 3 de summo bono, c. 46.*

Soli non potestis perire, quia præire debetis docendo & operando. *S. Bern. serm. ad past. in Synodo, n. 7 pag. 742 litt. E. t. 2 edit. Mabill.*

Vide quot animas de ore leonis, & de faucibus inferni ejeceris, quantùm lucri de talento tibi commisso opere, verbo & exemplo retuleris. . . . . ad hæc factus es ex tuâ professione obnoxius ; & hæc omnia à te exactissimè requirentur *Petr. Blesf. ep. 16 ad Episc quemdam, post med.*

Nec sufficit Prælato, si bonus est in se, nisi & alios, quantùm est in se, bonos faciat. *idem, serm. in synodo super hæc verba Joan.* Non vos me elegistis.

Vivere, & non dare operam ut rectè vivatur, vitam perdere est. *idem, de institut. Episc. cap. 2.*

SECTIO QUINTA.

Ab aliorum ſalute promovendâ deſiſtere non debet Clericus.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Etſi nullum ex labore ſuo fructum percipere ſibi videatur.

Tubicinem, etſi nemo ad bellum profecturus ſit, tubâ tamen canere oportet, ſuumque munus implere. *S. Chryſ. hom. 6 in cap. 2 ep. 1 ad Tim. ſub finem.*

Servum Dei, non oportet litigare..... ſed patientem eſſe.... Si enim piſcatores, cùm ſæpè die totâ fruſtrâ jactaverint retia, non tamen deſiſtunt neque deſperant; multò magis nos id facere convenit. *idem, hom. 6 in ep. 2 ad Tim c. 2 ant. med.*

Noli diffidere, curam exigeris, non curationem. Audiſti; Curam illius habe, & non, Cura, vel, Sana illum. S. *Bern. lib. 4 de conſider. c. 2.*

Paulus loquitur; Plus omnibus laboravi. Non ait; Plus omnibus profui, aut plus omnibus fructificavi, verbum inſolens religioſiſſimè vitans: aliàs noverat. . quia unuſquiſque ſecundùm ſuum laborem accipiet, non ſecundùm proventum, & ob hoc in laboribus potiùs quàm in profectibus gloriandum putavit &c. Ità, quæſo, fac tu, quod tuum eſt; nam Deus, quod ſuum eſt, ſatis abſque tuâ ſollicitudine & anxietate curabit. *idem, ibid.*

Planta, riga, fer curam, & tuas expleviſti partes: dabit ſanè incrementum, ubi voluerit; dabit Deus, non tu, ubi fortè noluerit; tibi deperit nihil dicente Scripturâ; Reddet Deus mercedem laborum &c. *idem, ibid.*

Unum eſt, quod te abſolvit, ſi egiſti cum

populo illo, ut possis dicere; Populo meus, quid tibi debui facere, & non feci? *idem, ibid. c. 3 in fine.*

Si dixeris; Plaga magna est, & curari non potest. Scias quia major est divina misericordia, quàm humana miseria &c. Stabulario dictum est; Curam illius habe. Curam habere, & non curare præciperis. Cura ergo, & labora; nam, si ægrotum non curaveris, implesti tamen medici vices, si nihil ex contingentibus omisisti. Apostolus non dicit; Plus profui, sed, Plus omnibus laboravi. Deus autem mercedem laborum sanctorum non ex proventu laboris, sed ex labore metitur; ideò Paulus (2. Cor. 11.) non in plurimâ obventione laborum, sed in pluribus laboribus gloriatur. *Petr. Blesf. de instit. Episc. c ultim. in fin.* *Luc. 10. 35.* *1. Cor. 15. 10.*

Animare debet Rectorem ad laboris tolerantiam, quòd non minùs meretur in illis, qui deficiunt, vel modicùm proficiunt, quàm in his, qui maximè proficiunt; non enim dicit Apostolus; Unusquisque propriam mercedem accipiet secundùm suum profectum, sed, secundùm suum laborem. *S. Bonav. de 6 alis Seraphin. c. 5. in fin.*

2. Nec Dei operatio in omnibus proficit ad salutem ipsorum. *idem, ibid.*

3. Omnia, quæ seminantur, non convalescunt. *idem, ibid.*

4. Qui thesauros effodiunt, lubenter multam terram exuperant, ut modicum auri vel argenti reperiant. *idem, ibid.*

§. II.

Etsi semper indocilem populum experiatur.

Plus laborat Doctor in indocili, quàm in docili discipulo; & ideò apud justum æstimatorem laboris plus meretur. In terrâ sterili & saxosâ agricolâ plus laborat, & si fructus paucior,

ſed pretium majus; & quæ difficiliùs elaborantur, ſæpè cariùs venduntur. *S. Bonav. de ſex alis Seraphin. c. 5 in fin.*

Quid igitur faciam, ſi & oratio mea ſit inutilis futura, ſilentium verò deſperationem reſipiens? præteribimuſne diligentiam? At negligentia periculoſa: quamobrem loquar omninò, loquar adversùs ebrios, & apud emortuas aures clamabimus, quanquam, ut in peſtilentibus morbis evenit, ii, qui corpora curant, ſanos quidem & eo morbo liberos adjumentis quibuſdam ad ſanitatem ſervandam facientibus ſecuros reddunt; ſic ſermo noſter ex parte tantùm dimidiâ proficere poterit, cuſtodiam & cautionem his, qui morbo iſto nondùm laborant, monſtrando. *S. Baſilius, homil. 14 in ebriet. & luxum, non longè ab init. p. 489 litt. C. tom. 1 edit. Pariſ. 1618.*

Scitote me omninò taciturum fuiſſe, niſi Hieremiæ metuerem exemplum, qui ad populum contumacem atque incredulum loqui minimè volens illa paſſus eſt, quæ ipſe narravit; quomodò videlicet verbum Domini ſit illi factum velut ignis in interioribus, & quod membris undiquè reſolvebatur, & ferre non poterat. *idem, ibidem.* *Jerem. 20. v. 9.*

§. III.

Quamvis ipſe ludibrio habeatur.

Nec vindicet ſe de illatis injuriis, nec in corde oderit illos, nec curam ſegniùs agat, nec quærat eos à ſe removere, imò libentiùs teneat eos. *S. Bonav. de ſex alis Seraphin. c. 5 circà medium.*

1°. Ut per hoc & illos & alios ædificet benefaciendo ingratis. *idem, ibid.*

2°. Ut per ſe virtutis exercitium in eis habeat exemplo ſummi Paſtoris, qui ait: Eritis filii Altiſſimi, quia ipſe benignus eſt ſuper in-

gratos & malos; cùm enim sit propriè officium Pastoris docere virtutes, si vitiosos removet à se, quos docebit? Si medicus fugit ægrotos, quos curabit? Si fortis tyro declinat impetentes se, quomodò assequetur triumphum gloriæ? Si negotiator negligit merces, in quibus magna lucretur, quomodò poterit ditari? *idem*, *ibid.*

3°. Indè tot sanctificati sunt Episcopi & Prælati. . . . & ad altiora perfectionis culmina officii sui occasione pervenerunt. *idem*, *ibidem*, *post med.*

ARTICULUS III.

Quomodò aliorum saluti incumbere debeant Clerici

REDEMPTOR noster ad Sacerdotis officium non quærit aurum, sed animas. *S. Gregor. apud S. Bonav. lib.* 1 *pharet. c.* 20.

Primo Pastori. . . . dicitur; Macta & manduca. Quod mactatur quippè, à vitâ occiditur; id verò, quod comeditur, in comedentis corpore commutatur. Macta ergo & manduca, dicitur, id est, à peccato eos, in quo vivunt, interfice, & à seipsis illos in tua membra converte. *Idem*, *lib.* 18. *Moral. cap.* 20 *antè med.*

Quàm boni vigiles, qui nobis dormientibus ipsi pervigilant quasi rationem reddituri pro animabus nostris! quàm boni custodes, qui vigilantes animo atque in orationibus pernoctantes hostium insidias sagaciter explorant, anticipant consilia malignantium, deprehendunt laqueos, eludunt tendiculos, retiacula dissipant, machinamenta frustrantur. . . . . hi sunt, qui multùm solliciti pro sibi commissis dominicis ovibus cor suum tradunt ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illos, & in conspectu Altissimi

deprecantur. *S. Bern. ferm. 76 in cantica, n. 7. tom. 1 pag. 1536.*

Cæterùm ſuis & ipſis (Clericis) nec modicus labor eſſe videtur; & dicebat, qui plus omnibus laboravit; Qui non laborat, non manducet. Et Petro dictum eſt; Simon Joannis, amas me? Paſce oves meas. Idemque tertiò repetitum, tertiò dictum; Paſce, nec, Mulge, ſeu, Tonde, vel ſemel additum eſt. Speret ergo diſcipuli locum, gradum miniſtri, qui Dominicum paſcere gregem ſatagit quàm tondere; paſcere verò tripliciter, exemplo converſationis, verbo prædicationis, fructu orationis. *Idem, in declam. c. 11 edit. Mabil. tom. 2 pag 289 litt. D.*

Vectes, quibus Arca Dei deferebatur, licèt moveri & trahi in varias partes poſſent, extrahi tamen aut avelli non poterant; in quo manifeſtiſſimè figuratur, quòd Eccleſiæ Prælati, etſi ad varias Reipublicæ neceſſitates diſtrahuntur ad tempus, à ſponſæ amplexibus & à populi ſib creditì ſollicitudine minimè ſeparentur. *Petr. Bleſ. ep. 150 ad Clericos aulæ regiæ, paulò antè fin*

Quid eſt oves paſcere, niſi evangeliſare ſubjectis, reddere Deo populum acceptabilem, verbo, opere & exemplo, dirigere vias Domini, & parare Domino plebem perfectam? *Idem, ep. 148 ad S. Bathonienſ. Epiſc.*

Petro cùm ter dixiſſet; Paſce oves meas, tria paſcua deſignavit; ac ſi diceret: Paſce doctrinâ, paſce vitâ, paſce morte. *Idem, ſerm. in Synod. ſup. c. 8 Apocal.*

Tu animarum ſaluti omnia poſtpone. *Idem; de inſtit. Epiſc. longè poſt med.*

Ædifica eos (ſubditos) verbo, actu, vultu, habitu & inceſſu; ſic te amabilem exhibeas & imitabilem, ut tota converſatio tua ædificet alios ad ſalutem. *Idem, ep. 134.*

Oportet illum, qui animarum præſidendo vult

curam gerere, utiquè intrare per januam ministrando, laborando, orando, &, si necessitas coegerit, etiam moriendo animam suam dare pro ovibus, quemadmodùm bonus Jesus Dominus & magister docuit & perfecit.... Tale itaque debet esse pastoris animarum ministerium, talis intentio talisque affectus, ut sine intermissione absque fastidio, imò alacri animo, etsi non actualiter semper, habitualiter tamen se pro salute subditorum exponat. *B. Laur. Justin. de institut & regim. Prælat. c. 2 n. 5 p. 559 edit. Lugd. 1628.*

CAPUT III.

Regimen seu curam animarum trepidando subire.

ARTICULUS PRIMUS.

Regimen animarum suscipere præclarum & decorum est.

MELIOR est iniquitas viri, quàm mulier benefaciens. Eccli. 42 v. 14 Nam tu quidem in tui custodiâ vigilans benefacis; sed qui juvat multos, & melius facit & virilius. *Sanct. Bern. serm. 12 in cant. antè fin.*

Bonum contritionis unguentum, quod de recordatione peccatorum conficitur, mittiturque in pedes Domini; quia cor contritum & humiliatum Deus non despiciet. Cæterùm longè melius esse arbitror id, quod devotionis dicitur factum de recordatione beneficiorum Dei, quippè quod & capiti idoneum reputatur, ità ut perhibeat de ipso Deus; Sacrificium laudis hono-

rificabit me. Porrò utrumque vincit unctio pietatis, quæ de respectu miserorum fit, & per universum Christi corpus diffunditur &c. optimum reverà unguentum, in cujus comparatione cætera nec respicere se ostendit, qui ait; Misericordiam volo, & non sacrificium. *idem, ibidem*

Amici sponsi, si tamen amici; at parùm dixi, amici, amicissimi sint oportet, qui privilegio tantæ familiaritatis donatur. *Idem, serm. 76 in cant. n. 8 post med. pag. 1537 litt. A. tom. 1 edit. Mabil.*

Sanctum Evangelium sub numero trium personarum includit multitudinem universam Prælatorum; proposuit enim nobis (Joan. 10.) bonum Pastorem, mercenarium & furem. Si boni Pastores estis, gaudete, quia merces vestra copiosa est in Cœlis. *Idem, serm. ad pastores in synod. circà initium.*

Pastores vicarii Christi. *Idem, ibid. post med. n. 8 p. 742 litt. F. tom. 2 edit. Mabil.*

Senatores orbis terrarum. *Idem, ibid. n. 12 ant. fin. pag. 744 litt. D. tom. 2 edit. Mabil.*

ARTICULUS II.

Non sine multo timore suscipienda est animarum cura.

SECTIO PRIMA.

Quia arduum hoc opus.

ONUS Angelicis humeris formidandum. *Concil. Trid. sess. 6 c. 1 de Reformat.*

Cura animarum scientia scientiarum meritò appellanda est. *Conc. Colon. an. 1536 part 1 c. 2.*

Ars artium & scientia scientiarum mihi esse

videtur hominem regere. S. *Gregor. Naz. orat.* 1 *n.* 31.

Quemadmodùm, si quis variam quamdam & multiplicem belluam ex multis belluis magnis parvisque, feris ac mitibus conflatam curare & ducere aggrediatur, huic in naturâ adeò præpostera & prodigiosâ gubernandâ maximus procul dubio labor subeundus sit, maximaque dimicatio; quippè cùm nec vocibus iisdem, nec alimentis, nec manuum blanditiis ac sibilis, nec reliquis denique institutionis modis belluæ omnes delectentur, sed aliæ aliis pro suâ quæque naturâ & consuetudine vel gaudeant vel offendantur &c. eodem modo, cùm commune hoc corpus Ecclesiæ instar compositæ, cujusdam & inæqualis belluæ ex pluribus variisque moribus & rationibus constitutum sit, summoperè quoque necesse est Prælatum simul & esse simplicem, quantùm ad eam, quam ad res omnes adhibere debet, rectitudinem, & rursùm quàm maximè varium & multiplicem, quantùm ad id attinet, ut uniuscujusque animum sibi adjungat. S. *Greg. Naz. orat.* 1 *n.* 77.

Alios gubernare exuberantis cujusdam facultatis est. *Idem, ibid.* 121.

Vigilantem igitur necesse est illum, qui non tantùm sui curam habet, verùm etiam reliquorum; decet esse pervigilem eum, qui ejusmodi est, ac spiritu vivere, & affectûs sui flammam operibus ipsis ostendere, ducesque omnes sollicitudine atque industriâ superare, ut diù noctuque exercitium & castra perlustret, laboret, & sui officii munus diligentissimè impleat, atque omnium curam & sollicitudinem gerat. S. *Chrys. hom.* 10 *in ep.* 1 *ad Tim.*

Opus est hæc res, non ludus atque animi oblectatio; cura, non luxus; munus referendis rationibus obnoxium, non imperium ab omni censurâ liberum atque immune; paterna procu-

ratio, non tyrannica licenti; dispensatoria præfectura, non ejusmodi potestas, quæ sub reddendarum rationum necessitatem minimè cadat. *S. Isid. Pelusiot. lib. 3 epist.* 216 *Pallad. Diacono, post med.*

Pastoralis curæ pondera fugere delitescendo volui. *S. Greg pastoral. in prologo.*

Ars est artium regimen animarum. *Idem, ibidem, part.* 1 *c.* 1.

Nihil tam onerosum in ordine Sacerdotum video, quàm rigorem mentis compatiendo flectere, & cum personis supervenientibus animum mutare, & tamen hoc valdè est necessarium. *Idem, hom.* 11 *super Ezech. paulò ant. finem.*

Pensate ergo, fratres chariſſimi, quantus speculatori labor sit, & ad sublimia cor tendere, & hoc repentè ad ima revocare, & in sublimitate cognitionis intimæ extenuare animum, & propter exteriores causas proximorum, ut ità dicam, subitò in cogitatione crassescere. *Idem, ibid. sub fin.*

Hoc tempore talis in regiminis arce debet constitui, qui non solùm de salute animarum, sed etiam de extrinsecâ subjectorum utilitate & cautelâ sciat esse sollicitus. *idem, lib.* 8 *ep.* 40 *dist.* 39 *c. Petrus.*

Res difficilis & ardua est, ministrare in Sacerdotio, animas regere, & juxtà verbum Salomonis mittere se in turbam populi, & alligare sibi peccata duplicia. *Petr. Blesens. ep.* 123 *circà medium.*

Magnus labor impenditur in vineâ excolendâ, utpotè quæ primùm est putanda, secundò fodienda, tertiò paxillanda, ad ultimum stercoranda &c. *idem, serm.* 1 *in synod. super hæc verba*, Si dixerit vilis Pharao.

Grande onus, negotium multarum vigiliarum, pavendumque ministerium est regimen

animarum. *S. Laurent. Justin. de regim. Prælat. c.* 16 *n* 6.

Verè in omnibus veluti martyres. *idem*, *de compunct. & complantu Christ. perfect. pag.* 1 *num.* 5.

Gratiâ indiget plurimâ, charitate fervidâ & sapientiâ non modicâ, qui proximorum animas per spiritualem profectum ad vitam resuscitare conatur. *Idem*, *ibidem. p.* 2 *n.* 7.

SECTIO SECUNDA.

Quia periculosum.

Sacerdotes procurationem regendi populi susceperunt ad magnam suam gloriam, & ad grande periculum; ad gloriam quidem, si diligenter tractaverint populum Dei; ad periculum autem, si negligenter; si enim ille pro negligentiâ debet timere periculum, qui procurationem suscipit terrenarum rerum de manu alicujus hominis potentis; quantò magis Sacerdotes, qui de manu Dei susceperunt animarum procurationem sanctarum? *S. Chrys. oper. imperf. in Matth. hom.* 40 *paulò post med.*

Miror an fieri possit ut aliquis ex Rectoribus sit salvus. *idem hom.* 34 *in ep. ad Hebr.*

Quantumlibet fueris peritus gubernandi, nisi inter hujusmodi gubernacula gratiam habeas & pacem, quæ à Deo est; & naviculam simul atque navigantes procella involvet, mergetque profundo. *idem*, *hom.* 1 *in ep. ad Tit. post medium. p.* 1470 *litt. D. tom.* 4 *edit. Paris.* 1581.

Qui aliorum actiones puras est effecturus, is quin aliquam ipse sordem contrahat vix fieri Potest. S. *Nilus Abbas*, *lib. ascetic. ant. med. pag.* 1161 *litt. G.*

Nullibi operiosiùs laboratur, nullibi periculosiùs erratur. *S. Greg. pastor. p.* 1 *c.* 1.

Plerumquè in occupatione regiminis ipse quoque boni operi usus perditur, qui in tran-

quillitate tenebatur, quia quieto mari rectè navem & imperitus nauta dirigit; turbato autem tempestatis fluctibus etiam peritus se nauta confundit. Quid namque est potestas culminis, nisi tempestas mentis *idem*, *ibid. c.* 9.

Plerumquè contingit ut, qui propriâ non contentus alienæ progreditur saluti consulere, sui potiùs cogatur periculum sustinere, cùmque alii velut inter procellosa naufragia palpitanti manum porrigit, ipsum quoque præcipitem vorax fluctus involvit. *Petr. Dam. opusc. 12 de contemptu sæculi cap. 27 circà med.*

Nihil periculosius, quàm regiminis animarum onus suscipere. *B. Laurent. Justin. de instit. & regim. Prælat. c. 4 n. 6.*

Videat celsitudinem Ecclesiastici regiminis, imminens periculum patensque præcipitium. *Idem*, *ibid. c.* 20 *n.* 1.

Stant in alto tanquam signum ad sagittam &c. Sunt veluti scopulus undarum circumquaque impulsione collisus. *Idem*, *ibid.*

Nemo nisi valdè sanctus absque sui detrimento proximorum curis occupatur. *Idem*, *de casto connubio*, *cap.* 12 *n.* 7.

SECTIO TERTIA.

Quia pro commissis ovibus reddenda ratio.

Si horremus, dùm nobis id judicium subeundum est, in quo peccatorum propriorum rationem reddituri sumus.... quid illi expectandum est, qui tam multorum nomine causas sit ipse dicturus? *S. Chrysost. lib. 3 de Sacerdot. c. ult. circà finem.*

Magnâ diligentiâ hîc opus est, ne, dùm prodesse proximo cupis, majoris damni author sis; nam quæcunque ille post curationem tuam imprudentem peccata commiserit futurum est ut horum singulorum pœna cum illo medico com-

munis sit, qui vulnus probè non inciderit. *Idem, ibidem, paulò antè finem.*

Ecce ego ipse super Pastores requiram gregem meum de manu eorum &c. Ezech. 34. Quis ad hæc non contremiscat ? Quis ista sine intolerabili metu futuræ examinationis accipiat, nisi qui aut non intelligit, aut futura non credit *S. Prosp. sive Jul. Pomer. de vitâ contemplat. Sacerdot. lib.* 1 *c.* 21.

Quemadmodùm æquum non est, sed dolendum si ab esurientis ore infantis panem diripias ; ità & nocet sibi ipsi præses & subjecto, qui illi non semper augendæ coronæ, quantùm quidem illum sustinere posse cognoscit, sive irrogandis contumeliis, sive ignominiis afferendis, seu contemnendo, seu illudendo occasionem præbet. *S. Joan. Climac. grad.* 4 *de obedient. n.* 35 *in fin. edit. Rodri. Soc. Jes. Paris. 1633 pag.* 55.

Quot regendis subditis præest, reddendæ apud districtum Judicem rationis tempore, ut ità dicam, tot solus animas habet. *S. Greg. lib.* 24 *Moral. c.* 16.

Hanc curam animarum quicunque ; prout decet, administrare neglexerit, malus est, & penè innumerabilium criminum esse censendus est reus. B. *Laurent. Justin. de regim. Prælat. c.* 4 *n.* 5.

SECTIO QUARTA.

Quia pauci sunt boni Pastores.

Multi Sacerdotes, & pauci Sacerdotes. Multi nomine, pauci opere. *S. Chrys. hom.* 43 *oper. imperf. in Matth. circà init. pag.* 954 *litt. D. tom.* 2 *edit. Paris. 1581 dub.*

Oportet autem ut dux prudens sit ejusmodi, ut ne hostium quidem cogitationes ignoret, ut iis, qui sub disciplinâ suâ militant, occultas etiam pugnas aperiat, & adversarii prædicens insi-

dias facilem ipsius victoriam paret, & è certamine cŏronatos educat.... rarò autem ac difficilè talis invenitur. S. *Nil. Abb. lib. ascetic. antè medium, pag.* 1161 *litt. H.*

Si rebus raritas pretium facit, nihil in Ecclesiâ pretiosius, nihil optabilius est bono utilique Pastore; nempè rara avis est ista. S. *Bern. ep.* 249 *ad Eugen. Pap.*

ARTICULUS III.

Quales in hoc regimine se exhibere debeant.

SECTIO PRIMA.

Non lupos.

PARUM est quòd illas languentes & infirmas & errantes & perditas non curant; etiam istas fortes & pingues necant, quantùm in ipsis est; illæ vivunt de misericordiâ Dei, tamen, quantùm ad Pastores malos attinet, occidunt; quomodò, inquis, occidunt? Malè vivendo, malum exemplum præbendo. *S. Augustl. serm. de pastores, c.* 4 *pag.* 229 *litt. B. tom.* 5 *edit. Benedictin.*

Non estis pastores, sed lupi rapaces, quia omnia quasi, quæ facitis, propter lucrum facitis. *Idem, ad presbyteros suos, serm.* 36 *ad Fr. erem. circà med. pag.* 343 *litt. D. append. tom.* 6 *edit. Bened. dub.*

Quidam sunt pastores, quidam mercenarii, quidam lupi... Lupi sunt, qui carnes comedunt.... Lupi non custodiunt in prosperitate, & occidunt in adversitate. *Hugo à S. Victore, lib.* 1 *miscellan. tit.* 101.

Lupi peccati materiam vel licentiam ovibus dantes occidunt. *Idem, ibidem.*

Quid ovibus miseris erit tutum, quandò lupi

funguntur officio Pastorum ? *Gerson in Concil. Rhem. 2 partitione principali.*

An non lupus tyrannus rapax, qui lanam & lac ovium, imò carnes & ossa per violentam exactionem furripit, lassat & opprimit. *Idem, ibidem.*

An non lupus tyrannus fallax, qui lanam & lac ovium, carnes & ossa per astutiam procurationum & advocationum furripit, cassat & dejicit ? *Idem, ibidem.*

An non demùm lupus tyrannus vorax, qui lanam & lac ovium, carnes & ossa per gulam & luxuriam furripit, cassat & inficit ? *Idem, ibidem.*

Tales lupi rapaces, fallaces & voraces.... rapiunt cavillando, fallunt litigando, devorant luxuriando. *Idem, ibidem.*

SECTIO SECUNDA.

Non mercenarios.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Qui seipsos pascunt.

Væ Pastoribus, qui pascebant semetipsos &c. *Ezech. 34. v. 2.*

Pastor veritate Christum annuntiat, mercenarius occasione Christum annuntiat aliud quærens. *S. Aug. serm. 49 de verbis Domini, c. 9 pag. 668 litt F. tom. 5 edit. Bened.*

Quis est ergo mercenarius ? Sunt in Ecclesiâ quidam Præpositi, de quibus Paulus dicit; Sua quærentes, non Christum gratis diligentes, non Deum propter Deum quærentes, temporalia commoda consectantes, lucris inhiantes, honores ab hominibus appetentes. Hæc quandò amantur à Præposito, & propter hæc servitur Deo, quisquis est talis, mercenarius, inter filios se non computet. *Idem, tract. 46 in Joan. c. 10*

antè med. num. 5 pag. 604 litt. A. tom. 3 edit. Benedict.

Non pastor, sed mercenarius vocatur qui non pro amore intimo oves Dominicas, sed ad temporales mercedes pascit; mercenarius quippè est, qui locum quidem pastoris tenet, sed lucra animarum non quærit; terrenis commodis inhiat; honore prælationis gaudet; temporalibus lucris pascitur; impensâ sibi ab hominibus reverentiâ lætatur; istæ sunt enim mercedes mercenarii. *S. Greg. hom. 14 in Evang. paulò post init.*

Væ pastoribus malis, qui pascunt semetipsos, non oves; & utinam solùm non pascerent, si non etiam depascerentur. *Hugo à S. Vict. lib. 1 miscellan. tit. 149 circà finem.*

Mercenarii (sunt qui lanam & lac accipiunt..... mercenarii lucrum appetunt. *idem, ibidem.*

Quærit ergo, quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi; alioquin utiquè non fugeret, sed sua, imò & seipsum superimpenderet, potiùs quàm gregem suum raptoribus exponeret. *S. Bern. serm. ad pastor. in Synod. n. 3 pag. 740 litt. B. tom. 2 edit. Mabil.*

Multi sunt mercenarii, qui in prosperitate leviter discerni non possunt à nobis pastoribus; habent enim multa cùm ipsis communia; habuerunt namque sanam electionem in ingressu, habent nihilominùs mundam conversationem in progressu, pacem Ecclesiæ amant & quærunt, utiliter ac viriliter Ecclesiasticis implicantur negotiis, non recusant gravedines oneris; sed hoc ideò, quia ambiunt gloriam honoris. *idem, ibidem.*

Mercenarius est, qui Deo non pro Deo servit; mercenarius est, qui occasione non veritate Deum annuntiat; mercenarius est, qui, quæ sua sunt non quæ Jesu Christi, quærit.

Hujus panis est sapientia carnis, seu commoditas temporalis. *Petr. Cellens. lib. de panib. tom. 23 Bibl. Lugd.*

§. II.

Qui veniente lupo fugiunt.

(Mercenarius autem fugit) Non corporis, sed animæ hæc fuga est. Quem vides corpore stare, fugit animo. Cùm videt peccatorem, non illi dicit; Peccas.... non illum objurgat, ne perdat commoda sua. *S. Aug. serm. 49 de verbis Domini, num. 12 pag. 669 litt. G. tom. 5 edit. Benedict.*

Utrum verò pastor sit, an mercenarius cognoscì veraciter non potest, si occasio necessitatis deest; tranquillitatis enim tempore plerumquè ad gregis custodiam, sicut verus pastor, sic etiam mercenarius stat; sed lupus veniens indicat quo quisque animo super gregis custodiam stabat &c. fugit mercenarius non mutando locum, sed subtrahendo solatium; fugit quia injustitiam vidit, & tacuit; fugit, quia se sub silentio abscondit. *S. Greg. hom. 14 in Evang. paulò post init.*

Mercenarius autem fugit; quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ovibus; sola enim causa est ut mercenarius fugiat, quia mercenarius est: ac si apertè diceretur; Stare in periculo ovium non potest, qui in, eo quòd ovibus præest, non oves diligit, sed lucrum terrenum quærit.... opponere se contrà periculum trepidat, ne hoc, quod diligit, amittat. *Idem, ibid. circà medium.*

Lupus venit, & mercenarius fugit, quia malignus spiritus mentes fidelium in tentatione dilaniat, & is, qui locum pastoris tenet, curam sollicitudinis non habet. Animæ pereunt, & ipse de terrenis commodis lætatur. *idem, ibidem, antè medium.*

Nunc autem & mercenarii fugiunt, & lupi occidunt: mercenarii fugiunt non mutando locum, sed substrahendo auxilium; lupi occidunt, quia & visibiles corpora laniant, & invisibiles animas necant. *Hugo à S. Vict. lib.* 1 *miscellan. tit.* 49 *circà finem.*

Quidam pastores sunt, quidam mercenarii, quidam lupi.... Mercenarii custodiunt in prosperitate, sed non defendunt in adversitate. *idem, ibidem.*

Persecutio indubitanter mercenarios à pastoribus segregat & discernit. *S. Bern. de conversione ad Cleric. c. ult.*

Mercenarius est, qui videt lupum venientem, & fugit. *Idem, serm. ad pastor. in Synod. num.* 2 *pag.* 73 *tom.* 2 *edit. Mabil.*

Dùm pacis arridet securitas, intentionis ejus palliatur infirmitas; nihil occultum, quod non reveletur. Vasa figuli probat fornax; flante vento adversitatis, statim, quod infirmum est interitionis, ostendit effectus operationis; videt enim lupum venientem, & fugit. *idem, ibidem, n.* 4 *pag.* 741 *litt. A.*

Fugit mercenarius vel amore blandientis, vel timore persequentis. Undè fugit? à rectitudine justitiæ, à defensione Ecclesiæ, à liberatione patriæ, ab ultione pupillorum & viduarum. Quòad custodienda, quæ possidet, imò à quibus possidetur. *idem, ibidem, litt.* B.

Si ergo, inquit Christus, me quæritis, finite hos abire. Majorem utiquè de suis, quàm de se, curam exhibuit. Discant igitur pastores & Prælati, cùm irascitur erga populum Deus, non se absentare à plebe &c. *B. Laurent. Justin. de compunct. & complanct. perfect. Christ. num.* 18 *pag.* 1.

SECTIO

SECTIO TERTIA.

Sed bonos Pastores.

Ille confirmare jubetur fratres suos, qui dixit; Omnia dimisimus, & secuti sumus te. *S. Ambros. in Luc. 22 ad v.* 30.

Factus sum sicut oliva fructifera in Domo Dei. Præsules enim olivæ comparantur propter vim olei triplicem; nam oleum illuminat, pascit, & fessa membra fovet: sic & Præsules illuminare debent verbo, pascere exemplo, & fovere egentes temporali beneficio. *Serm.* 40 *ad Fratr. erem. antè med. int. op. S. Aug. p.* 350 *litt. D. append. tom.* 6 *edit. Bened.*

Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. . . . Cavete ergo ne vobis hodiè Dominus dicat; Dispensatorem te posui super familiam meam, & tu panem eis non fregisti. Non ergo dispensator, sed dissipator; non speculator, sed spiculator. *Serm.* 42 *ad Fratr. erem. int. op S. Aug. paulò post init. pag.* 352 *litt. F. append. tom.* 6 *edit. Bened.*

Hic est panis petitus. Amice, commoda mihi tres panes, scilicet vitæ, doctrinæ, & exempli. Hic est panis datus Petro, ut pascat agnos; nam ter ait Dominus Petro ut pascat oves, ut tu, pastor, intelligas oves pascere doctrinâ, vitâ, & exemplo. *Ibid. sub fin.*

Quidam sunt pastores, quidam mercenarii, quidam lupi; pastores sunt, qui oves diligunt.... Pastores custodiunt in prosperitate, & defendunt in adversitate. . . . . Pastores salutem quærunt. *Hugo à S. Vict. lib.* 1 *miscellan. tit.* 181.

Populus vestrum expectat verbum, ut eruditur; vestrum exemplum, ut informetur; auxilium & donum, ut à malo liberetur, & in bono justificetur. *Idem, serm.* 23 *ad sacerd. in Synodo, paulò antè fin. tom.* 2 *pag.* 502 *col.* 1 *litt. A. edit. Rothom.* 1648.

Bonus Paſtor, non ſuam voluntatem facere, ſed Domini ſui quærit utilitatem; ipſi ſoli ſervat fidem; ipſi laborat; ipſum honorat; ipſi quærit gloriam, non ſibi. . . . Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam; nobis miſeris da veniam, da gratiam; tibi ſerva gloriam, utpotè à quo eſt venia peccatorum & gratia meritorum. S. *Bern. ſerm. ad Paſtores in Synod. n. 2 pag. 739 tom. 2 edit. Mabil. dub.*

Bonus Paſtor in omni labore villicationis ſuæ quærit non quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti; quod proprium habet charitas; undè, ſi quandoque exceſſerit, charitas operit multitudinem peccatorum, ſed & ipſe advocatum habet in Cœlis Jeſum Chriſtum. *idem, ibid. dub.*

Operarius inconfuſibilis poſtulat non duo tantùm, ſed tria, quia funiculus triplex difficilè rumpitur; non enim poſtulat diſciplinam & ſcientiam, quas poſſunt habere & mercenarii; ſed dicit: Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me. Quæ tria in ſolis filiis requiruntur; quid enim prodeſſet diſciplinam habere in converſatione, ſcientiam in prædicatione, niſi adſit bonitas in intentione? *Idem, ibidem, n. 4 pag. 740 litt. E.*

Quàm boni vigiles, qui nobis dormientibus ipſi pervigilant, quaſi rationem reddituri pro animabus noſtris? Quàm boni cuſtodes, qui vigilantes animo, atque in orationibus pernoctantes hoſtium inſidias ſagaciter explorant, anticipant conſilia malignantium, deprehendunt laqueos, eludunt tendiculas, retiacula diſſipant, machinamenta fruſtrantur. *S. Bern. ſerm. 76 in Cantic. circa med.*

Attendite vobis (Paſtores) & pretioſo depoſito, quod vobis creditum eſt: civitas eſt, vigilate ad cuſtodiam, concordiamque: ſponſa

est, studete ornatui, oves sunt, intendite pastui. *Idem, ibid. post med.*

(Ad munus Pastorale) opus est viro: .. fideli, qui non, quæ sua sunt, quærat. *Idem, ibidem, sub finem.*

Nocte & die æstu urebar & gelu &c. Genes. 31. v. 40. Circa pastorale officium tria ponuntur, scilicet assiduitas, patientia, sollicitudo: primum est, quia sine intermissione debet curam gregis gerere; undè dicit; Nocte ac die; nocte orando, die erudiendo... Secundum debet Prælatus, propter gregis salutem omnia sustinere..... undè dicit, æstu, id est, fervore instantis persecutionis... gelu, id est, timore futurorum. Tertium est, quia præest in sollicitudine.... & hoc expellit somnum negligentiæ; undè subditur; Fugiebatque somnus ab oculis meis. *D. Thom. prologo in ep. 2. ad Timot.*

Si diligis me, pasce oves meas; pasce verbo, pasce exemplo, pasce subsidio; pasce verbo prædicationis doctæ, pasce exemplo conversationis sanctæ, pasce subsidio charitatis piæ; prædicatio docta fundatur in fide... conversatio sancta roboratur in spe.... subventio pia consummatur in charitate... quisquis hoc modo paverit oves suas triplici pabulo salutari, verus imitator censendus est pastoris boni. *Gerson. serm. in Conc. Rhem. tom. 2 paulò antè 1 considerationem, 1 partitionis, pag. 617 edit. Paris. 1606.*

Pastor, ut sui mercedem non amittat laboris... pascat oves verbo, pascat exemplo, pascat terrenâ substantiâ; sic Dominus Jesus Petro mandavit, dicens; Petre, amas me? &c. Voluit trinâ repetitione insinuare pastoribus, quatenus ovibus sub regimine suo constitutis deberet corporibus morituris alimoniam temporalem, animabus semper victuris doctrinam spi-

ritualem, atque earum moribus exemplo suo benè vivendi disciplinam præbere moralem. B. *Laurent. Justin. de regim. Prælat. c. 18 n 6.*

Formam veri Pastoris vis nosse, non venit Filius hominis ministrari, sed ministrare, & animam suam redemptionem dare pro multis. *Idem, de compunct. & complanct Christianæ perfect. n. 19 part. 1.*

Vide & describe Pastorum malorum descriptionem apud Prophetas citatos, & serm. S. Bern. 77 in Cant. Zach. c. 10 v. 3 c. 11. ℣. 3. 4. 5. & 6. Item cap. 13. v. 7. Ezech. c. 7. v. 26. Item c. 22. ℣. 25. 26. 27. 28. 29. 30. & 31. Ezech. c. 34. Integr. Item c. 10. ℣. 21 & 22. Jerem. c. 12. v. 10 & 11. Item c. 23. v. 1 & 2. Item. c. 25. v. 34. Micheæ 3.

APPENDIX.

De residentiâ.

Inter oves sibi commissas residere.

ARTICULUS PRIMUS.

Pastores ab ovili suo abesse non debent.

VIGILENT (Prælati) sicut Apostolus præcipit, in omnibus laborent & ministerium suum impleant; implere autem illud se nequaquàm posse sciant, si greges sibi commissos mercenariorum more deserant, atque ovium suarum, quarum sanguis de eorum est manibus à supremo judice requirendus, custodiæ mi-

nimè incumbant, cùm certissimum sit non admitti Pastoris excusationem, si lupus oves comedit, & Pastor nescit. Ac nihilominùs, quia nonnulli (quod vehementer dolendum est) hoc tempore reperiuntur, qui propriæ etiam salutis immemores, terrenaque cœlestibus, ac divinis humana præferentes in diversis curiis vagantur, aut in negotiorum temporalium sollicitudine, ovili derelicto, atque ovium sibi commissarum curâ neglectâ, se detinent occupatos; placuit sacrosanctæ Synodo antiquos Canones, qui temporum atque hominum injuriâ penè in dissuetudinem abierunt, adversùs non residentes innovare, quemadmodùm virtute præsentis Decreti innovat &c. *Deindè pœnæ decernuntur in non residentes. Conc. Trid. Sess. 6 de reform. cap. 1.*

Episcopis inferiores quævis beneficia Ecclesiasticam personalem residentiam de jure sive consuetudine exigentia in titulum sive commendam obtinentes, ab eorum Ordinariis.... opportunis juris remediis residere cogantur: nullique privilegia seu indulta perpetua de non residendo aut de fructibus in absentiâ percipiendis suffragentur &c. *Idem, ibidem, c. 2.*

Ne verò ea, quæ de residentiâ sanctè & utiliter jam anteà sub felicis recordationis Paulo III. sancita fuerunt in sensus à sacro-sanctæ Synodi mente alienos trahantur, ac si vigore illius Decreti quinque mensibus continuis abesse liceat; illis inhærendo declarat sacro-sancta Synodus omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis ad Cathedralibus Ecclesiis quibuscunque, quocunque nomine & titulo præfectos, etiamsi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, obligari ad personalem in suâ Ecclesiâ vel Diœcesi residentiam, ubi injuncto sibi officio defungi teneantur. *Idem, Sess. 23 de reform. cap. 1.*

De residentiâ in Ecclesiis à Rectoribus faciendâ videtur nobis consulendum facto potiùs, quàm statuto; extant enim Concilia Romanorum Pontificum luce clariùs loquentia super eo; propter quod major requiritur executio statutorum, quàm editio sanctionum. *Conc. Londonense an.* 1237 *cap.* 13.

Si quis curatum habet Beneficium, apud Ecclesiam, ubi Beneficium habet, resideat, & officio satisfaciat; alioqui nihil recepturus. *Conc. Colon. II. an.* 1549 *de* 3 *medio reformandi Ecclesiam, cap.* 9.

Sanctum Tridentinum Concilium mandat Episcopis ut in Diœcesi suâ quisque resideat... servandum erit omninò Tridentini Decreti mandatum. *Conc. Camerac. an.* 1565. *tit.* 11 *cap.* 1 & 2.

Personalis residentiæ munus ut reverà per eos præstetur, qui illius generis Beneficia Ecclesiastica obtinent, omnem rationem Canonum jure, Tridentinisque sanctionibus præscriptam Episcopus ineat: à quo munere non excusetur, neque qui Beneficium Ecclesiamve habet, de cujus titulo adhuc lis & controversia pendet; nec verò item, qui nondùm Sacerdotio aut eo ordine, quem Beneficium illud requirit, initiatus est, nec prætereà qui justâ aliquâ causâ impedimentove detinetur &c. quominùs eo initietur. *Conc. Mediol. 5 p. 3 tit. de Residentiâ, initio, edit. Labbæi.*

Curati possessione adeptâ Ordines sacros secundum tempora à Canonibus constituta suscipere non dierant, ut ministerium sibi creditum quàm citissimè per seipsos adimplere possint, sub pœnis à jure constitutis. *Conc. Bituric. an.* 1584 *tit.* 35 *de Rectorib. Ecclesiar. Parochial. Can.* 4.

Resideant, ut Missas Parochiales per seipsos

celebrent, & suo muneri satisfaciant. *Idem, ibid. Can. 5.*

Parochialis munera curæ atque officia non per alios, sed ipsimet Parochi animarumve Curatores obeant ac præstent. *Conc. Aquens. an.* 1585 *tit. de Parochis & animarum Curatoribus, antè medium.*

Quæ de Episcopis à sacrâ Tridentinâ Synodo super hac re decreta constitutaque sunt, ea omnia, quâ fieri poterit diligentiâ, religiosissimè observentur. *Conc. Tolos. an.* 1590 *tit.* 7 *de Resid. init.*

Omnes curam animarum habentes residere debent in suis Parochiis, sub pœnis à sacris Constitutionibus & Tridentinâ Synodo latis. *Conc. Narbon. an.* 1609 *cap.* 32 *post medium.*

Non censeantur residere, qui tres menses in anno etiam per diversa intervalla absentes fuerint, & qui intra fines Parochiæ non habitaverint; nec enim gregem pascere creditur, qui semel in die & quasi cursim illum intuetur. *Idem, ibidem.*

Vides quantùm ministrorum obsit absentia, dùm sua quærunt, non quæ Jesu Christi. *S. Aug. ep.* 180 *ad Honorat. & nunc* 228 *n.* 9.

Quandò est commune periculum, magisque timendum est ne quisquam id facere credatur non consulendi voluntate, sed timore moriendi, magisque fugiendi obsit exemplo, quàm vivendi prosit officio, nullâ ratione faciendum est, (id est fugiendum.) *Idem, ibidem, n.* 10.

Pervenit ad nos Pimenium Amalphitanæ civitatis Episcopum in Ecclesiâ suâ residere non esse contentum, sed foris per diversa loca vagari... Idcircò hac tibi authoritate præcipimus ut suprà dicto Episcopo interminari non desinas, quatenùs hoc de cætero facere non præsumat, sed in Ecclesiâ suâ sacerdotali more resideat: quem si fortè non emendari post tuam

interminationem cognoveris, in Monasterio eum deputare, & nobis curabis modis omnibus indicare, ut quid facere debeas nostrâ iterùm præceptione cognoscas. *S. Greg. lib. 5 ep. 23 Anthemio Subdiacon. refertur causâ 7 q. 1 c. 20 Pervenit.*

Quid opus est tantam sollicitudinem, vigilantiam adhibere ad digniorem eligendum, quantam jura omnia clamant, si satis Episcopo est alios Ecclesiæ suæ ministros delegare? *Dominic. Soto, lib. 10 de just. & jure, q. 3 art. 1 longè ante fin.*

Quod autem de Episcopo assertum curavimus, de cunctis etiam parœcialibus Pastoribus subindè est intelligendum. *Idem, ibid. sub finem.*

Indubiè tenenda est pars affirmativa, (scilicet tempore necessitatis usque ad mortis perpessionem Pastorem ut residear obligari.) Quàm hic expresse divus Thomas in priori conclusione affirmat, quandoquidem ait propter nullum imminens personale periculum licere Episcopo Ecclesiam suam tempore necessitatis deserere; idque confirmat testimonio Christi, quod ideò in sensu preceptorio intelligit, sic scilicet, quod non sit bonus Pastor bonitate, quæ ad gratiam amicitiamque Dei retinendam necessaria est, nisi ubicunque necessitatis casus occurrerit cùm periculo vitæ gregi suo favore & auxilio præsens usque ad mortem adfuerit. *Idem, ibid. art. 4 longè post init. c. 4.*

Cùm pascere gregem sit juris divini, id quoque, sine quo id explicari non potest, juris sit divini necesse est. *Gentian. Hervetus, ep. ad Alphonsi. Salmeron. Soc. J. in Conc. Trid paulò post init.*

Quàm, quæso, est perversum eorum judicium, qui Pontificis authoritatem eos tueri existimant, qui non esse juris divini residere existimant &c. *Idem, ibid. longè post init. Ibidem vide plura.*

Videntur igitur mihi sex quædam res esse, quæ reformatione indigeant, nec sine periculo negligantur... Tertia res est absentia Pastorum ab Ecclesiis; quid enim prodest idoneum eligi, si non resideat? &, ut vetera prætermittam, Concilium Tridentinum, sess. 23 cap. 1. declarat præcepto divino teneri Pastores animarum oves suas agnoscere &c... Quæ omnia implere non posse, qui gregi suo non assistunt, & per se notum est & ab eodem Concilio explicatur.... atque hoc ut præcipuum, in quo vehementer timeo, ne offendam eos, ad quos pertinet dare operam ut Episcopi resideant; video enim in Ecclesiis Italiæ desolationem tantam, quanta antè multos annos fortasse non fuit; sed jam neque divini juris, neque humani residentia esse videatur. *Bellarm. ep. ad Clem. VIII.*

Fateor quidem aliquos Episcopos à residentiâ per obedientiam excusatos, neque illud inficior posse summum Pontificem certis de causis atque ad tempus Episcopos aliquos à residentiâ eximere; sed nescio an Deo placeat ut tantus numerus Episcoporum longo tempore tanto cùm animarum detrimento à propriis Ecclesiis absit, quos certè suo muneri satisfacere non posse perspicuum est. *Idem, ibid.*

Zachar. 2. O Pastor & idolum derelinquens gregem! Ad vivum profectò exprimit naturam ingeniumque Pastoris derelinquentis gregem, est enim nihil aliud, quàm Pastoris idolum; nempè imaginem tantùm præ se foris gerens & personam Pastoris, ut sculptus lapis re tamen ipsâ carens. *Idem, admonit. ad Episcop. Theonens. nepotem suum.*

Neque ferre potest apud se atque intra fines & ditionem suam (Academia Parisiensis) ut, quod ubiquè terrarum & in aliis damnat; & severis judiciis & pœnis coërcendum à religiosissimis Ecclesiæ Patribus & Episcopis censet,

illud ipsa (scilicet Academia Paris.) sciens videnſque in opprobrium ſuum in Magiſtris & Profeſſoribus ſuis ullomodò patiatur exiſtere aut conſpici : nempè, ut in ſcholis ſuis cujuſcunque gradûs profeſſionis & ordinis habet docentes & regentes Magiſtros aſſiduæ illi & quotidianæ operæ ac labori totum per annum aut etiam plures mancipatos atque addictos, qui tamen ſimul Paſtores animarum & Parœci ſint ; qui gregi perindè ac ovibus Chriſti in Eccleſiâ ſanctâ ejus in opus miniſterii præeſſe atque ad earum ſalutem orationi & miniſterio verbi inſtantes eſſe debeant ; nec verò poſſint ſine ſcelere ſacram hanc militiam deſerere.... Propterea, ut omninò ſe teſtificetur coram Deo & hominibus Academia alienam eſſe & immunem prorsùs à tali ſcelere.... altero rursùs decreto prohibet ne quiſquam, qui ſit Parœchus & Paſtor animarum, aſſumatur in Profeſſorem &c. *Decret. Academiæ Pariſ. pridiè Kal. Septembr.* 1652 *apud Cl. de la Place, de Reſidentiâ Paſtorum.*

ARTICULUS II.

Cur Paſtores inter oves ſuas reſidere debeant.

CUM præcepto divino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere pro his ſacrificium offerre verbique divini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omnium operum exemplo paſcere ; pauperum aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, & in cætera munia paſtoralia incumbere ; quæ omnia nequaquàm ab iis præſtari &

impleri possunt, qui gregi suo non invigilant neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt; sacro-sancta Synodus eos admonet & hortatur ut divinorum præceptorum memores factique forma gregis in judicio & veritate pascant & regant. *Concil. Trid. sess. 23 de Reform. c. 1.*

Scias, charissimè frater, quòd, si perniciosum est proretam in tranquillitate navim deserere, quantò magis in fluctibus? Ubi non dicimus quòd persecutorum non fugiamus, maximè paganorum, insidias, cùm ad tempus sæviunt... sed quòd præcipuè nos, qui tanquam arietes ducatum gregibus præbemus, imò qui & horum Pastores sumus Deo authore, cùm eis in periculis pro viribus resistere pro certo conveniat. *Nicol. Papa, c. Scisciteris, causa 7. q. 1. c. 47.*

Dicendum quòd in quâlibet obligatione præcipuè attendi debet obligationi finis; obligant autem se Episcopi ad exequendum Pastorale officium propter subditorum salutem; & ideò, ubi subditorum salus exigit personæ Pastoris præsentiam, non debet Pastor personaliter suum gregem deserere, neque propter aliquod personale periculum imminens, cùm bonus Pastor animam suam ponere teneatur pro ovibus suis. *S. Thom. 2. 2. q. 185 art. 5 in Corp*

Episcopus tenetur ex præcepto divini juris ad residendum personaliter in suo Episcopatu... Ad illud tenetur Episcopus sub præcepto divino, quod necessarium est ad finem Episcopi, qui est cura animarum; sed residentia Episcopi est necessaria ad curam animarum: ergo Episcopus tenetur sub divino præcepto ad personaliter residendum in suo Episcopatu. (*Deindè singulas partes hujus syllogismi probat*) *Cajet. in 2. 2. S. Thom. quæst. 185 art. 5.*

Pascere gregem officium personale est, quod

personæ præsentiam exposcit ; ergo eodem Evangelico jure tenentur suis Ecclesiis residere. Quæstionem hanc (scilicet de necessitate residentiæ) temporum iniquitas celebrem fecit ; nam ejus affirmatio, si vel de solo Pastoris nomine existimetur, adeò perspicaciter veritatem suam oculis objicit, ut in quæstionem evocari penitùs renitatur : quarè apud antiquos admonitam quidem ubilibet videre poteris, disputatam verò vix uspiàm. *Domin. Soto, lib. 10 de Justitiâ & jure, q. 3. art. 1 paulò post init.*

Constantissimum est Ecclesiarum Præsules imò & animarum omnes Pastores non usque ad Parœcios inter suos greges residere teneri ... ecquis enim mente sanus in quæstionem compellet utrùm janitor, cui cura claudendi recludendique commissa est, ad januam assistere debeat ; & cui navis gubernatio incumbit, ad clavum sedere ; & utrùm dux in bello, dùm geritur, & miles in acie debeat existere ? *Idem, ibidem, post initium.*

Si illi Episcopi, qui assiduè residents, & totis viribus in curam animarum incumbunt, neque suscipiunt alia tractanda negotia, vix tamen onus regiminis ferunt, & nimis cum ingenti periculo præsunt, ut de se S. Aug. loquitur lib. 10. Confess. cap. 40. & notum est ex Apologet. S. Greg. Naz. ex Dialogo S. Greg. quomodò non falluntur ii, qui longè ab ovibus suis absunt & alienis negotiis complicantur, & tamen muneri suo Episcopali se satisfacere confidunt. *Bellarm. ep. ad Clem. VIII.*

ARTICULUS III.

Quàm gravis culpæ teneantur Paſtores reſidentes.

SI quis autem, quod utinàm nunquàm eveniat, contra hujus Decreti diſpoſitionem abfuerit, ſtatuit ſacro-ſancta Synodus præter alias pœnas adversus non reſidentes ſub Paulo III. impoſitas & innovatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro ratâ temporis abſentiæ fructus ſuos non facere, nec tutâ conſcientiâ, alia etiam declaratione non ſecutâ, illos ſibi detinere poſſe &c. *Conc. Trid. ſeſſ. 23 de Reform. c. 1.*

Eadem omninò etiam quoad culpam, amiſſionem fructuum & pœnas de Curatis inferioribus & aliis quibuſcunque, qui beneficium aliquod Eccleſiaſticum curam animarum habens obtinent, ſacro-ſancta Synodus declarat & decernit: ità tamen ut quandocunque eos causâ priùs per Epiſcopum cognitâ & probatâ abeſſe contigerit, Vicarium idoneum ab ipſo Ordinario approbandum cum debitâ mercedis aſſignatione relinquant; diſcedendi autem licentiam in ſcriptis gratis concedendam ultra bimeſtre tempus niſi ex gravi causâ non obtineant. *Idem, ibidem.*

Non exiguum ſibi damnum conciliat Paſtor, qui extra ovile dormit ovium; ſomnolentia enim Paſtorum, luporum eſt gaudium *S. Ephr. de timore Dei, ad imit. Proverb. longè poſt initium.*

Si Beneficium eſt curatum, non reſidere abſque rationabili causâ peccatum communiter mortale eſt, pro quanto damnum infert ani-

marum, nisi propter imperfectionem actûs excusetur à mortali; infert enim contrarium naturali justitiæ, quâ tenetur ipsemet ex suscepto officio gerere ovium Christi curam, quæ regulariter sine residentiâ non potest haberi, ut debet, cùm etiam præsentes & sollicitè studentes circà animas vix regant, ut tenentur.... est etiam contra debitam charitatem Christo; nam amor ejus non est apud eum, qui parvipendit, quæ maxima sunt Christi, salutem scilicet animarum sibi commissarum; etenim experientia testatur quàm malè se habeant in spiritualibus & in temporalibus Ecclesiæ Christianæ propter absentiam Pastorum. *Cajetan. summul. verb. Benefic. n. 6.*

Peccatum est nimis grave mortale, non residere in Ecclesiâ propriâ absque causâ; sive enim residentia sit de jure divino, sive humano, quod nos non intendimus modò definire, omnes conveniunt esse mortale, & magnæ damnationis. *Tolet. Inst. Sacerd. l. 5 cap. 4 n. 1.*

ARTICULUS IV.

Quibus pœnis subjaceant.

CUM igitur Ecclesia vel Ecclesiasticum ministerium committi debuerit, talis ad hoc persona quæratur, quæ residere in loco, & curam ejus per semetipsum valeat exercere. Quòd si aliter fuerit actum, & qui receperit, quòd contra sanctos Canones accepit, amittat; & qui dederit; largiendi potestate privetur. *Conc. Lateran. III. an. 1179. cap. 13.*

Ordinamus & statuimus ut Prælati & curam animarum habentes in suis Ecclesiis corporaliter resideant, & ad hoc à suis Episcopis per subtractionem fructuum compellantur. *Conc. Vien-*

nense an. 1267 *sub Clem. IV. cap.* 12. *Item Conc. Nantenense an.* 1264 *sub Urbano IV. & S. Ludov. cap.* 6. *Item Conc. apud Castrum Gonterii an.* 1231 *sub Greg. IX. & S. Ludov. cap.* 4. *Item Conc. Ravenn. IV. an.* 1317. *Rubricâ* 9. *Conc. Exoncense an.* 1287, *cap.* 19. *Conc. Andegav. an.* 1365 *cap.* 17.

Quorum fundationes personalem residentiam requirunt, illi aut ipsi resideant, aut à proventuum perceptione suspendantur, & fructus illi in alios pios usus convertantur. *Conc. Colon. an.* 1536 *part.* 3 *cap.* 12.

Eos autem, qui præter causas ab eodem Concilio expressas abfuerint, præter mortalis peccati crimen, quod incurrunt, pro ratâ portione absentiæ fructus Ecclesiarum, quibus præesse deberent, percipere non posse, sed eos in Fabricæ utilitatem vel pauperum usum conferendos esse. Nos igitur, cùm tam salutare & necessarium decretum aliaque generis ejusdem & quorumcunque Pastorum assiduitatem seu residentiam pertinentia velimus in nostrâ Provinciâ diligentissimè observari, statuimus ut, qui Provinciæ nostræ Episcopi in Ecclesiis suis non residerint..... teneantur fructus temporis, quo abfuerint, in instaurationem Ecclesiarum &c.... impendere... Eadem omninò etiam quoad culpam & amissionem fructuum de Parochis & aliis quibuscunque Beneficium Ecclesiasticum, cui adjuncta est animarum cura, obtinentibus declaramus atque decernimus. *Conc. Burdigal. tit.* 19 *de Pastorum residentiâ, init. an.* 1583. *Item Conc. Turon. an.* 1583. *tit.* 14 *de Parœcis & Presbyteris. Item Conc. Rothomag. an.* 1581. *tit. de Curatorum officiis, circa initium.*

Qui à curatis Beneficiis contra Trid. Concilii præceptum deinceps abfuerint, eosque, quos pro temporis absentiâ suos non fecerint, iis

quibus ex eodem Concilio debentur, fructus non solverint, ii ornandis reficiendisque eorum Ecclesiis aut loci pauperibus attribuantur. *Conc. Tolos. an.* 1590 *tit. de Resid. initio.*

Qui Beneficio aut ejus fructibus gaudet, is aut resideat aut fructus non percipiat, aliisque Decreti pœnis subjaceat. *Idem, ibid. in fine.*

Clericos in Ecclesiis tuæ jurisdictionis Beneficia, quæ residentiam exigunt, assecutos, si ad alterius Diœcesim absque licentiâ tuâ morandi causâ transierint, liceat sibi, si moniti non redierint, dictis Beneficiis, nisi excusationem rationabilem ostenderint, spoliare. *Greg. IX. c. Clericos, de Clericis non residentibus*

Tenetur Curatus residere; hæc autem residentia est sic intelligenda, ut juxta Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 1. de Reformat. non possit abesse absque legitimâ causâ; alias perdit omnes reditus pro tempore absentiæ. *Tolet. Instruct. Sacerdot. lib.* 5 *cap.* 5 *n.* 7.

ARTICULUS V.

Quid præstare debent residentes.

NE quis se defunctum munere suo putet; si otiosus in Ecclesiâ desideat, intelligat quoniam præcepto divino mandatum est omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas cognoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini, & Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam pro viribus gerere; quæ omnia nequaquam ab his præstari & impleri possunt, qui gregi suo non adsistunt neque invigilant. *Conc. Rhemens. statut. 1 an.* 1564.

Boni Pastoris munus est gregem suum agnoscere, eundemque pascere, & ab injuriâ prohibere; quod minimè facere possunt, quos contingit ab ovium suarum caulis diutius abesse. *Conc. Burdig. tit. 19 de Past. resident. init. an. 1583.*

Non sit inutilis ac otiosa & sine fructu eorum residentia. *Conc. Turon. an.* 1583 *tit.* 14 *de Presbyteris & Parœcis, post initium.*

Parochi præterea perpetuo Ecclesiæ suæ assistant, & gregi invigilent, sit zelantes in salute fidelium procurandâ. *Conc. Aquens. ann.* 1583 *tit. de Paroch.*

Ex sacris Canonibus residentia est accipienda in eum sensum, ut sit laboriosa, non otiosa; id quod duobus præsertim Tridentinæ Synodi verbis egregiè exprimitur, ut pascant & regant; quorum primum ad vitæ innocentiam, ad salutaris verbi prædicationem, ad Sacramentorum administrationem & bonorum exemplum pertinet; secundum ad disciplinam restituendam, ad mores purgandos, & juris Ecclesiastici ditionem, ad bonorum laudem & vindictam malorum sustinendam spectat. *Conc. Aquileiens. cap.* 5 *an.* 1596.

Qui curam animarum ex officio susceptam habent, rei debent, quàm sustinent, quæ singulis periclitatur momentis, præsentem operam dare; atque hi quidem, ut corporali insistunt residentiâ, ità piis debent conatibus urgere, ne quid propter illorum injuriam aut nequitiam pereat, & reddendæ rationis obligatione malum custodem obstringat. *idem, ibid. cap.* 6 *init.*

Quod de Episcoporum residentiâ à sacro Tridentino Concilio & Summorum Pontificum Constitutionibus cautum est, hoc non est intelligendum, ut præsentiâ assideant, nihil præterea agant; cùm ex sacris Canonibus residentia sit accipienda in eum sensum, ut sit laboriosa,

non otiosa; id quod duobus præsertim Tridentinæ Synodi verbis egregiè exprimitur; Ut pascant & regant. *idem, ibid. cap. 5 antè medium, an.* 1596.

Cùm Sacerdotia populi curandi, non Sacerdotis nutriendi gratiâ sint instituta & eos Pastores tanquam custodes super muros Jerusalem positos plebs fidelis expectet, quorum ora & linguæ clament quotidiè, manus plantent & ædificent, oculi verò pervigiles ab Aquilone malum omne consurgens prospiciantes superno collustrati lumine avertant, placuit omninò nobis ea, quæ de residentiâ Pastorum ab ultimo Provinciali cauta sunt, innovare. *Conc. Burdig. an.* 1624 *cap.* 11 *de pastor. residentiâ.*

Residentia dicitur, assiduitas commorationis in loco Beneficii causâ servitii Ecclesiastici personaliter præstandi. Ex quo collige cùm Sylu. verbo, Residentia, princip. Si Clericus in loco sui Beneficii commoretur quidem, sed officium nunquam præstet, v. g. Canonicus nunquàm ad Chorum, ad Capitulum veniat, non esse censendum residere; quia frustranea est ejus residentia, quippè fine & affectu suo destituta. *Layman. lib.* 4 *tract.* 2 *cap.* 6 *n.* 1.

ARTICULUS VI.

Quænam sint causæ legitimè excusantes à residentiâ.

NEQUE abesse posse nisi ex causis, & modis infrà scriptis.... (*Deindè subjiciuntur illæ causæ*) Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia ac evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas. *Conc. Trid. sess.* 23 *Decret. de Reform. cap.* 1.

Neque ab eisdem nisi ex causâ necessariâ & ob evidentem Ecclesiæ utilitatem, quæ à Me-

tropolitano, vel eo absente, ab Antististe antiquiore syngraphâ seu scripto approbetur, abesse posse. *Conc. Burdigal. tit. 19 de pastor. resid init. an. 1583.*

Relatum est nobis quòd, cùm in Lateranensi Concilio statutum sit, ut personæ tali Ecclesiæ vel Beneficium Ecclesiasticum conferatur, quæ residere in loco, & curam ejus per se valeat exercere, nonnulli ad Ecclesias præsentati hoc se posse affirmant, sed efficere contradicunt... cùm igitur verba accipienda sint effectu, tales si præsentati fuerint, non debent admitti, & admissi poterunt amoveri, nisi fortè de licentiâ suorum Prælatorum, vel studio Litterarum, vel pro aliis honestis causis contingerit eos abesse. *Alexand.* III. *Can. Relatum Decret. Gregor. lib.* 3 *tit.* 4 *c.* 4.

Quæsivisti præterea ut, cùm interdùm Canonici, quibus studiorum gratiâ est indultum ut in absentiâ suâ fructus percipiant Præbendarum suarum, acceptâ licentiâ se ad villas transferunt, vel Castella, in quibus nullum est vel minùs competens exercitium studiorum, utrùm Præbendarum suarum fructus sint talibus conferendi? Ad quod breviter respondemus eis, qui hujusmodi fraudem committunt, cùm fraus & dolus nemini debeat patrocinium impertiri, præfatam indulgentiam competere non debere. *Innoc.* III. *c. Tuæ fraternitatis, de Clericis non residen. Decretal. Gregor. lib. 3 tit. 4 cap 12.*

Ecclesiarum suarum prosequentes utilitatem censeri debent residentes. *Bonifac.* VIII. *c. Cùm non deceat, Sixti Decret. lib.* 1 *tit.* 6 *c.* 30.

An propter intemperiem aëris, relicto ibi Vicario approbato ex Ordinarii consensu, Parochus non indè oriundus possit alibi habitare. Congregatio censuit non posse; si tamen Rector infirmus esset, & in loco Parochialis Curæ

curari non potest defectu medicorum medicinarumve, tunc posse ab Ordinario dari ei dilationem trium vel quatuor mensium, ut in locis vicinioribus maneat recuperandæ sanitatis causâ, posito intereà ab ipso Ordinario in Parochiali Vicario cùm congruâ portione ex reditibus Parochialis. *Declaratio Cardinal. interpret. Conc. Trid. in cap. 1 Decretal. de Reform. sess. 23.*

A Residentiâ non excusatur exercens officium Subcollectoris Apostolici, vel Inquisitoris, neque etiam excusat lis super eâdem Parochiali mota. *Idem, ibid.*

(Ut Beneficiatus excusetur à peccato non residendo) duo concurrere debent, scilicet causa rationabilis & honesta & licentia sui Prælati, ut in cap. Relatum, de Cleric. non resid. in text. & gloss. Non ergo sufficit sola Prælati licentia sine honestate causæ, quia Prælatus non potest sine causâ dispensare contrà ejus. *Gabr. Biel. in 4. Sent. dist. 5 quæst. 8 dub. 2 antè medium.*

A residentia excusant tria, necessitas impedimenti, qualitas negotii, & conditio personæ.... Ex Ecclesiæ bono sumenda est ratio præsentiæ aut absentiæ. *Cajetan. in 2. 2. S. Thom. q. 185 art. 5.*

Ex his, quæ dicta sunt, elicitur causas omnes, ob quas licitè Præsul potest à suâ Ecclesiâ abscedere, nullatenùs existimandas esse respectu suæ propriæ personæ; quandoquidem & vitam ipsam Ecclesiæ debeat, sed tantùm respectu boni Ecclesiæ, cui fidem habet obligatam. Quarè etsi Cajetanus in præsentiarum easdem causas sub tribus generibus complectatur, quæ sunt necessitas impedimenti, qualitas negotii & conditio personæ; ad commodum tamen Ecclesiæ sunt omnes referendæ. *Soto l. 10 de just. & jure, art. 4.*

Quænam sunt justæ causæ à continuâ residentiâ excusantes? Respondeo cum Azorio lib. 7 cap. 4 q. 44. posse eas ad quatuor capita revocari, quorum meminit Concil. Trid. sess. 2. c. 1. cùm Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas aliquos nonnunquàm abesse postulet. *Layman. l. 4 tract. 2 cap. 6 n. 5.*

CAPUT IV.

Divinum officium recitare.

ARTICULUS PRIMUS.

De Divini officii excellentiâ.

Vide Conc. Colon. 1536. pag. 1. c. 2.

Quorum celebritate & frequentiâ in militanti Ecclesiâ triumphantis figura tanquam exemplaris imitatione exprimitur. *Conc. Aquileïens. an. 1596 tit. De divinis offic. init.*

Ubi Psalmus cum compunctione, ibi & cum Angelis suis Deus adest. *S. Ephr. ludicris abstinendum esse, circà med. tom. 1 pag. 94 litt. A. col. 2 edit. Antuerp.* 1619.

Psalmus Dæmonas propellit; Psalmus telum in timoribus nocturnis; Psalmus divinorum requies laborum; Psalmus infantibus tutela; Psalmus senibus consolatio, mulieribus ornamentum decentissimum; hic festa collustrat, hic eum, qui secundùm Deum est, dolorem procreat; Psalmus si quidem ex lapideo licèt corde lachrymas excitat; Psalmus Angelorum opus, cœlestis vitæ ratio & institutum,

ſpiritaliſque quidam ſuffitus ; hic mentem illuminat ; hic in cœlum reducit ; hic homines Deo familiares colloquio reddit , animam lætificat. *Idem , ibid. paulò antè med. col. 1 litt. E.*

Pſalmus eſt vox Eccleſiæ. . . Angelorum opus, cœleſtis Reipublicæ in commune propoſita functio , ſpirituale thymiama. *S. Baſil. in proœmio , pſalm. poſt medium.*

Pſalmorum cantus... illius (cœleſtis) hymnodiæ præludium eſt. *S. Greg. Naz. orat. 40 in fine , n. 52.*

Angelorum militia eſt ſemper eſſe in Dei laudibus. S. *Ambr. ep. 82 ad Vercellenſ. Eccleſ. nunc ex edit. Bened. eſt ep. 63 n. 82.*

Cantica fidelia , & ſoni pietatis excludentes turgidum ſpiritum. S. *Aug. Confeſſ. lib. 9 c. 4 n 8 pag. 160 litt. A. tom. 1 edit. Bened.*

Orationum officium velut peculiare ſacrificium ſtudioſiùs celebrant. *Caſſian. lib. 2 inſtit. c. 12 in fine.*

Majores noſtri arma religionis dixere Pſalmodiam. *S. Joan. Climac. ſcal. Parad. grad. 4 de obed. n. 13.*

Pſalmodia eſt opus incorporearum virtutum Deo adminiſtrantium , & indivulsè aſſiſtentium , juxtà quod dicitur , Laudate Dominum de cœlis &c. *B. Antioch. hom. 105 init. pag. 275 tom. 12 Bibl. Lugd.*

Pſalmodia ſanè juge eſt ſacrificium laudis. *Idem , ibid.*

Certè quid opus eſt ut explicem quantùm gratiæ & ſpiritualis lætitiæ inferatur cordi ejus , qui cum compunctione & pervigili attentione pſallit Domino ? Norunt planè , qui didicerunt doctrice experientiâ. *Idem , ibid. p. 276 litt. A.*

Septem Canonicarum horarum officia , quaſi ſeptem baptiſmatum lavacra in ſanctæ Eccleſiæ ſunt gremio conſtituta , ut ſeptem offenſionum maculas , quas ex quotidianâ vitæ hujus con-

versatione contrahimus, totidem, ut ità loquar, orationis quotidianæ fluentis expiare curemus. *Petr. Damian. opusc. de Horis Canonic. c. 1.*

Elisæus, cùm sibi spiritus Prophetiæ deesset, Psaltem sibi applicari præcepit, ut per laudem psalmodiæ ad eum spiritus Prophetiæ descenderet. Vox psalmodiæ, cùm per intentionem cordis agitur omnipotenti Deo, ad cor iter paratur, ut intentæ menti vel Prophetiæ vel compunctionis gratia infundatur; undè sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei. In sacrificio igitur laudis fit Jesu iter ostensionis; Jesus enim Salvator dicitur in psalmodiâ: igitur devotæ menti semper gratia infunditur cœlitus. *Hugo à S. Victore, miscellan. cod. 2 lib. 1 tit. 130.*

Opus Dei. *S. Bonav. speculi. discipl. ad Novit. p. 2. c. 1. circà medium.*

ARTICULUS II.

De divini Officii recitandi obligatione.

DISTRICTE præcipientes in virtute obedientiæ ut divinum Officium nocturnum pariter & diurnum, quantùm eis dederit Deus, studiosè celebrent pariter & devotè. *Conc. Lateran. c. Dolentes, de celebrat. Missæ.*

Debitum suæ servitutis pensum. *Conc. Mogunt. Capit. Ad mores pertinent, c. 53 an. 1549.*

Nisi velut lege quâdam solvere hæc pietatis officia saltem statutis temporibus adigamur, totum diei spatium oblivione aut desidiâ vel occupationibus involuti absque orationis interpellatione consumimus. *Cassian. institut. lib. 3 c. 3.*

Sit sanè in ore tuo perpes ac jugis psalmus. *B. Antioch. hom. 105 pag. 276 tit. C. tom. 12 Bibl. Lugd.*

Psalmodia, Canon noster dicitur. Sanè quemadmodùm unus aliquis agricola, nisi suum ca-

nonem plenum ac bonum reddiderit, in carcerem conjicitur, suspenditur &c. Ità continget Monacho, cùm per oscitantiam sibi præscriptum transmiserit canonem; is enim gratiâ mox destituitur, suis addicitur inimicis, illorum succumbit pedibus & proculcatur, nec unæ afflictionum procellæ talem adoriuntur. *Idem*, *ibid.*

Nemo Dei se æstimet servum, si Dei potissimam negligat servitutem, quæ appropriato vocabulo Dei servitium nuncupatur. *S. Bonav. specul. discipl. ad Novit. part. 1 c. 16.*

ARTICULUS III.

De modo recitandi Officii.

SECTIO PRIMA.

Dignè.

NEC perfunctorio modo, & irreligiosè Officia peragantur divina. *Concil. Burdig. an 1624 cap. 9 n. 4.*

Debemus non passim ventilare preces nostras inconditis precibus, nec petitionem commendandam modestè Deo tumultuosâ loquacitate jactare, quia Deus non vocis sed cordis auditor est. *S. Cypr. de orat. Domin. post init.*

Psallite Domino Sancti ejus. Non si quis Psalmi verba ore proferat, hic mox psallit Domino; sed quicunque corde puro expromit psalmodiam, & quicunque sunt sancti erga Deum justitiam servantes, hi demùm Domino psallere rithmis spiritualibus, concinno & consentaneo ordine poterunt. *S. Basil. in psal. 29 longè antè medium.*

Eum, qui pro civitate ipsâ totâ; quid dico, civitate? imò verò pro universo terrarum orbe legatus intercedit, deprecatorque est apud Deum, ut hominum omnium, non viventium modò, sed

sed etiam mortuorum peccatis propitius fiat; qualem, quæso, esse oportet? *S. Chrys. lib. 6 de sacerdot. cap.* 4.

Quid prodest quia hymnum cantat lingua tua, si sacrilegium exhalat vita tua? *S. Aug. in ps.* 102 *ad v.* 21 *n.* 28 *pag.* 1128 *litt. D. tom.* 4 *edit. Bened.*

Cura Officii diligens, maxima statûs integritas; neglectus Officii, maxima vitæ corruptio, maxima religionis deformitas. *S. Bonav. specul. discipl. ad Novit. part.* 1 *c.* 16.

Tantò ampliùs reverentiæ & diligentiæ studium divino debetur officio, quantò id Deo immediatiùs exhibetur. *idem, ibidem.*

Parisiis, ut fertur, cùm quidam Theologus unius horæ Canonicæ incepisset Officium, superveniente Episcopo ad loquendum cum eo caput sine locutione inclinatus horam inceptam Episcopo expectante finivit, causam subinferens quòd majori Domino loquebatur. *Idem, ibidem.*

Quidam propter interruptiones in Officio factas gravissimo afflictus purgatorio memoratur. *Idem, ibidem.*

SECTIO SECUNDA.

Attentè.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Quàm necessaria sit attentio recitantibus Officium.

Psallentium in Ecclesiâ Domino mens concordare debet cum voce, ut impleatur illud Apostoli; Psallam spiritu, psallam & mente. Quoniam, quamvis ubiquè Dominum per potentiam divinitatis noverimus esse, præcipuè tamen eum, cùm divino assistimus Officio, per gratiam nobis credimus adesse. *Conc. Aquisgr. lib.* 1 *cap* 132 *an.* 816.

Non ſuffecerit preces iſtas horarias utcunque præmurmuraſſe ; ſed..... Presbyter ex intimo affectu elevatâque mente in ſolum Deum nocturnum hoc diurnumque ſuæ ſervitutis penſum exſolvat ; maledictus enim, qui facit opus Domini negligenter. *Conc. Colon. I. part. 2 c. 8 an. 1536.*

Omnes, qui Horis Canonicis perſolvendis deputati ſunt, dent operam ut collectis animis, quoad fieri poteſt, debitum penſum abſolvant, nec ità ſe habeant, ut, dùm voce pſallunt, quidvis potiùs quàm Deum animo cogitare videantur, ſemper caventes ne propheticum illud audiant ; Labiis quidem me honorant &c. *Conc. Trevirenſ. an. 1549 cap. 6 de Horis Canonic.*

Quid eſt voce pſallere, mente autem domum aut forum circuire, niſi homines fallere, at Deum irridere ? *Idem, ibid.*

Grave admodum eſt, quod Scriptura dicit ; Maledictus, qui facit opus Dei negligenter. *Id. ibidem.*

Quandò autem ſtamus ad orationem, fratres dilectiſſimi, vigilare & incumbere ad preces toto corde debemus ; cogitatio omnis carnalis & ſæcularis abſcedat, nec quidquam tunc animus, quam id ſolùm cogitet, quod precatur ? *Cypr. de orat. Dominicâ, longè poſt med.*

Quæ autem ſegnitia eſt, alienari & rapi ineptis cogitationibus & profanis, cùm Dominum deprecaris ? Quaſi ſit aliud, quod magis debeas cogitare, quàm cùm Deo loqueris ? Quomodò te audiri à Deo poſtulas, cùm teipſe non audias ? Vis eſſe Deum memorem tui, quandò tu ipſe memor tui non ſis..... hoc eſt, quandò oras Deum, majeſtatem Dei negligentiâ orationis offendere, hoc eſt, vigilare oculis, & corde dormire. *Idem, ibidem.*

In concinnendis Pſalmis attenti perſiſtamus, oremuſque voce exertâ & conſtanti, averſari

ſtudium omne multivariæ cogitationis & curioſæ ſollicitudinis. *B. Antioch. hom.* 105 *p.* 276 *litt. F. tom.* 12 *Bibl. Lugd.*

Pſallere ſine devotione, eſt quaſi æs ſonans & cymbalum tinniens. *Petr. Bleſ. ſerm.* 56 *ad Sacerdot. poſt medium.*

Duo neceſſaria ſunt in pſalmodiâ, intellectus & cordis immaculati devotio. *idem, ibidem.*

Quandoquè, dùm pſallimus, facimus caſtella in animo, & imaginamur vanitates & inſanias falſas: labia ſunt in canticis, & animus in patinis.... non eſt hic Pſalmus jucundus decoraque laudatio. *Idem, ſerm.* 59 *ad ſacerdot. Vide plura ibidem.*

Hoc autem in omni occaſione obſervent ut, quod orantes dicunt, ex animo ſemper dicant; non enim vocibus, ſed rebus agitur apud Deum. *S. Bonav. ſpecul. diſcipl. part.* 2 *cap.* 1 *circà medium.*

§. II.

Quibus attendere debeat, qui Officium recitat.

Semper verſiculum decantatiſſimum animo volventes. *Cone. Trevirenſ.* II. *ann.* 1549 *c.* 6 *de Horis Canon.*

Verba ſingula notet, interpretationem ſtudio aſſequatur, undè mens animuſque ad aliquem ſalutarem affectum incendatur. *Conc. Mediol. V. part.* 3 *tit. Quæ ad divina Officia pertin. poſt med.*

Magnâ animi attentione ſe ad verba ſententiaſque Pſalmi accommodet, ità ut laudet, gemat, extimeſcat, ſicut Pſalmorum voces indicant, &, quod deinquè ore profert, animo primùm concipiat. *Idem, ibid.*

Ad verba adjungat animo cogitationem vel amoris, vel reverentiæ, vel humilitatis; atque ità quidem affectum aliquem excitet, ut, ſi de virtute verba pſalmi profert, deſiderio accendatur imitationis; ſi de peccatis, intimè do-

leat. . . & sic de aliis, item quæ psalmo significantur. *Idem, ibidem. Vide plura ibidem.*

Si orat psalmus, orate ; &, si gemit, gemite ; &, si gratulatur, gaudete ; &, si speràt, sperate ; &, si timet, timete ; omnia enim, quæ hìc conscripta sunt, speculum nostrum est. S. *Aug. in ps.* 30 *enarrat.* 4 *circà init. n.* 1 *pag.* 162 *litt. A. tom.* 4 *edit. Bened.*

Stude intelligere ea, quæ dicis, si potes ; si verò non potes intelligere, reverere, quia, sicut dicit sapiens, per reverentiam accedet tibi bona gratia. *S. Bonav. Reg. Novit. c.* 1.

§. III.

Quænam cogitationes repellendæ.

Non decet ullomodò ut inter preces aliud agatur, seu necessarium sit, seu non necessarium. *S. Joan. Clim. grad.* 19 *sub finem.*

Hæc solemnis consuetudo dæmonibus inolevit : si quandò unum aliquem viderint animo alacri psallentem aut orantem, cogitationes tunc suggerunt rerum prospectui necessariarum, mentem interim psallentis per hæc aliò detorquent, nempè ad rerum illarum indaginem, ut. . . . totius perdat dulcedinem psalmodiæ. B. *Antioch. hom.* 105 *circà med. pag.* 276 *litt.* B. *tom.* 12 *Bibl. Lugd.*

Undè vos moneo, dilectissimi, purè semper ac strenuè divinis interesse laudibus. . . . purè verò, ut nihil aliud, dùm psallitis, quàm quod psallitis, cogitetis ; nec solas dico vitandas cogitationes ; vanas & otiosas vitandæ sunt & illæ, illâ duntaxat horâ & illo loco, quas officiales fratres pro communi necessitate quasi necessariò frequenter admittere compelluntur ; sed ne illa quidem profectò recipere tunc consuluerim, quæ fortè paulò antè in claustro sedentes in codicibus legeratis, qualia & nunc me vivâ

voce differente ex hoc auditorio Spiritûs Sancti recentia portatis : salubria sunt , sed minimè illa salubriter inter psallendum revolvitis ; Spiritus enim Sanctus illâ horâ gratum non recipit, quidquid aliud , quàm debes , neglecto eo , quod debes , obtuleris. *S. Bern. serm. 47 in cant. sub fin. n. 8 pag. 1431 litt. D. & E. tom. 1 edit. Mabil.*

(Sapientiæ 1.) Spiritus Sanctus aufert se à cogitationibus , quæ sunt sine intellectu ; quæ secundo loco ponuntur cogitationes sine intellectu , ipsæ sunt vanæ , illæ & otiosæ. . . . non repentè perimentes , sed sensim & paulatim corrumpentes , occupantes tempus , necessaria impedientes , & animum inficientes non tam cogitationes , quàm ex variis vel imaginariis recordationibus simulachra quædam cogitationum. *De vitâ Solitar. ad Fratr. de monte Dei , int. op. S. Bern. c. 15 sub fin. n. 59 p. 227 litt C. tom. 2 edit. Mabil.*

Voluntas neglecta facit cogitationes otiosas & indignas Deo ; corrupta perversas , quæ separant à Deo ; rectà necessarias ad usum vitæ ; pia efficaces ad fructum spiritûs & ad fruendum Deo. *Ibid. c. 16 n. 61 pag. 228 tom. 2 edit Mabil. dub.*

Cùm fueris in Ecclesiâ vel alibi ad divinum officium celebrandum , non sis ibi cum vagatione cordis, interponendo nociva & cogitando diversa , quia dicit Bernardus ; Magna abusio est habere os in choro & cor in foro. *S. Bonav. in Reg. Novit. c. 1 circà init.*

SECTIO TERTIA.

Devotè.

Non vocis tantùm modulatione , sed devotione cordis debitum suæ servitutis pensum absolvant ; & ad divina officia peragenda corpore pariter & mente se componant , quo simul

& Deo cultum gratum exhibere, & populo considerenti devotionem augere valeant. *Conc. Mogunt. capitul. Ad mores pertinent, cap.* 53 *an.* 1549.

Qui canunt, multâ cum attentione & compunctione canant. *Synod. in Trullo. Can.* 5.

Nec clamans, sed amans cantat in aure Dei; audit enim ille vocem cordis, sine quâ sonum oris contemnit: quarè videndum est ut, qui spiritu psallunt, & mente psallant. *Conc. Trevir. II. an.* 1549. *c.* 6. *de Horis Canonic.*

Quas tibi voces dabam in psalmis illis, & quomodò in te inflammabar ex eis, & accendebar eos recitare, si possem, toto orbe terrarum adversùs typhon generis humani. *S. Aug. lib.* 9 *Confess. c.* 4 *n.* 8 *pag.* 160 *litt. B. tom.* 1. *edit. Bened.*

Quantùm flevi in hymnis & canticis tuis: suave sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter: voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas in cor meum, & exæstuabat indè affectus pietatis, & currebant lachrymæ, & benè mihi erat cum eis. *Idem, ibidem, c.* 6 *in fine.*

Quis autem veraciter laudat, nisi qui sinceriter amat. *Idem, ep.* 120 *& nunc edit. Bened.* 140 *cap.* 18 *pag.* 438 *tom.* 2.

Qui timetis Dominum, laudate eum. Ps. 21. Ut Deum non serviliter, sed liberè colatis; eum amare discite, quem timetis, & poteritis laudare, quod amatis. *Idem, ibid.*

Immolantes hostiam laudis jungamus sensum verbis, & affectum sensui, exultationem affectui, gravitatem exultationi. *S. Bern. serm.* 1 *in cant.*

Psallite sapienter; cibus in ore, psalmus in corde sapit. . . . offeramus cum Apostolis in cœlesti convivio & in Dominicâ mensâ favum mellis; mel in cerâ, devotio in litterâ est; alio-

quin littera occidit, si absque spiritûs condimento glutieris; si autem cum Apostolo psallas spiritu, psallas & mente, cognosces & tu de illius veritate sermonis, quem dixit Iesus; Verba, quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. *Idem, serm. 7 in cant. n. 5 pag. 1283 litt. F. tom. 1. edit. Mabil.*

Sic delectabitur in crassitudine anima tua. *Idem, ibid. n. 6.*

Sic placebis principibus. *Idem, ibid.*

Si psallitis, psallite sapienter; Psallamus, inquit Apostolus, ore, psallamus & mente, offerentes cum Apostolis favum mellis. Quid est favus, nisi mel in cerâ? Et quid est mel in cerâ, nisi devotio in litterâ? Quidam sunt, qui, ex quo versum incipiunt, videtur eis longissimus, quo ad finem veniant, & singula verba ità currendo præcipitant, ut in favo Domini non remaneat mel aut cera; versum unum sub clausulâ unâ glutiunt, & canticum Domini decurrunt, & perfunctoriis synalæptiis dimidiant. *Petr. Blesf. serm. 12 de vitâ, moribus & offic. Prælator. & Cleric.*

Duo necessaria sunt in psalmodiâ, intellectûs & immaculati cordis devotio; & tunc non solùm Angeli, sed Dominus Angelorum venit, ac se libentissimè interponit, & evenit quod dicitur per Prophetam; Psallam & intelligam in viâ immaculatâ, quandò venies ad me. *Idem, serm. 56 ad Sacerdot. sup. v. 12 cap. 6 Levit. longè antè finem.*

Quid prodest psalmus, nisi devotione comitetur? Psallere sine devotione, est quasi æs sonans & cymbalum tinniens. *Idem, ibid.*

ARTICULUS IV.

De iis, quæ circà celebrationem divini Officii in Choro ſervanda ſunt.

SECTIO PRIMA.

Quædam circà intentionem ſervanda.

UTINAM optando à Deo optimo maximo conſequi poſſimus, ne quiſquam lucri causâ divinis intereſſet, alioqui non acceſſurus, ſacra veluti quem nummi magis quàm Dei amor in templum trahit, quæſtum pietatem eſſe putantem: qui non dubium ex numero eorum eſt, de quibus Iſaïas dixit; Omnes diligunt munera; ſequuntur retributionem. *Conc. Colon. I. ann.* 1536 *part.* 3 *c.* 13.

Quarè viderint Clerici ut eorum mens & intentio tota in Deum referatur, ut cum David confiteantur Deo in directione cordis... in viâ etiam teſtimoniorum Domini delectentur, ſicut in omnibus divitiis: optandum ut pſalmus ille centeſimus decimus octavus, qui toties non ſine causâ in Eccleſiis replicatur, ore ſimul & correſpondente ſingulis verbis mente decantetur, & cum eodem Pſalte ex animo dicatur; Voluntariè ſacrificabo tibi & confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum eſt. *Idem, ibidem.*

Anteà verò quàm eò conveniat, paululùm attentè ſecum cogitet & loci illius ſanctitatem, & conveniendi cauſam, & divinarum laudum, quarum munus Angelorum eſt, officia, quæ caſtiſſimè ab omnibus concelebrari oportet. *Conc. Mediol. V. part.* 3 *tit. Quæ ad divina officia pertinent.*

Ipſa quoque Eccleſiaſticæ dignitatis officia in

turpem quæstum & tenebrarum negotium transfiere ; propter hoc tondentur ; propter hoc frequentant Ecclesias, Missas celebrant, psalmos decantant. S. *Bern. serm. 6 in psal.* Qui habitat, *sub fin. n. 7 pag.* 838 *litt. C. tom. 1 edit. Mabil.*

SECTIO SECUNDA.

Servanda antè ingressum in Chorum.

1°. Studio quodam intimæ pietatis, cujus splendor foris etiam eluceat, unusquisque... ad chori disciplinam sese instruat. *Conc. Mediol. V. part. 3 tit. Quæ pertinent ad divina officia.*

Hac ipsâ in cogitatione firmiter inhærens, nec quicquam quidem mente animoque concipiet ab ejus loci religione alienum, nedum aget, quod Dei oculos offendat. *idem, ibid.*

Paret se propterea etiam atque etiam diligenter sanctâ intimi animi meditatione & religiosâ oratione, ut exteriorem quoque cultum divinorum Officiorum salutariter exequatur. *Idem, ibidem.*

Dum superpelliceum, qui amictus ex telâ lineâ candidâ constat, induit, cogitet quam personam sustineat, nempè à sordibus labeque puram, qualem vestitus ille indicat. *Idem, ibid.*

Cùm Chori vestibus indutus alium vestitum, quò foris utitur, contegat, sicque aliam personam habitu gerat, caveat ne quidquam etiam in Sacristiâ agat admittatve, quod cum actione non rectè conveniat, ob quam illum habitum induit. *Idem, ibid.*

Ne in colloquiis quidem ab eâ actione alienis se occupet, nisi curæ præsit, quæ id necessariò postulet. *Idem, ibid.*

SECTIO TERTIA.

In ipso ingressu in Ecclesiam & Chorum.

Terribilis est locus iste ; non est hic aliud, nisi Domus Dei.. *Gen.* 18. 17.

Mox ut auditum fuerit signum, festinatò omnes ad Ecclesiam conveniant. . . . Qui sequitur, aut tardè ad Matutinum aut ad aliud quodlibet divinum obsequium peragendum occurrerit, dignum ut non cum aliis in Choro, sed omnium ultimus, aut certè, ut erubescere discat, in loco hujusmodi negligentibus à Prælatis constituto stet. *Conc. Aquisgran. ann.* 816 *lib.* 1 *c.* 131.

Ecclesiam non pompaticè, aut inhonestè, vel incompositè, sed cum reverentiâ & Dei timore ingrediantur. *Idem. ibidem.*

Studendum solerter ut, cùm Ecclesiam vel ad divinæ laudis debita solvenda vel ad agenda Missarum solemnia intramus, semper Angelicæ præsentiæ memores cum timore & veneratione competenti, cœleste compleamus officium. *Id. ibidem.*

In Chorum ne properanter quasi distributionum quæstu incitatus accedat, sed gravi incessu. *Conc. Mediol. V. part.* 3 *tit. Quæ ad divina officia pertinent.*

Introeuntes Ecclesiam, divini officii sive, celebrandi sive audiendi gratiâ frontem aquâ benedictâ aspergant, & signo crucis sese muniant, ac genu flexo adorent, præsertim Clerici simul atque Chorum ingressi erunt. *Conc. Bituric. an.* 1584 *tit.* 1 *De adorando Deo. Can.* 8.

Cùm itaque aderit hora divini Officii celebrandi, quisque cùm omni alacritate primus in excubiis Domini inveniri studeat, non vanum nec inane reputans, aut in die æternæ retributionis negligendum, si alios semper prævenire studuerit, ac prior Dominum salutare, & plus damnationis quàm laudis habere; adeòque tepidi, fastidiosi, negligentis otiosique animi indicium esse ad ultimum campanæ motum expectare, & avari irreligiosique animi præ se ferre notam desinente campanarum sono

ad Ecclesiam certatim accurrere, & instar venatoris canis hiante ore spiritum trahere. *Octavius Frangipanus Episcopus Tricaricensis in directorio disciplinæ Ecclesiast. tit. De divinis officiis.*

Ubi quisque templum fuerit ingressus, corpore & mente antè tabernaculum Corporis Dominici in genua provolutus per virtutem & mysterium illius sacramenti sese Deo brevi & ardenti oratione commendet, atque in illum tanquam in unicum divini cultûs principium medium & finem omnem intentionem atque attentionem animi configat; indèque mox cum silentio in Chorum ad locum suum se conferat. *Idem, ibidem.*

Ingredientibus porrò nobis in domum Dei, ne mente evagemur ac distrahamur; sed contemplationi operam det interior noster homo. *S. Ephr. de timore Dei ad init. Proverb. longè post init. tom. 3 pag. 402 litt. B. edit. Antuerp. 1619.*

SECTIO QUARTA.

Post ingressum in Chorum.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Quæ spectant corporis compositionem, & habitum in Choro.

Nec cum baculis in Choro, exceptis debilibus, sed religiosissimè illis standum & psallendum est. *Concil. Aquisgran. lib. 1 c. 131 an. 816.*

Cùm in Choro fuerint, gravitatem servent, quam locus & officium exposcunt. *Conc. Senonan. 1528 tit. de Decret. mor. c. 18 Conc. Turon. an 1683 tit. 13 de Capitulis dignitat. & Canon.*

In Choro pro temporis & Officii ratione ex instituto & more Ecclesiæ sedeant, stent, flec-

tant genua, caput aperiant, & submittant, cæteraque ejus generis adhibeant, omnes verò æquè idem faciant. *Conc. Mediol. I. part. 2 tit. Quomodò versandum in Choro.*

Ne vagentur in Choro vel Ecclesiâ. *Idem, ibidem.*

Neve locum mutent ne occasione quidem genua flectendi. *Idem, ibidem.*

Dùm sancta Evangelia in Ecclesiâ recitantur, Sacerdotes & cæteri omnes non sedentes, sed venerabiliter in conspectu Evangelii stantes, discooperto capite Dominica verba intentè audiant & fideliter adorent. *Conc. Turon. ann. 1583. Tit. de Capitul dignit. & Canonic.*

In Choro Clerus ne vagetur oculis; incomposito corporis situ ne stet, vel sedeat; non moveatur huc illucque. *Conc. Aquens. an. 1585. Tit. de Choro, sub finem.*

Porrò si usquàm vultu, moribus, affectu totiusque exterioris & interioris hominis compositione declaranda in Deum pietas atque religio est, ea in Templo, in Choro, in ipsis divinis Officiis ac publicis religionis Officiis declaranda est; parùm enim in Deum pius ac religiosus esse convincitur, qui hìc irreligiosus esse invenitur. *Octav. Frangipan. Episc. Tricarien. in directorio Eccles. discipl. Tit. De divinis Offic.*

Non hac illacque vano animo curioso oculo circumspiciat. *Idem, ibidem.*

Sed nec locum quidem mutet *Idem, ibid.*

Sive stent, sive in genua procumbant, sive sedeant, ab omni indecoro innixu sive in scamnum sive in murum vel aliquid aliud abstineant, sed decenter sine vagâ dispositione. *Idem, ibid.*

Sit autem orantibus sermo & precatio cum disciplinâ, quietem continens & pudorem. Cogitemus nos sub conspectu Dei stare; placendum est divinis oculis & habitu corporis & mo-

do vocis ; nam, ut impudentis est clamoribus obstrepere, ità contrà congruit verecundo modestis precibus orare. *S. Cypr. de orat. Dominicâ, circà medium.*

Et cùm Ecclesiasticis illis Officiis ritè credatur Angelicam semper adesse præsentiam, dicente Scripturâ ; in conspectu Angelorum psallam tibi &c. Quantò putamus adversùs vos zelo moventur, dùm in conspectu illius nos irreverenter sedere conspiciunt, cui scilicet ipsi trementes assistunt. *Petr. Damian. opusc. 39 contrà sedentes tempore divinor. Offic. cap. 3 circà initium.*

Reverentiam in Officio honesta corporis dispositio, quæ mentis devotionem non mediocriter promovet, attestatur. *S. Bonav. specul. discipl. part. 2 c. 1.*

In Choro non stent in stallis suis molliter aut quasi fractis genibus resoluti. *Idem, ibidem.*

Dispositio corporalis honesta devotionis provocat affectum & designat. *Idem, ibidem, paulò antè finem.*

Honestas in Choro in exteriorum actuum gravitate, in corporis decenti & uniformi dispositione accipi potest. Sanè in populo gravi laudatur Deus ; gravitas autem inquietudinem ; dissolutionem & tumultum excludit ; inquietudo in motu membrorum consistit, sive capitis in circumagendo, sive oculorum in circumspiciendo per Chorum, vel alibi &c. sive manuum in fricando vel volvendo curiosè librorum folia vel aliud superfluè faciendo, sive pedum in discurrendo, ut si quis oratorium frequenter exeat, aut per Chorum frivolis occasionibus inventis discurrat.... Dissolutio verò in verbis aut risu, quibus in Choro vanissimum est, dissolvi, & in cantu considerari potest &c. Tumultus in Choro per vocis susurrium, per importunitatem spuendi seu excreant-

di, seu per impetuosam elevationem & depositionem sedilium fieri solet &c. *Idem, ibidem; c. 15. De discipl. Officii in Choro, paulò post initium.*

Sedilia verò debent non passim cum pede, sed cum manu elevari, & cautè deponi, ne aliquis ex hoc sonitus in domo Dei audiatur. *Idem, ibidem.*

In corporis dispositione decenter & uniformiter sint in Choro; decenter, quod sine vagâ dispositione vel turpi; vagâ, ut quandò Chorum ingressi vel intrante vel adstante conventu nunc segniter residunt, nunc stantes quidem hac & illac membrorum ut languentium incongruâ quâdam exagitatione se girant, nunc statuæ instar stallo affixi & è regione dispositi, velut sui obliti, nec ad Altare demissis, ut decet, luminibus antè inceptum Officium oraturi se vertunt, vel aliàs irreligiosè disponunt, sed nudato etiam aliquandò capite circumquaque, ut cervus in saltu, vel ruralis in theatro, gyrovagando respectibus in oculos advenientium vel coastantium vultus infigunt, suoque indisciplinato intuitu collateralium orationem, quam ipsi negligunt, etiam impediunt; turpis autem erit, si sint ibi molliter aut remissè, se in stallis suis brachiis tibiisque resolutis notabiliter incurvando, aut in partem unam penitùs, ut possunt, protenso in alteram partem corpore accubando, ità ut lecti mollitiem quærere videantur. . . . aut, dùm sedent, pedes suos usque ad scabellum formæ contiguum licentiùs extendendo &c. uniformitas est in prostratione & inclinatione specialiter, quanquam in aliis generaliter observanda &c. *Idem. ibidem.*

Non est devoti, sed pigri rigido stante corpore tenui motu corporis inclinare. *Idem, ibid. sub finem.*

§. II.

Quæ spectant exteriorem Chori disciplinam.

Nemo, dùm horæ in communi publicè cantantur, legat vel dicat privatim Officium. *Conc. Basileens. sess. 21 c. 5. Trevirens. an. 1549 Narbon. 1609 & alia passim.*

In Choro colloquia nulla permittantur, sed intendant omnes divino cultui. Qui contrà fecerit, nisi monitus quiescat, privetur ejus horæ distributione. *Conc. Camerac. an.* 1365. *Tit. De cultu & cæremon. & Offici. divin. cap.* 9.

Ac ne horas quidem Canonicas privatim absolvere audeat, sed concinat, ac unà cum fratribus Deum honorificet. Contrarium qui fecerit, tanquam absens habeatur. *Conc. Trevirens. II. an.* 1549. *cap.* 6 *de Horis Canonic.*

Faceſſant ſomnus, riſus, joci, rixæ, colloquia. *Conc. Mediol. I. part. 2 cap. Quomodò verſandum in Choro.*

Ne in Choro, ubi communi Officio opera datur, privatim Officium dicant. *Idem, ibid.*

In Choro etiam in matutino Officio Clericali Biretto, non pileo utantur. *Idem, ibidem.*

Ne quis Canonicus dignitateve præditus, aut Eccleſiæ cujuſvis miniſter, Clericuſve quicunque, dùm horariis divinarum precum intereſt, aut proceſſiones, funera vel functiones Eccleſiaſticas obit, Superpelliceo aliove ſacro indumento indutus chirotecis etiam manus induat. *Conc. Mediol. IV. p. 2. Tit. De his, quæ ad divina Officia pertinent, poſt medium.*

Non pigri, non ſomnolenti, non oſcitantes adeſtote, non mente vagâ, non vagis oculis, non indecenti corporis ſtatu. *Idem, part. 3 Tit. Monitiones, circà medium.*

Chori diſciplina plena religionis eſt, plena pietatis, ac propterea ſanctè ab iis obſervanda eſt, qui in eum locum conveniunt ad Dei lau-

des concelebrandas. *Conc. Mediol. V. part. 3 Tit. Quæ ad divina Officia pertinent.*

Cùm in Choro fuerint, gravitatem servent, quam & locus & Officium exigunt; non inter se aut cum aliis confabulantes seu colloquentes, non dormientes, aut litteras seu scripturas alias legentes.... ne, ubi peccatorum est venia petenda, ibi gravius peccandi detur occasio. *Conc. Turon. de capitul. dignit. & Canonic. an.* 1583.

Neve litteras, libros aliave scripta legant. *Concil. Mediol. I. Tit. Quomodò versand. in Choro. Conc. Senon. an.* 1528 *Turon. an.* 1583 *Tit.* 13. *De capitulis, & dignit. & canonicis.*

Omnes denique in Templo ità se suasque actiones componant, ut sibi non cum homine, sed cum Deo rem esse intelligant. *Conc. Rhem. an.* 1583 *Tit. De cultu divino, n. 6.*

Non legat aliud in Choro, præterquam Officium, quod tunc cantatur. *Conc. Aquens. Tit. De Choro, an.* 1585.

Non flores in manu teneat. *Conc. Aquens. De Choro, sub fin. an.* 1585.

In Choro colloquia non permittantur, non dormiant aliquis, non nugetur. *Conc. Narbon. an.* 1669 *cap.* 30.

Huc atque illuc per Templum non vagetur aut confabulandi gratiâ in Sacristiam aut Sacrarium vel alium angulum secedat, sed nec locum mutet, nec è Choro egrediatur, nisi peractis ex toto divinis Officiis. *Octav. Frangip. Episc. Tricarien. in directorio discipl. Eccles. Tit. De divinis officiis.*

Quòd Prælatus sit odiosus laïcis contingit, si negligit cultum divinæ laudis. Malach. 2. Irritum fecistis pactum Levi, dicit Dominus exercituum; propter quod dedi vos contemptibiles & humiles omnibus populis *D. Thom. in 1 ad Tim. 3 lect. 2 paulò antè medium.*

Dormitatio in Officio tunc maximè imputatur, & omissi dicitur restitutione Officii redimenda, quandò manum in sinu tenendo, vel segniter appodiando ei occasionem quis præstat, aut subrepentem viriliter non repellit. *S. Bonav. specul. discipul. part. 1 c. 15. paulò post init. tom. 7 pag. 540 edit. Mogunt. 1609.*

Cessent vana, & multò satiùs fœda in Ecclesiâ & prophana colloquia; cessent confabulationes quælibet, ne, ubi peccatorum est venia postulanda, ibi peccandi detur occasio, aut deprehendantur peccata committi. *Greg. X. de immunit. c. 2 l. 6.*

§. III.

De internâ religione in Choro.

Dùm in Choro estis, memores estote adesse Christum Jesum Dominum, cui servite cum timore & tremore. *Conc. Mediol. IV. pag. 3. Tit. Monitiones, antè med. pag. 530. litt. C. tom. 15. Conc. Labb.*

Cùm in Choro est; animum mentemque ab omnibus curis, perturbationibus & cogitationibus à rei, quæ geritur, sanctitatè alienis, quoad ejus fieri potest, abducat, seseque totum in Dei cultu colligat &c. *Conc. Mediol. V. p. 3. Tit. Quæ ad divina Officia pertinent, Conc. Labb. tom. 15 col. 672. litt. E.*

Pietas, cultus Dei est; nec colitur ille, nisi amando. *S. Aug ep. 120 & nunc 140 edit. Bened. cap. 18 pag. 438 tom. 2.*

Antequàm eò conveniat, paululùm attentè secum cogitet, & loci illius sanctitatem, & conveniendi causam, & divinarum laudum, quarum munus Angelorum est, officia, quæ castissimè ab omnibus celebrari debeat. *Concil. Mediol. V. part. 13. Tit. 16 Quæ ad divina Officia pertinent.*

Dùm Superpelliceum, qui amictus ex telâ

lineâ candidâ conſtat, induit, cogitet quam perſonam ſuſtineat, nempè à ſordibus labeque puram, qualem veſtitus ille indicat. *Idem, ibidem.*

Illud etiam cogitet quam ob cauſam eò ſe contulerit; tùm ſibi ſtatuat ſe in conſpectu Dei omnipotentis & in coronâ innumerabilium Angelorum & Sanctorum eſſe. *Idem, ibidem.*

Quâ in cogitatione videat, perpetuòque reputet ſe eo loco conſiſtere, ut Deo ſanctiſſimum cultum venerationemque tribuat, atque ab eo & ſibi & aliis omne bonum deprecetur. *Idem, ibidem.*

ARTICULUS V.

De modo recitandi Officium divinum extra Chorum.

Quantùm ad præparationem, & devotionem.

AD quam (devotionem in Officio) ſe diſponere & præparare debent juxtà id, quod ſcriptum eſt; Antè orationem præpara animam tuam. *Conc. Baſileenſ. an. 1435 ſeſſ. 21 cap. Qualiter Horæ Can. dicendæ ſunt extra chorum.*

Sanè in Officio Dei curanda ubiquè magnoperè reverentia & honeſtas, cùm ubiquè ſit eadem ejus, cui tunc loquimur & adſtamus, Deitas & Majeſtas. *S. Bonav. ſpecul. diſcipl. pag. 1. cap. 16.*

Quandò fuerint duo vel plures, quaſi Chorum ſibi conſtituant, & Pſalmos atque Hymnos accipiant alternatim, ut eſt conſuetudinis conventui; congruus ordo eſt in omnibus ubiquè providè diſciplinato ſervandus. Ordinatum animum ordinis decor & condecet & condelectat; inordinati verò eſt animi etiam in exterioribus ordinem non curare; & tamen ordina-

tionis exterioris religio attentionem excitat & affectum. *Idem, ibid. sub finem.*

Oratione namque aliquâ utiliter prævenitur Officium. *Idem, ibidem, pag. 2 c. 1. circà medium.*

Nec sibi de gratuitis orationibus blandiatur, si circà necessaria, quæ primo loco habendæ sunt, desidiosi extiterint. *Idem, ibidem.*

Quantùm ad compositionem & statum corporis.

Ne quâ item occasione in diversa rapti desint officio suo, districtiùs prohibemus ne deambulando Horas dicant, sed in aliquem locum orationi aptum tantisper concedant, ne mentis evagatio, quæ ex tumultuariâ deambulatione nasci solet, fructum orationis intercipiat. *Concil. Trevir. 1549 c. 6 de Horis Canonicis.*

Si quandò extra Chorum Officium dixerint, diligentiam nihilominùs & honestatem prædictam debent, in quibus poterunt, studiosè servare, ut dimissis omnibus, quæcunque in manibus fuerint, stantes cum reverentiâ juxtà traditionem Ecclesiasticæ disciplinæ..... Creatori suo debitas cum devotione laudes exsolvent flectentes genua vel inclinantes pro tempore cum timore Dei. *S. Bonav. specul. discipl. ad Novit. p. 1 c. 16.*

Si quandò eos ad sedendum debilitas evidens vel nimia lassitudo compellat, saltem ad inceptionem Officii, ad Invitatorium, Hymnos, ad Orationem Dominicam, & à Capitulo in antè surgere non omittant. *Idem, ibid.*

Si etiam in lecto ægritudinis decumbant, reverentiam nihilominùs aliquam faciant, prout possunt. *Idem, ibid.*

Nec aliam ei (Officio divino) occupationem admisceant; cessent manus; oculorum evagatio reprimatur, ut mens ab exteriori curâ

penitùs libera soli valeat Deo vacare. *Idem, ibid. part. 2 cap. 1 paulò post medium.*

Si quandò per viam Officium dixerint, & si non vacat continuè, dùm illud dicunt, ab itineratione quiescere, saltem ad collectam præcedentium collectivam, quandò omninò tota est in Deum intentio colligenda, in uno sistant loco; imò, si tempus exegerit, & locus permiserit, cùm reverentiâ genuflectant, ut in oratione communi totum Officium venerentur. *Idem, ibidem, antè finem.*

Irreverentes & pigros se noverint, si debitas Deo laudes sedendo vel jacendo exolvant, nisi necessitas evidens cogat. *Idem, ibid.*

Quantùm ad locum.

Tali in loco, undè à devotione non retrahantur. *Conc. Basileens. an. 1439 cap Qualiter Horæ Canon. dicendæ sunt extra chorum, sess. 21 c. 5 an. 1435.*

Omnes Ecclesiastici etiam Beneficiati Horas Canonicas attentè ac distinctè dicant depositâ omni sollicitudine sæculari, nullaque colloquia intermiscean t, ac Deum precaturi locum hujuscemodi sibi deligant, in quo à pietate ac devotione non abducantur. *Concil. Bituric. ann. 1584. Tit. 12. De celebrand. divin. Offic. can 12.*

Debet autem ipsas (Horas Canonicas) reddere in Ecclesiâ, si potest, juxtà illud Psalmi 67. In Ecclesiis benedicite Deum. Aliter reddat ubiquè, & honestè, quandò commodè poterit. *D. Thom. opusc. 65 de Sacerdot. Offic. part. 1. De Horis canon. art. unico, circà initium.*

Quantùm ad pronuntiationem.

Quoscunque etiam alibi Beneficiatos seu in

sacris constitutos, cùm ad Horas Canonicas teneantur, admonet hæc sancta Synodus, si orationes suas Deo acceptas fore cupiunt, ut non in gutture, vel inter dentes, seu deglutiendo, aut syncopando dictiones, nec colloquia vel risus intermiscendo, sed sive soli sive associati diurnum nocturnumque Officium reverenter verbisque distinctis paragant. *Conc. Basileens. an. 1435 cap. Qualiter Horæ canon. dicendæ sunt extra chorum.*

Caveant item, qui. . . . extra Chorum Horas privatim legunt, ne somnolentè, aut truncatis verbis, aut intrà fauces compresso spiritu preces demurmurare, vel ut ethnicus quidam ait, Rabiosa silentia rodere videantur; sed articulatè, distinctè, disertè, & cum attentione, integrè omnia pronuntient. *Concil. Trevirens.* II. *an. 1549 cap. 6 de Horis canonic.*

Versum unum sub clausulâ unâ glutiunt, & Canticum Domini decurrunt, & perfunctoriis synalephis dimidiant. *Petr. Blef. serm. 59 in Sacerdotes, paulò ant. fin.*

Debent dicere Officium distinctè, continuè, integrè & ordinatè; distinctè, ne verbum masticando, vel exiliter proferendo, vel nimiùm festinando dicenda confundant; continuè, ut interruptiones in eo non fiant, interloquendo, nisi urgente necessitate &c. integrè dicant, ut de dicendis nihil omittant.... ordinatè deniquè Officium in substantiâ, tempore & modo omnibus exequi studeant, postpositiones, implicationes, variationes facilè non admittant. *S. Bonav. specul. discipl. part. 1 c. 16.*

Officium suum in Choro, & extra non perfunctoriè quidem simiaticis, ut aïunt, labiis, sed devotè semper & integrè dicere studeant. *Idem, ibidem, circà medium.*

Quantùm ad tempus.

Tempus quoque congruum ſervent, nec facilè præter neceſſitatem diurnas Horas, ſive Primam, ſive Completorium ſaltem canonicum, ſive alias nocturnas convertant. *idem, ibidem, ſub finem.*

CAPUT V.

Sacramenta piè adminiſtrare.

ARTICULUS PRIMUS.

De adminiſtratione Sacramentorum in genere.

SECTIO PRIMA.

De excellentiâ illius muneris.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Ex dignitate Sacramentorum.

IN quibus, (Sacramentis) tanquam in vaſis cœleſtibus ſalutis remedia continentur. *Conc. Londin. an. 1237 cap. 2.*

Inſtrumenta, quibus nobis gratia morte & Paſſione Chriſti acquiſita infunditur. *Convent. Melodun. an. 1579 de ſacramentis in genere.*

Gratiam Sacramenta ſeu vaſa quædam divina continent, eamque ritè ſuſcipientibus conferunt. *Conc. Burdig. an. 1583.*

Sacramentis quaſi mediis quibuſdam præſtantiſſimis cultus Deo ſanctiſſimus pleniſſimuſ-

que pietatis exhibetur. *Conc. Rhem. an. 1583. Tit. de sacramentis.*

Dona Dei liberaliter & gratis concessa. *Conc. Narbon. 1609 c. 13 de sacram. in genere.*

Vasa gratiæ sunt Sacramenta. *idem, ibid.*

Non vulgaris, sed cœlestis res agitur, cùm Sacramenta tractantur. *idem, ibid.*

Sacratissima signa. *S. Dionys. c. 1 de Eccles. Hierarch.*

Signa mystica. *S. Basil. ep. ad Amphiloch. can. 72 & 80.*

Vestimenta Christi Sacramenta ipsius, quæ potuerunt dividi per hæreses. *S. Aug. in ps. 21 enarrat. 2 ad v. 19.*

De latere Christi Sacramenta Ecclesiæ profluxerunt, cùm dormiret in cruce. *Idem, in ps. 40 post med. ad v. 9 in ps. 56 post med. ad v. 5 in ps. 103 concione 4 v. 26.*

Sacramenta signacula rerum divinarum sunt visibilia, sed res invisibiles in eis honorantur. *Idem, de catechisandis rudibus, c. 26 circà initium.*

Sacramento divina virtus assistit. *Idem, de Baptismo contrà Donatist. lib. 3 c. 10 ant. fin.*

Sacro-sancta signacula. *Idem, expositione Ep. ad Rom. inchoatæ, post med. n. 18 edit. Bened. tom. 3 p. 2 pag. 936 litt. G.*

§. II.

Ex eorum utilitate.

(Ecclesiæ Sacramenta sunt) per quæ omnis vera justitia vel incipit, vel incepta augetur, vel amissa reparatur. *Concil. Trid. sess. 7 in proœmio.*

Quò major & uberior est Sacramentorum fructus, quàm ut ejus vis explicari facilè possit, eò diligentiùs & intimâ animi pietate & externo cultu ac veneratione tractanda sunt

Conc. Mediol. I. part. 2 tit. de iis quæ ad Sacram admin. generatim pertinent, init. an. 1565.

Ecclesia nihil habet pretiosius, nihil ad æternam salutem consequendam magis necessarium, quàm à Christo septem instituta Sacramenta, quibus omnis justitia vel cepta augeatur, vel amissa reparetur. *Conc. Burdigal. an.* 1583 *tit. 8 de Sacramentis.*

Mutata sunt Sacramenta, facta sunt faciliora, pauciora, salubriora, feliciora. *S. Aug. in ps. 73 post init. n. 2 pag. 769 litt. D. tom. 4 edit. Bened.*

Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimùm, & ideò contempta sacrilegos facit; impiè quippè contemnitur, sine quâ non potest perfici pietas. *Idem, lib. 19 contra Faustum Manichæum, cap. 11 sub finem.*

Temporalia Sacramenta alligamenta medicinalia sunt contritionis nostræ. *Idem in ps. 146 antè med. v. 3 n. 8 p. 1642 litt. A. t. 4 edit. Bened.*

Ab ipsâ sapientiâ Dei... saluberrima Sacramenta constituta sunt. *Idem, de verâ relig. cap. 17.*

Inter omnes quærentium faciem Dei Jacob occupationes nihil æquè memoriâ pariter & usu dignum arbitror, ut Ecclesiastica Sacramenta simul & officia; illa enim de fide & moribus ritè considerata docent & instruunt, hæc rerum authori pro donis quotidianis vectigalia rependunt, ut ampliora promereantur divinæ largitatis beneficia. *Hugo à S. Vict. lib. 1 de Sacram. in prologo.*

Sunt quoque Sacramenta ornamenta Ecclesiæ militantis, quæ in Cantico dicitur, Terribilis ut castrorum acies ordinata; & quidem terribilis, quia fortis, munita per Sacramentum Confirmationis; acies, quia conjuncta & unita per Sacramentum Eucharistiæ: ordinata per Ordinem;

dinem ; ex hac acie quidam subtrahuntur per mortem, ad hos restaurandos est Matrimonium ; quidam prosternuntur per culpam, ad hos relevandos est Pœnitentia ; hanc aciem quidam ingrediuntur, ut prælientur, & hoc per Baptismum ; quidam egrediuntur ut coronentur, & hoc per extremam-Unctionem. *S. Bonav. in antiloq. 3 part. sect. 47 paulò antè finem.*

Constituta sunt ab ipsâ incarnatâ Sapientiâ pro salute hominum septem Sacramenta pro diversitate salvandorum. Primum est intrantium, ut est Baptismus ; secundum est pugnantium, ut est Confirmatio ; tertium est vires resumentium, ut est Eucharistia ; quartum est resurgentium, ut est Pœnitentia ; quintum exeuntium, ut est Extrema-Unctio ; sextum ministrantium, ut est Ordo ; septimum novos milites introducentium, ut est Matrimonium ; horum etenim Sacramentorum magna est utilitas. Baptismus ordinatus est contra originale peccatum ; Pœnitentia contra mortale ; Extrema-Unctio contra veniale ; Ordo contra ignorantiam ; Eucharistia contra malitiam ; Confirmatio contra impotentiam ; Matrimonium contra concupiscentiam, quam temperat & excusat. Disponunt quoque hæc Sacramenta ad septem virtutes habendas, Baptismus est Sacramentum fidei, Confirmatio spei, Eucharistia charitatis, Pœnitentia justitiæ, Extrema-Unctio perseverentiæ, quæ est fortitudinis complementum. *B. Laurent. Justin. lign. vitæ, tract. 8 de spe, cap. 5 n. 4.*

Venit (Christus) sicut peritissimus languentium animarum medicus, confecitque spiritualia medicamenta, Ecclesiastica videlicet Sacramenta, quatenùs fideliter ad dignè illis utentes ex gehennæ atque iræ filiis efficeret Dei filios, & sibi perpetuos cohæredes. *Idem, de grad. perfect. c. 3 n. 1.*

SECTIO SECUNDA.

Quomodò administranda sunt Sacramenta.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Cum puro corde & decenti habitu.

Sacerdotes in Sacramentorum administratione semper Superpelliceum & Stolam adhibeant. *Conc. Mediol. I. an.* 1565 *part.* 2 *tit.* 1.

Prohibemus autem Curatis ac quibuscunque Presbyteris, ne ullum Sacramentum conferant, ac ne quidem confessiones audiant, nisi in Superpelliceo, Stolâ, ac habitu Sacerdotali, sed maximè in conscientiæ puritate. *Conc. Rothom. an.* 1581 *tit. de Sacram. circa initium.*

Ad virtutis culmen omni animi pietate, sanctitate ac religione contendere is profectò debet, cui Sacramenta tractanda sunt, vel ministranda. *Conc. Aquens an.* 1585 *tit. de Sacrament.*

Atque ut intùs candidâ innocentiæ Stolâ exornati esse debent, ità etiam extrinsecùs mundo Superpelliceo Stolâque ejus coloris, qui Sacramento ministrando congruat, induti sint semper. *Idem, ibidem.*

Summâ cum sanctitate & veneratione Christianis veniunt & tractanda & suscipienda (Sacramenta.) *Conc. Tolos. an.* 1590 *part.* 2 *cap.* 1 *de Sacram.*

Sit Parochus, ad quem administratio Sacramentorum spectat, purus & ab omni labe lethalis peccati alienus, ne, dùm aliorum quærit salutem, seipsum condemnet, sibique æternæ damnationis sit minister, & illi dicatur à Deo; Signa novi, Sacramentum approbo, gratiam largior; tu verò labiis & corde pollutus, quis es? *Conc. Narbon. an.* 1609 *c.* 13 *de Sacram. in genere.*

Ut populus intelligat non vulgarem sed cœlestem rem agi, cùm Sacramenta tractantur. *Idem, ibidem.*

Neque enim potest quisquam peccatis suis æger minimèque sanus immortalium sanitatum remedia ministrare. S. *Ambros. lib. de viduis, c.* 10 *n.* 65. *pag.* 203 *tom.* 2 *edit. Bened.*

Fideliter, humiliter, devotè & piè. *B. Laurent. Justinian. de institut. & regim. Prælat. cap.* 10 *n. ult.*

§ II.

Cum reverentiâ, & præscriptis Cæremoniis.

Si quis dixerit receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit. *Conc. Trid. Sess. 7 de Sacrament. in genere, Can. 13.*

Quantâ cum reverentiâ & puritate & quantâ cum externi cultûs munditiâ Sacramenta quibus quasi quibusdam instrumentis nobis gratia morte & passione Christi acquisita infunditur, tractari debeant. *Convent. Melodun. de Sacram. in genere. an.* 1579.

Sacramentorum contemptus, ut ait Divus Augustinus, homines sacrilegos facit; impiè enim contemnitur, sine quo pietas stare non potest. *Conc. Burdigal. an.* 1583 *num.* 8 *de Sacram.*

Ac, ne Sacerdotum in Sacris tractandis negligentia, & incuria populi pietatem imminuat, præcipimus ut præscriptas..... Cæremonias, non solùm diligenter, sed etiam summâ cum animi attentione & religione observent. *Idem, ibidem.*

In Sacramento, ſicut etiam in omnibus aliis.. Si aliquid de ſubſtantialibus omittatur, non conficitur Sacramentum; ſi verò aliquid de accidentalibus, ſolùm conficitur, ſed graviter peccant, qui ſcienter omittit, quia facit contra præceptum Eccleſiæ. *D. Thom. in 4 diſt. 3 art. 2.*

§ III.

Secluſo turpi quæſtu & abſque omni labe avaritiæ.

Gratis accepiſtis, gratis date. *Matth. 10.*

Illud præterea diligenter caveant ne pro illis adminiſtrandis ab ullo vel omnium rerum inope Sacerdote verbis aut etiam ſignis quicquam prorsùs vel minimum quovis modo petatur exigaturve.... non avaritiæ tantùm labe notatus, ſed etiam ſimoniacæ pravitatis reus. *Concil. Aquenſ. an. 1585 tit. de Sacram.*

Ut nullus ſive Epiſcopus, ſive Presbyter ſive Diaconus immaculatam præbens communionem ab eo, qui communicat, ejus participationis gratiâ obolos vel quamvis aliam ſpeciem exigat; non eſt enim venalis gratia, nec pro pecuniis Spiritûs ſanctificationem impartimur; ſed ea iis, qui digni ſunt, abſque ullâ eſt calliditate communicanda; ſi quis verò... exigere viſus fuerit, deponatur, ut ſimoniaci erroris, & maleficii æmulator. *Synod. Trullan. Can. 23 an. 692 pag. 1153 tom 6 Conc. Labb.*

Sacramenta Eccleſiaſtica, in quibus tanquam in vaſis cœleſtibus ſalutis remedia continentur, nec non oleum ſanctificatum & Chriſma à miniſtris Eccleſiæ, purè atque devotè, quâlibet exclusâ cupiditatis labe, ſtatuimus & ſtatuendo præcipimus exhiberi, nullâ difficultate in eis adhibitâ, exhibendis, prætextu conſuetudinis alicujus, quâ dicantur ab eis qui ea recipiunt

aliquibus aliqua persolvenda. *Conc. Londin. an.* 1237 *cap.* 2.

Execrabilis quorumdam Sacerdotum avaritia usque ad Sacramentorum ipsorum contemptum & injuriam nonnunquàm irrumpit, dùm sine numerato pretio conferre Sacramenta detrectant. Quorum pravam cupiditatem sacris etiam Conciliis invisam & damnatam comprimere volentes, omnibus nobis subjectis Parochis seu Ecclesiarum ministris seriò prohibemus, ne quid de Sacramentorum administratione à quoquam velut debitum aut exigant aut recipiant... Sed ultrà id etiam oblatum quasi non debitum modestè recusent. Quòd si aliquis subditus ultrò dare aliquid voluerit, non obstamus quin, quod liberâ voluntate & ex charitate offertur, recipere valeant. *Conc. Mogunt. sub Carolo V. an.* 1549. *c. Ad mores pertinent, tit.* 92.

Cùm Sacramenta Ecclesiæ non solùm sine simoniæ labe, verùm etiam sine avaritiæ suspicione probenda sint, caveant omnes ne in eorum administratione quidquam exigant, aut etiam verbis vel signis directè vel indirectè petant. *Conc. Mediol. I. part.* 2 *tit. De iis, quæ ad Sacram. administr. generatim pertinent.*

Ad hæc noverint rectores animarum, cùm Sacramenta sint dona Dei liberaliter & gratis concessa, non solùm sine simoniæ labe, verùm etiam sine avaritiæ suspicione esse exhibenda. *Conc. Narbon. an.* 1609 *c.* 13 *de Sacram. in genere.*

(Sicut Giezi leprâ) sic etiam percutiuntur omnes, qui pro Sacramentis pecuniam petunt.... Si Sacramentum dare distuleris, etiamsi fueris omni paupertate vallatus, non Pastor es, non minister Christi es, sed mercator, Non igitur petas... nam facto pacto Sacramentum vendidisti, & Salvatorem tuum prodidisti cum Judâ. *Idem, ibidem.*

Quoniam, quod gratis accepimus, gratis dare mandamur, & ideò nihil à prædictis prorsùs exigere moliantur, quo vel paupertate cogente deterriti, vel indignatione revocati, redemptionis fuæ causas adire desiciant. *Gelas. I. Papa ep. 9 ad Episcopos Lucaniæ, cap. 5.*

Pro beneficiis medicinæ Dei munera non accipiant. *S. Isidor. Hispal. l. 2 Offic. Eccles. c. 2.*

Quod enim ad animarum institutum est lucrum, ad temporalem torquent quæstum, nescientes quòd nihil majus acquiri valet, quàm animarum insudare profectibus, qui Sacramentis medicantibus fiunt. *S. Laurent. Justin. de compunct. & complanctu Christianæ perfect. p. 1 n. 18.*

ARTICULUS II.

De administratione Sacramentorum in specie.

SECTIO PRIMA.

De administratione Baptismi.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Quanti faciendum hoc munus ob excellentiam & effectus Baptismi.

EPiscoporum sit magna sollicitudo, Presbyteris suis tradere Baptismi Sacramentum, & quid in eodem renuntiandum quidve credendum sit *Conc. Turon. III. an. 813 Jub Carolo Magno, pag. 1263 tom. 7 Conc. Labb.*

Divinum & vivificans lavacrum. *S. Cyrill. Hierosol. cateches. 1 mystagog. circa init. p. 523 tom. 4 Bibl. Lugd. litt. G.*

Adoras pro te mortuum; patere cum eo per

Baptiſmum contumulari. *S. Baſil. hom. 13 quæ eſt exhortatio ad Baptiſm. poſt initium.*

(In Baptiſmo) animæ purgationem tibi rex munificus pollicetur. *Idem , ibidem , longè poſt initium.*

Domini Baptiſma omnem humanam rationem ſuperat , & gloriam habet quodcunque humanum deſiderium ac votum excellentem , ac majore gratiæ & virtutis ſupereminentiâ reliqua ſuperat , quàm ſolis ſplendor cæteras ſtellas excellit. *Idem , lib. 1 de Baptiſm. cap. 2 longè poſt init. pag. 648 litt. A. tom. 1 edit. Pariſ. 1618.*

Optimi Dei gratiâ , commemoratione verborum Unigeniti viventis Dei Filii & Sanctorum ipſius Evangeliſtarum, Prophetarumque & Apoſtoli , qui nobis rationem Baptiſmatis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſufficienter declararunt , inſtructi ſumus quòd ignis quidem Baptiſma , & omnem malitiam arguit , & juſtitiæ , quæ ſecundùm Chriſtum eſt , capacem reddit , odiumque malitiæ indit , & deſiderium virtutis. S. *Baſil. lib. 1 de Baptiſmo , c. 3 init.*

Baptiſma ſplendor eſt animarum , vitæ in melius mutatio. *S. Greg. Naz. orat. 40 in S. Baptiſma , poſt initium.*

Baptiſmus carnis eſt abjectio , ſpiritûs affectatio. *Idem , ibidem.*

Cœleſtis regni clavis... ſervitutis depulſio , vinculorum ſolutio. *Idem , ibidem.*

Baptiſmus omnium Dei beneficiorum præclariſſimum eſt & præſtantiſſimum. *Idem , ibid.*

Donum vocamus gratiam , Baptiſmum , unctionem , illuminationem , incorruptionis indumentum , regenerationis lavacrum , ſigillum. *Idem , ibidem.*

Huic ſcilicet (Baptiſmo) gratulantur Cœli ; hunc Angeli propter ſplendoris cognationem ce-

lebrant : hic beatitudinis illius ſimulacrum gerit. *Idem , ibidem.*

Magnum atque admirandum ſalutis noſtræ myſterium. *Idem , ibidem.*

Ex veteribus novos , ex humanis divinos efficit , abſque igne nos rursùs conflans , & abſque confractione nos rursùs effingens. *Idem , ibid.*

Secundæ vitæ ac purioris vivendi rationis pactum cum Deo initium. *Idem , ibidem.*

Cùm autem per ſpiritum regeneramur in ſpem vitæ , per Baptiſmum conteritur caput antiqui ſerpentis in aquis. *Petr. Bleſ. ſerm. 10 in Dominic. infra Octav. Epiphan. paulò poſt initium.*

Medicamentum optimum & tanquam cæterorum fundamentum , fidei ſignaculum , lavacrum ſalutiferum , & æternæ vitæ janua. S. *Laurent. Juſtin. de grad perfect. c. 3 n. 2.*

Ad medendam originalem culpam (Chriſtus) Baptiſmatis inſtituit Sacramentum. *Idem , ibid.*

Qui fiet ut citra illarum (nempè Sacerdotum manuum) opem , aut gehennæ ignem evitare quis poſſit , aut repoſitæ in Cœlo coronæ præmia aſſequi ? Hi enim ſunt ; hi ſunt , inquam , quibus tum concreditæ ſunt ſpirituales parturigines , tum etiam Baptiſmatis partus à Deo eſt commiſſus ; per hos ipſos Chriſtum induimus ; unà cum Dei filio ſepelimur ; beati illius Capitis membra efficimur : quo nomine Sacerdotes meritò non modò plus vereri debemus , quàm vel Principes vel Reges , verùm etiam majori honore , quàm parentes proprios honeſtare. *S. Chryſ. lib. 3 de Sacerdot. c. 5.*

§. II.

Quæ observanda in administratione Baptismi.

Sacerdos baptisaturus primùm quam actionem susceperus sit, diligenter ipse animadvertat. *Conc. Mediol. I. part. 2 Tit. de Baptism. administrat.*

Ad tanti muneris functionem sanctè graviterque accedat. *Idem, ibidem.*

Nemini liceat quemquam intra domesticos parietes baptisare (nisi instet periculum.) *Idem, ibidem.*

In Baptismo Sacerdos baptisans præsentem adesse non patiatur... quempiam à fide Christianâ aversum. *Conc. Mediol. V. part. 1 tit. Quæ ad Baptism. pertinent.*

Fideles verò, qui præsentes adsunt, piè religiosèque omnique animi attentione adesse sæpè moneat, memoriâ tacitè, studiosèque repetentes, quæ Deo, cum Baptismum ipsi susceperunt, sanctè spoponderunt. *Idem, ibidem.*

Parochus præmoneat.... quàm religiosâ in Deum pietate, quàm humili spiritu & quantâ etiam vestitûs moderatione compatres commatresque adesse debeant, ne verò illum vel ornamentum vel aliud quicquam, quod mundi hujus pompam præferat adhiberi patiatur, cùm minimè consentaneum sit in ipso vitæ Christianæ ingressu statim iis rebus studeri, quibus potissimùm solemni sponsione renuntiatur. *Idem, ibidem. Conc. Narbon. tit. 14 de Bapt. Sacram. an. 1609.*

Ac cùm omnium Sacramentorum primum locum sibi vindicet Baptisma; præcipimue omnibus hoc Sacramentum administraturis ut in ejus administratione decenter & honestè se gerant. *Conc. Rhem. an. 1583 tit. de Baptism.*

Conferant illud, cùm primùm fuerint rogati; ne propter moram puer incidat in periculum. *Idem, ibidem.*

Quoniam autem in Baptismo unusquisque piè ac religiosè profitetur se operibus Satanæ renuntiare ejusque pompas deserere, id Parochus, cùm usu venerit, populum doceat præsertimque Baptismi tempore non solùm quomodò & quàm simplici amictu ad illud infans deferendus sit, sed quàm religiosâ in Deum pietate, quàm humili spiritu & quantâ etiam vestitûs moderatione compatres commatresque adesse debeant, nec verò ullum vel ornamentum vel aliud quicquam, quod mundi hujus pompam præ se ferat, adhiberi patiatur, cùm minimè consentaneum sit in ipso vitæ Christianæ ingressu iis rebus studeri, quibus potissimùm solemni sponsione renuntiatur. *Concil. Aquens. 1585 Tit. de Baptism. Sacram. post medium.*

Et quoniam Christiani & Satanam & mundi fastus pompasque in ipso Baptismate ejurant, absurdum sanè videtur magnifico adeò luxu inanibusque sumptibus diem, quo Baptismus confertur, transigi. Solemnem itaque illam musicam, concentuum concomitationem, risus jocosve effusiones & illas per Ecclesiam deambulationes tollimus. Oscula demùm in Ecclesiâ omninò dari prohibemus. *Conc. Narbon. ann. 1609 c. 14 de Baptismi administr.*

SECTIO SECUNDA.

De administratione Sacramenti Pœnitentiæ.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Quàm excellens, difficile & periculosum hoc munus.

Qui terram incolunt atque in eâ versantur, his commissum est ut ea, quæ in Cœlis sunt, dispensent; iis datum est ut potestatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis neque Archangelis datam esse voluit; neque enim ad illos dictum est; Quæcunque alligaveritis in terrâ, erunt alligata & in Cœlo. S. *Chrysost. lib. 3 de Sacerdot. cap. 5 circa initium.*

Quænam, quæso, potestas hac unâ major esse queat? Pater omne judicium dedit Filio. Cæterùm video omne judicium à Deo Filio illis traditum; nam quasi jam in Cœlum translati ac supra naturam humanam positi atque nostris ab affectibus exempti sic illi ad principatum istum perducti sunt. Quid multa? Si cui Rex aliquis ex subditis suis hunc honorem detulerit, ut potestatem habeat, quoscunque velit, in carcerem conjiciendi, eosdemque rursùs laxandi, beatus ille & admirandus judicio omnium fuerit: at verò qui tantò majorem à Deo accepit potestatem, quantò Cœlum terrâ pretiosius est, quantò etiam animæ corporibus præstant &c. *idem, ibidem.*

Canum lingua, vulnus dùm lingit, curat; & Doctores sancti, dùm in confessione peccati nostri nos instruunt, quasi vulnus mentis per linguam tangunt. *S. Greg. hom. 40 in Evang. paulò post initium.*

Sarciendæ vitæ salutare pharmacum (est Pœnitentia.) B. *Antioch. hom. 77 init. pag. 259 tom. 12 bibl. Lugd. circa init. 7 sæculi.*

Licet assistant Angeli præsidentis imperium expectantes, & administratorii spiritus assignata sibi ministeria sortiantur, nullus tamen eorum ligandi atque solvendi possidet potestatem. *Petr. Dam. serm. 26 de S. Petro Apostolo, est 1 de S. Petro.*

Confessio bonum animæ ornamentum. S. *Bern. serm. de 7 grad. Confess. n. 2 pag. 1165 litt. F. tom. 1 edit. Mabil.*

Peccatorem purgat. *idem, ibidem.*

Justum reddit purgatiorem. *idem, ibidem.*

Peccatoris vita. *idem, ibidem.*

Justi gloria. *idem, ibidem.*

Via quæ viatorem suum nunquàm fefellit. *idem, ibidem.*

Nunquàm deseruit, nisi deserentem se. *idem, ibidem.*

Pœnitentia est Baptismus, non quòd in eâ sit Baptismi iteratio, sed quia sepulturam criminum facit, & nos humilitati Christi consepeliens, complantans morti ejus in spem vitæ æternæ nos regenerat, ut simus quasi modò geniti infantes. *Petr. Blef. serm. 10 in Dominic. infra Oct. Epiph.*

Licet Beatissima Virgo Maria dignior & excellentior fuerit Apostolis universis, non tamen illi, sed istis Dominus claves regni Cœlorum commisit. *Innoc.* III. *Epist.*

Hujus Sacramenti minister est homo, sed indulgentiæ largitor est Deus: corporis auditum præbet Sacerdos, Dominus autem scrutator est mentium; juxta doloris mensuram præstatur & donum. Illum planè solvit Sacerdos; quem prævenit gratia, confessio manifestat. Fœtebat in monumento Lazarus quatriduanus; vocatus à Domino surrexit, exiit foràs & ab Apostolis solutus liber est abire permissus; his paucis verbis erudimur quid in hoc Sacramento minister, quid Confessio, quidve in spiritu sum-

mus operetur Sacerdos. *B. Laurent. Juſtin. lib. de obed. cap. 15 n. 2.*

Ars artium eſt regimen animarum. *S. Greg. Paſt. p. 1 c. 1 init.*

Confeſſarii vitæ duces ac magiſtri. *Conc. Mediol. IV. p. 3 tit. Monitiones.*

Cura animarum ſcientia ſcientiarum meritò appellanda eſt. *Conc. Colon. an. 1536. p. 1. cap. 3.*

Erudimini, qui judicatis terram, Pſalm. 2. Ac ſi diceretur: Tunc maximè erudimini, quandò judicatis terram; ibi enim majora adhibenda eſt cautela & diligentia, ubi nulla opitulatur doctrina; nec enim in Decretis Patrum, neque in authenticis ſcriptis veterum expreſsè exaratum eſt de judicio Pœnitentium; in aliis verò quæ ad vos ſpectant, habetis ſufficientiam Scripturarum. *Petr. Bleſ. ſerm. 3 in Synod. in eádem pſ. 2 paulò poſt init. hic ſermo eſt 39 in edit. Buſæi, ſed in nova edit. Pariſ. an. 1672 non reperitur; ſed Petro manducatori tribuitur cum aliis prætermiſſis & relatis à Buſæo ſub nomine Petri Bleſ.*

Videte quid faciatis; non enim hominis exercetis judicium, ſed Domini, & quodcunque judicaveritis, in vos redundabit. *Paralip. 2. 19. 6.*

Epiſcopus Confeſſarios Sacerdotes etiam regulares... præcipuè moneat, quantùm quàmque grave vel ad ſalutem vel ad perniciem animarum onus ſuſtineant. *Conc. Aquenſ. an. 1685. Tit. Quæ ad Pœnit. Sacram. pertinent. Conc. Mediol. IV. an. 1576. p. 2. tit. Quæ pertinent ad Sacram. Pœnit. circa medium.*

§ II.

Qualis esse debeat Sacramenti Pœnitentiæ. minister.

Pius.

In iis (Confessariis) probandis hanc rationem habeant Episcopi, ut pii, benè morati, docti, prudentes, patientes, de animarum salute solliciti & fideles custodes sint eorum, quæ in Confessione dicuntur. *Conc. Mediol. I. p. 2 Tit. 6 Quæ pertinent. ad Sacram. Pœnit. administr. an 1565.*

Ornatus virtutibus sit, cujus universæ totius ipsius vitæ actiones testimonio sint, charitatem in eo erga Deum inesse *S. Basil. serm. de abdicat. sæcul. pag. 236 edit. Paris. 1618 litt. B. tom. 2 longè antè medium sermonis.*

Virum integrum, nec ulli distractioni indulgentem, ab avaritiâ abhorrentem, minimè libenter gerendis se negotiis admiscentem, quietum, amantem Deum, egentium studiosum, minimè iracundum, injuriarum immemorem, naturâ propensum ad eos docendos, qui ad ipsum accedant, quem gloriâ inanis non inflet, superbia non extollat, adulatio non frangat, severum atque constantem, cui deniquè nihil sit præstantius honore Dei. *S. Basil. ibid. litt.* B. & C.

Doctus.

Undè inter omnia vos hortamur atque monemus ut in accipiendis pœnitentiis non ad illos curratis, in quibus nec religiosa vita nec est consulendi scientia, qui animas hominum magis ad interitum, quàm ad salutem ducunt, teste veritate, quæ ait; Si cœcus cœcum ducat, ambo in foveam cadunt; sed eos, qui re-

ligione & Scripturarum doctrinâ instructi viam veritatis & salutis vobis ostendere valeant. S. *Greg. VII in Conc. Rom. c 5 an. 1080.*

Confessores Canones Pœnitentiales benè noverint. &c. *Conc. Mediol. I. p. 2 tit. 6 De administr. Sacram. Pœnit. sub fin.*

Magnoperè necessarium judicamus ut Sacerdos, qui à Confessionibus est, sit integer, eruditus ac silentii tenax; alioqui, si ad quæstum intentus sit, si ad malum sollicitet, si curiosior explorator sit, si pertinacibus blandiatur, si intricatam conscientiam extricare nesciat, si deniquè vel ebriosus, vel iracundus, vel levis, vel secreti minimè tenax, dissipandis magis quàm pascendis ovibus videtur idoneus. *Conc. Colon. c. 33 an. 1636.*

Divinarum Litterarum scientiam habeat. S. *Basil. serm. de abdicat. sæcul. longè antè med. pag. 236 litt. B. tom. 2 edit. Paris 1618.*

Caveat spiritualis judex ut, sicut non commisit crimen nequitiæ, ità non careat munere scientiæ; oportet enim ut sciat cognoscere, quidquid debet judicare; judiciaria enim potestas hoc expostulat, ut, quod debet judicare, discernat. *S. Aug. de Pœnit. dub decreti 2. part. cauf. 33. q. 3 dist. 6 c. 1 Qui vult, post medium.*

Nulla ars doceri præsumitur, nisi priùs intentâ meditatione discatur. Ab imperitis ergo Pastorale magisterium quâ temeritate suscipitur, quandò ars est artium, regimen animarum? Quis autem cogitationum vulnera occultiora esse nesciat vulneribus viscerum? Et tamen sæpè, qui nequaquàm spiritualia præcepta cognoverunt, cordis se medicos profiteri non metuunt, dum, qui pigmentorum vim nesciunt, videri medici carnis erubescunt. *S. Greg. Pastoral. part. 1 c. 1 init.*

Horrendum profectò est videre quosdam Sa-

cerdotes noſtri temporis, qui Sacram Scripturam, in quâ animarum regiminis ars ſufficientiſſimè traditur, & jura Canonica & ſcripta Doctorum, in quibus pleniſſimè declaratur, vel per torporem legere negligunt, vel per ignorantiam neſciunt, & tamen cordis medicos in audiendis confeſſionibus ſe profiteri impudenter non metuunt, quandò, qui pigmentorum vim neſciunt, videri carnis medici erubeſcunt. *S. Bonav. præfat. opuſc. quod, Confeſſionale, inſcribitur.*

Prudens.

Sacerdos ſit diſcretus & cautus, ut more periti medici ſuper infundat vinum & oleum vulneribus ſauciati, diligenter inquirens & peccatoris circumſtantias & peccati, quibus prudenter intelligat quale debeat ei præbere conſilium, & cujuſmodi remedium adhibere diverſis experimentis utendo ad ſalvandum ægrotum. *Innoc.* III. *in Conc. generali, de Pœnit. & remiſſi. c Omnis, Decret. Greg. l. 5 tit. 38 c. 12.*

Tales ſeligantur, audiendis Confeſſionibus, ſi labores Curionis non ſufficiant, qui ſint pietate, doctrinâ & prudenti judicio præditi, ne animarum medela impuris & imperitis & imprudentibus committatur chirurgis. *Statuta Eccleſ. Gallican. in Convent. Melodun. an. 1579. Tit. de Pœnit.*

Ut autem injunctæ pœnæ ſatisfacere valeant pœnitentes, Sacerdos non ſe præbeat nimis ſeverum neque tamen ità lenem, ut pœnæ contemptu ad rursùm peccandum pœnitentem potiùs invitet, quàm ad novæ vitæ genus ineundum. *Conc. Rhem. an. 1583 tit. de Pœnit.*

Summâ vigilantiâ acerrimèque in omnes partes animi circumſpectione operam dato, ut aliquem tibi invenias.... qui Divinarum Litterarum ſcientiam habeat. *S. Baſil. ſerm. de ab-*

dicat. sæcul. longè antè med. pag. 236 litt. B. tom. 2 edit. Pariſ. 1618.

Confeſſorem eligas compaſſivum, probatum in tentationibus, & in viâ continentiæ ſe exercentem, cui ſæpè confitearis & aperias omnes defectus clarè & lucidè, & ſtimulos, quibus moleſtaris. Sit ille diſcretus, charitativus, humilis & intelligens, ſic quòd poſſis ad ipſum confidenter recurrere, ut ſciat tibi remedium adhibere. *S. Bonav. opuſc. de modo confitendi & puritate conſcientiæ, cap. 16. Quidam hoc opuſc. tribuunt S. Thomæ Aquin.*

§. III.

Quibus deneganda abſolutio.

Adhuc peccare volenti.

Impœnitenti & adhuc peccare volenti non eſt tribuenda abſolutio; alioquin, qui talem conatur abſolvere, ſeipſum quoque propriâ authoritate transfigit, ac per hoc abſque profectu alterius ſibi ipſi plurimùm nocet. B. *Laurent. Juſtin. ſerm. in feſto* B. *Mariæ Magd. n. 2.*

Ablata non reſtituenti.

Caveant, Confeſſores, ne antè debitam ſatisfactionem illos abſolvant, quibus, cùm facultas adſit aliena reſtituendi, vel legata, quæ ad pias cauſas facta ſunt, perſolvendi, illiſque ut id facerent ſuperiori confeſſione præceptum ſit, præſtare tamen neglexerunt, exceptis iis, qui periculosè ægrotant. *Conc. Mediol I. ann. 1565 p. 2. Tit. 6. Quæ pertinent. ad Sacram. Pœnit. adminiſtr. poſt medium.*

Neminem Parochi abſolvant eorum, qui cum præcedente confeſſione ſe ablata reſtituturos aut legata ad pias cauſas ſoluturos eſſent polliciti, cùm facultas adfuiſſet, neglexerint. *Conc. Burdigal. an. 1583 num. 12 de Pœnit.*

Inimicis reconciliari recusanti.

Quicunque miles & negotiator vel alicui officio deditus, quod sine peccato exerceri non possit, si culpis gravioribus irretitus ad Pœnitentiam venerit, vel qui bona alterius injustè detinet, vel qui odium in corde gerit, & recognoscat se veram pœnitentiam non posse peragere, per quam ad æternam vitam valeat pervenire, nisi vel derelinquat negotium, vel officium deserat, & odium ex corde dimittat, bonaque, quæ injustè abstulit, restituat &c. *S. Greg.* VII. *in Conc. Rom. c. 5 an. 1078. Eadem habet S. Bonav. in confessionali, c. 4 part. 1.*

Qui renuunt satisfactiones vel restitutiones qualescunque facere, absolvi non debent, neque Sacramentorum participationi admitti nisi in articulo mortis, & ne in articulo mortis quidem, qui injurias sibi illatas dimittere renuunt; carent enim, qui hujusmodi sunt, charitate & misericordiâ. *Statuta Eccles. Gallic. in conventu Melodun. an. 1579. Tit. de Pœnit.*

Post confessionem absolutio nemini concedatur, qui non fuerit reconciliatus cum prox mo: si quem oderat, saltem in voto. *Conc. Rhem. an. 1583. Tit. de Pœnit.*

Occasiones peccandi deserere nolenti.

Sicut enim falsum Baptisma non lavat originale peccatum, ità post Baptismum falsa pœnitentia non delet nefas commissum; ideòque valdè necessarium est ut, qui se aliquod grave crimen commisisse cognoscit, animam suam prudentibus & religiosis viris committat, ut per veram pœnitentiam certam peccatorum suorum consequatur veniam &c.... quoniam, qui aliena bona diripuit, & ea cùm possit reddere, & emendare noluerit ... vel qui hujusmodi negotiationibus aut officiis implicitus fuerit, quæ sine fraude, sine falsitate, sine invidiâ, sine deceptione

fratrum exercere non possit, nec ad Dominum conversus, nec de perpetratis facinoribus veram pœnitentiam facere credendus est. *S. Greg.* VII. *in Conc. Rom. c.* 5 *an.* 1080.

Episcopus Confessarios Sacerdotes etiam regulares.... præcipuè moneat &c.... quàm cautè in pœnitentium absolutione agere (debeant) cùm præsertim vel de restitutione vel de occasionibus, quibus ad mortalia peccata aditus fit, abjiciendis agitur. *Conc. Aquens. an. an* 1585 *Tit. Quæ ad Pœnit. sacram. pertinent.*

Falsa est etiam Pœnitentia, cùm pœnitens ab officio vel curiali vel officiali non recedit, quod sine peccatis agi nullatenùs prævalet, aut si odium in corde gesserit, aut si offenso cuilibet non satisfacit, aut si offendenti offensus non indulgeat. *S. Bonav. confessionali, c.* 4. *part.* 1.

Scandalum non reparanti.

Non usurarios nec concubinarios publicos absolvant. *Statut. Eccles. Gallic. in conventu Melodun. an.* 1579. *Tit. de Pœnit.*

Quæ scire tenetur, ignoranti.

Quicunque rationis usum attigerit, sub reatu peccati mortalis, omnes Symboli Apostolici, quo Ecclesia utitur, articulos scire tenetur saltem quoad substantiam, item Dei & Ecclesiæ præcepta, quæ sub peccato mortali observanda sunt? Ubi ergo pœnitens hæc ignoraverit, si quàm primùm ad ea discenda non acquieverit, absolvi non debet; imò si ad ea discenda se dispositum significaverit, interrogandum nùm alias de eâ negligentiâ à Confessore, sive ipse sit, sive alius, aut pastor monitus fuerit si quidem pro modulo diligentiam ad hoc non adhibuerit, tandiù illi absolutio differatur, donec huic officio pœnitens satisfecerit. Quod si

nondùm monitus fuerit absolvatur quidem, sed de supradictis, ut poterit, instruatur. *Acta Ecclesiæ Mediol. part. 4 instr. Confess. circà medium.*

§. IV.

Quomodò administrare debeant Sacramentum Pœnitentiæ.

In loco manifesto.

Sacerdotes, nisi ex causâ necessariâ, mulieres antè solis ortum vel post ejus occasum confitentes ne audiant. *Conc. Mediol. I. p. 2. Tit. de administr. sacram. Pœnit.*

Nec sine causâ necessariâ in privatis ædibus cujusdam maris vel fœminæ confessionem audiant. *idem, ibid.*

Ne extra Ecclesiam oratoriumve Confessionem audiant, præterquam ægrotantium, etiam virorum, nisi ob urgentem causam. *Conc. Mediol. V. p. 1. Tit. Quæ ad sacram. Pœnit. pertinent, an. 1579.*

Non in privatis ædibus, nisi necessitatis causâ, sed palàm in Ecclesiâ excipiantur Confessiones, aut inter religiosos in locis eò destinatis. *Convent. Melodun. an. 1579. Tit de Pœnit.*

(Confessionale in aperto, & non in obscuro Ecclesiæ loco collocetur. *Conc. Aquens. ann. 1585. Tit. Quæ pertinent ad sacram. Pœnit.*

Omnes verò videant ne extra Ecclesiam oratoriumve Confessionem audiant, præterquam ægrotantium, nisi ob urgentem causam. *Idem, ibidem.*

Sacerdos, qui Angelus Domini exercituum dicitur, intelligat ut non tenebrarum sed lucis Angelum se ostendat, sedens pro confessionibus audiendis in loco manifesto & omni suspicione carente, ubi videri possit ab omnibus, & non audiri; quærendo enim latibula tenebra-

rum, malè agere se ostenderet. *S. Bonav. opusc. quod inscribitur, confessionale, c. 1 part. 1.*

Fidelibus modestè, & humiliter compositis.

Confessarius quicunque in sede, tanquàm pro Tribunali judex, sedendo sacram Confessionem audiant pœnitentium, quales, quales sint etiam in summo aliquo dignitatis constituti. *Concil. Mediol. V. p. 1. Tit. Quæ pertinent ad sacram. Pœnit. Conc. Aquens. Tit. Quæ pertinent ad sacram. Pœnit.*

Itaque pœnitens, cùm ad Confessarium... accedet, intimo animi dolore, omnique humilitate non subjectis pulvinaribus, si necessitas aliud non postulat, sese ad illius pedes projiciat ac prosternat, id quod ab Apostolicis usque temporibus in more usuque positum est, ut se reum agnoscat atque profiteatur mortis æternæ. *Conc. Aquens. an. 1585. Tit. Quæ pertinent ad sacram. Pœnit. paulò antè fin. Conc. Mediol. V. p. 1. Tit. Quæ ad pœnit. pertinent, an. 1579.*

Judex constitutus cùm sit Sacerdos ut solvat aut liget, pœnitentes non audiat nisi pro tribunali sedendo, pœnitente genua flectente, palàm & intrà Ecclesiam horâ diurnâ, nullisque subjectis pulvinaribus, ut se reum agnoscat atque profiteatur. *Conc. Narbon. an. 1609 c. 16 de sacram. Pœnit.*

MoneantParochi & Concionatores frequenter fideles, pro percipiendo salutari pœnitentiæ fructu, ad eam cùm humilitate animi & corporis demissione accedant; ideòque quosvis nobiles & milites armis præcinctos accedentes, nisi depositis priùs armis, non admittant: mulieres autem vano cultu ornatas, fucatas ac pulvere pigmentario consperšas graviter reprehendant, & ut pœnitentis Magdalenæ vestigia legant, & fracto veluti alabastro caput Christi in

pauperibus, & pedes odoribus vitæ æternæ perfundant, & velo capita ex Apostoli præcepto obumbrent, præcipuè hortentur. *Conc. Burdigal. an. 1624 c. 5 de sacram. num. 8.*

Cum mansuetudine & discretione peccatores excipiendo.

Oportet autem eos, qui solvendi & ligandi potestatem à Deo accepere, peccati qualitatem considerare, & ejus, qui peccavit, ad conversionem promptum studium, & sic morbo convenientem afferre medicinam, ne, si in utroque immoderatione utatur, ab ejus, qui laborat, salute excidat; non enim simplex est morbus peccati, sed varius, & multiformis, & multas incommodi propagines germinans. Ex quibus malum multum diffunditur, & ulteriùs progreditur, donec viribus medentis consistat; quarè qui medicinæ scientiam in spiritu profitetur, oportet eum primùm ejus, qui peccavit, affectionem considerare, & sive vergit ad sanitatem, sive contrà, propriis moribus provocat in se morbum, aspicere; quomodò ejus, quæ intercedit, vitæ rationis conversionisque curam gerat: & si artifici non reluctatur, & ulcus animæ auget per impositorum medicamentorum adjectionem; & sic misericordiam, prout dignus est, impertiri; omnem enim rationem init Deus; isque, cui pastoralis traditus est principatus, ut errantem ovem reducat; & ei, quod est à serpente vulneratum, medeatur; & neque per desperationis præcipitia impellat, nec ad vitæ dissolutionem & contemptum frena relaxet: sed unâ quidem omninò ratione sive per acriora & astringentia, sive per molliora & leniora medicamenta affectioni resistat, & ad ulceris obductionem annitatur fructus pœnitentiæ exa-

minans, & sapienter dispensans & gubernans hominem, qui ad superiorem illuminationem vocatur. *Conc. Trullan. sive Quinisextum. an. 692. can. 102. initio.*

Quemadmodùm à sanctâ Tridentinâ Synodo jussum est publicè peccantibus publicam pœnitentiam imponant. *Conc. Mediol. I. an. 1565. part. 2 titul. Quæ pertinent ad sacram. Pœnit. administr. in fine.* *Sess. 24. cap. 8.*

Ut autem injunctæ pœnæ satisfacere valeant pœnitentes, Sacerdos non se præbeat nimis severum, neque tamen ità lenem, ut pœnæ contemptu ad rursùm peccandum pœnitentem potiùs invitet, quàm ad novæ vitæ genus ineundum. *Conc. Rhemense. an. 1583 capitul. de Pœnitentiâ, num. 4.*

Quandò ab aliquo publicè crimen commissum fuerit.... debitam huic pro culpæ ratione pœnitentiam publicè injungi oportet..... Episcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud secretum poterit commutare, quandò ità magis expedire judicaverit. *Concil. Burd. an.* 1583. *Tit.* 12 *de Pœnit. Versùs med.*

Complures recensere possim, quos constat in extrema mala adactos non ob aliud, nisi quòd digna ab eis pœna, & quæ peccatis perpetratis par esset, exigeretur. Neque enim temerè ad delictorum modum oportet & mulctam ipsam adhibere; sed tanquam conjecturis quibusdam explorandus est delinquentium animus, ne quà fiat ut, dùm consuere vis quod interruptum est, scissuram deteriorem facias; ac dùm eum, qui lapsus est, erigere atque emendare studes, casus ipse major per te reddatur. Nam, qui infirmi sunt ac remissi, & magnâ ex parte mundi hujus deliciis illecebrisque illaqueati.... ii, si sensim ac paulatim peccatorum correctionem adhibeas, possint utiquè, si non penitùs, attamen ex parte exi-

mere se ac liberare malis peccatisque, quibus occupantur; quos si justâ statim animadversione emendes, fiet ut minori etiam illâ correctione, quam sustinere poterant, prives.... multâ quidem opus est Pastori prudentiâ, sexcentis etiam, ut sic dicam, oculis; ut rectè undiquè humani animi habitum circumspicere possit. *S. Chrys. lib. 2 de sacerd cap. 4 post initium.*

Etsi erramus, modicam pœnitentiam imponentes; nonne melius est propter misericordiam rationem reddere, quàm propter crudelitatem? Ubi enim paterfamilias largus est, dispensator non debet esse tenax. Si Deus benignus est, ut quid Sacerdos ejus austerus? Vis apparere sanctus? Circà tuam vitam esto austerus; circà alienam autem benignus. Audiant te homines parva mandantem, & grandia videant facientem. *Homil. 43 operis imperfecti in cap. 23. S. Matth. Inter opera S. Chrysost. circà medium.*

Diligens igitur Inquisitor & subtilis investigator sapienter & quasi astutè interroget à peccatore, quod forsitàn ignorat, vel verecundè velit occultare. Cognito itaquè crimine, varietates ejus non dubitet investigare, & locum, & tempus &c.... Quibus cognitis, adsit benevolus, paratus erigere & secum onus portare: habeat dulcedinem in affectione, pietatem in alterius crimine, discretionem in varietate personarum.... Semper eum juvet leniendo, spem promittendo, consolando, & cùm opus fuerit, etiam increpando. *S. Aug. de verâ & falsâ pœnit. circà finem. Apud S Bonav. in confessionali, cap. 2 part. 1 sub finem.*

Quotiescunquè (Beato Ambrosio) aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapsus suos confessus esset, ità flebat, ut & illum flere compelleret; videbatur enim sibi cum jacente jacere.

Paulinus

Paulinus presbyter, in vitâ S. Ambrosii, longè post medium.

Nonnulla autem occulta subtiliter sunt scrutanda, ut quibusdam signis erumpentibus Rector in subditorum mente omne, quod clausum latet, inveniat; & interveniente correptionis articulo ex minimis majora cognoscat. Undè rectè ad Ezechielem dicitur: Fili hominis, fode parietem. Ubi mox idem Propheta subjungit: Et, cùm fodissem parietem, apparuit ostium unum, & dixit ad me: Ingredere, & vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hic .... Per Ezechielem quippè Præpositorum persona signatur, per parietem duritia subditorum. Et quid est parietem fodere, nisi acutis inquisitionibus duritiam cordis aperire? Quem cùm fodisset, apparuit ostium: quia, cùm cordis duritia vel studiosis percunctationibus, vel maturis correptionibus scinditur, quasi quædam janua ostenditur, ex quâ omnia in eo, qui corripitur, cogitationum interiora videantur &c. *S. Greg. Papa I. Regulæ pastoralis, part. 2 cap. 10 aliàs cap. 21 paulò post initium.* *Ezech. 8. v. 8.* *Ibid. v. 8. & 9.*

Habet itaque in labiis Sacerdos scientiam obstetricandi, sive abstrahendi dolores vulnerum, cruores plagarum & prurigines cicatricum: undè & vulnera Lazari lingunt canes divitis..... Inclinet igitur se Sacerdos condescendendo infirmitatibus lapsorum, sicut & Christus inclinans se digito scribebat in terrâ. Non circumliget carnem sanctificatam in ora vestimenti sui, id est, non perfunctoriè aut verbotenus compatiatur delinquenti & confitenti, quia hujuscemodi tactu non sanctificatur, quidquid tetigerit *Petr. Cellensis, lib de panibus, cap. 20 sub finem. Bibliot. PP. Lugd. tom. 23.* *Joan. 8. v. 6.* *Agg. 2. 13.*

Vide ... cùm (peccata) judicas, ne in his

judicandus existas. *Serm. 39 in synodo, circà fin.* (*Hic sermo tribuitur Petro Comestori*) *Biblioth. PP. Lugd. tom. 24.*

Ecce ovicula Domini sedet ad pedes tuos confitens ad pedes Confessoris, flens & gemens tanquam conscia erroris sui, ut aperiat coram Domino os suum, expectans judicium Dei per os tuum. Quid incumbit tibi agendum, Sacerdos Dei summi? Primò duo tibi occurrunt, confortatio & exhortatio. Vide peritum medicum: in ingressu suo confortat ægrotum. Vade, & tu fac similiter, ne desperet de magnitudine peccati, ne de enormitate commissi, ne de multitudine criminum. Propone ei exempla de Petro, qui præsente Domino Dominum negavit, qui per pœnitentiam conversus confortavit fratres suos. Dic ei de Paulo, qui de persecutore Ecclesiæ factus est vas electionis. Dic ei de muliere, quæ fuerat in civitate peccatrix, quomodò facta est Apostolorum Apostola. Post hæc brevem subdas exhortationem, dicens: Effunde sicut aqua cor tuum, fili, coram Domino &c. Tandem audi confessionem pœnitentis patienter. Quo audito, transi de portâ ad portam per medium castrorum, sicut fecit Moyses accinctus gladio, consecrans manus suas etiam in sanguine propinquorum. Transire de portâ ad portam, est diligenter inquirere causas peccaminum, initiales scilicet & finales &c. Vide autem, cùm hæc judicas, ne in his judicandus existas..... Discretè ergo judicate, qui judicatis terram, ne tandem districtè judicet vos Dominus Jesus Christus. Dominus noster, judex noster, cùm venerit judicare. *Serm. 39 in synodo.* (*Hic sermo Petro Comestori adjudicatur.*) *Biblioth. PP. Lugdun. tom. 24.*

Non debet etiam Confessor pœnitentis horrere peccata, quantumcumque enormia, tur-

pia, magna, inaudita, vel inusitata sint; quia, ut dicit Joannes: Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat. Aut enim confessor fuit, vel est, vel erit, aut esse potuit in similibus peccatis, vel majoribus. Undè præcipit Deus: Non abominaberis Idumæum, id est, peccatorem rubore confusionis dignum, quia frater tuus est; vel Ægyptium; id est, peccatorem peccatorum angustiis tribulatum. Idumæus namque rufus vel rubens interpretatur, Ægyptius angustia sive tribulatio. *S. Bonav. confessional. cap. 1 part. 4.* *Joan. 8. v. 7.* *Deuter. 23. v. 7.*

Studeat etiam Confessor cavere ab acceptione personarum.... Attende diligenter, ô judex pœnitentialis, quod tibi dicitur: Non facies quod iniquum est, nec injustè judicabis. Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis..... Considera universaliter omnibus Confessoribus esse dictum: Audite illos; & quod justum est judicate, sive civis ille, sive peregrinus, nulla erit distantia personarum; ità parvum audiatis, ut magnum; non accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est. *Idem, ibidem, part. 6.* *Lev. 19. v. 15 & 16.* *Deus. 1. v. 16. & 17.*

Post hæc Sacerdos incipiat audire confessionem ipsius. Interrogando, si peccator nesciat confiteri, & adjuvando per inquisitionem, discretè tamen, ità quòd sollicitus sit usitata peccata singulatim requirere; inusitata verò per circumstantias generales & valdè remotas cautè investigare; ne inexpertis detur materia, vel occasio, quod antè nesciverant, perpetrandi. *Idem, ibidem, cap. 2 part. 1.*

Sciat ergo Confessor studiosus quòd, si discretè in omnibus prædictis se circà confitentem habuerit, non tantùm salvat ipsum confitentem, sed etiam se ipsum; insuper & operit multitudinem peccatorum, ac ampliora gaudia vitæ cœlestis sibi conquirit, sicut Beatus

Jacobus dicit, qui, cùm disseruisset de Sacerdotibus & confessione, statim subintulit dicens: Scire debet quoniam, qui converterit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam suam à morte, & operit multitudinem peccatorum. *idem, ibidem, cap. 4 part. 3 sub finem.*

Jac. 5. v. 20.

SECTIO TERTIA.

De administratione Sacramenti Eucharistiæ.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

De excellentiâ illius muneris, & quantùm cavere debent Sacerdotes ut illo dignè fungantur.

Cùm nihil habeat christiana religio Sacramento Eucharistiæ præstantius & augustius. *Concil. Rhemense, an.* 1583. *Titul. de Euch. initio.*

Quemadmodùm corporibus, sic & animis sua sunt alimenta tribuenda; ne si multò tempore jejuni languidique permanserint, in labo iosâ vitæ humanæ peregrinatione & viâ deficiant. Ideòque pane vitæ, qui de Cœlo descendit, nimirùm sacrosancto Christi corpore, quod in Eucharistiâ verè continetur, Parochi populos sibi commissos pascere satagant, & assiduis cohortationibus ad hunc cœlestem cibum invitent. *Conc. Burdigal. an.* 1583. *num.* 11. *de Eucharistiâ.*

Eucharistiæ Sacramentum salutis nostræ pignus, in cujus præsentiâ contremiscunt Angeli, videntes ibi contineri mundi & Cœli redemptionem, uti omnium Sacramentorum excellentissimum est, ità majori devotione ac reverentiâ tractandum. *Conc Narbon. an. 1609 cap. 5 de custodiâ Eucharistiæ.*

Magna est & supereminens cœlestis dignitas Sacramenti. Et quis poterit ad eam? *Petr. Bles.*

Epist. 123 ad Richard, Londonens. Episc. circà init. Bibliot. PP. Lugdun. tom. 24.

Magnum... hoc est Sacramentum suprà omnem æstimationem, suprà omnem intelligentiam, suprà omnem eminentiam, in quo salus est mundi, pretium sæculi, pretium sine pretio, pretium impretiabile. De ipso Apostolus loquens: Magnum est, inquit, Sacramentum hoc pietatis, manifestatum in carne, justificatum in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum gentibus, creditum mundo, assumptum in gloriâ. Verbum Prophetæ est; Mundamini, qui fertis vasa Domini. Quantò mundiores esse oportet, qui in manibus & in corpore portant Christum? *Idem, ibid. post init.* *1. Timot. 3. v. 16.* *Isa. 52. v. 11.*

Corpus Christi est pretium animæ, thesaurus indeficiens, inæstimabilis, impollutus, inconsumptus, incorruptus. Hoc thesauro emuntur cœlestes divitiæ, possessio gloriæ, regnum infinibile, pax interminabilis, inconcussa securitas & æternitas vitæ. Hic est panis vivus, qui de Cœlo descendit, & dat vitam mundo..... Væ igitur illis, quibus corporis Christi dispensatio credita est... si non dijudicant corpus Christi..... Prælatorum... est... remissio cauta & circumspecta; & est remissio stulta & dissoluta. Remissio cauta fructuosa est..., Hæc est remissio sive levitas, in quâ nec Deus nec homo offenditur. *Serm. 55 ad sacerdot. paulò post medium.* (*Hic serm. Petro Comestori adjudicatur*) *Bibliot. PP. Lugdun. tom. 24.*

Vos, ô milites Christi.... vestro intendite ministerio..... Pervigil tantùm circà mysterium hoc studium adhibete, atque pro viribus laborate, ut mysteriorum Dei idonei dispensatores sitis. *S. Laurent. Justinianus, serm. de Euchar. num. 31.*

§. II.

Quædam in administratione sacrosanctæ Eucharistiæ religiosè observanda.

Ne sacra administrentur populo sine loci honestâ & decenti pro Ecclesiæ facultate præparatione. *Conventus Melodun an. 1579. Tit. 10. de Euchar. sacrosancto sacram. in fine.*

Erit in hoc diligentia Sacerdotis & Parochi curare, ut omnia, quæ tantò Sacramento adhibentur, decorè, honestè, ac reverenter fiant. *Conc. Aquense, an. 1585. Titul. Quæ ad sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum pertinent, circà medium.*

Sit verò communicantium mappa munda & nitida; at si (quod absit) aliquandò è manu decideret sacra hostia, eam non humi, sed in dictâ mappâ reservatam recipiant Sacerdotes. *Concil. Narbon. an. 1609 cap. 18 de sanctissimo Eucharistiæ sacramento.*

§. III.

Quædam speciatim observanda circà dignos, & ad frequentem communionem ritè præparatos.

Ad frequentem communionem cum fidei sinceritate, spei confidentiâ, charitatis ardore ac animarum puritate populi excitandi sunt. *Convent. Melodun, an. 1579. Tit. 10 de Eucharistiæ sacrosancto sacramento.*

Cùm nihil habeat religio Sacramento Eucharistiæ præstantius, nihilque ad sanctè & inculpatè vivendum efficacius ejusdem frequentissimâ participatione, dolemus tantam esse Christianorum hujus temporis incuriam, ut semel tantùm in anno sumant tàm salutaris Sacramenti subsidia. Quarè Parœci, & qui ad divini verbi prædicationem ascisçuntur, deinceps de frequentis communionis antiquo usu, ejusdemque miris fructibus & utilitate disse-

rant, & fidelibus perſuadere nitantur nullum eſſe modum aptiorem & compendioſiorem, quo ſopitis & extinctis hæreſibus Eccleſiæ Apoſtolicæ facies noſtro ſæculo redeat. Nos quoque fideles omnes hortamur, & per viſcera miſericordiæ Dei noſtri obſecramus ut quàm ſæpiſſimè, ſaltem verò diebus ſolemnibus communicent; & quotieſcunquè poſtulaverit ingruens aliqua neceſſitas, quæ vitam humanam in diſcrimen & periculum adducat. *Conc. Rhemenſe, an.* 1583 *cap. de Euchariſt.*

Paſtores omni ſtudio ac diligentiâ commiſſum ſibi Chriſtianum populum exhortari debent, cùm ad ſingularem erga omnia Sacramenta religionem & reverentiam adhibendam, tum ad frequentem auguſtiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti & confeſſionis uſum.... à ſanctis olim Patribus piè ſtatutum fuerat, ut ſaltem ter quotannis, videlicet Natali Domini, Reſurrectione atque Pentecoſte omnes, qui veri cenſeri vellent Chriſtiani, Euchariſtiam ſumerent. Et quamvis propter charitatis ardorem magnâ ex parte in animis hominum reſtincta nullo jàm Eccleſiæ præcepto ad frequentiorem, quàm annuum utriuſque hujus Sacramenti uſum fideles obligentur, nihilominùs & Deo gratiſſimum eſt, & piorum animis ſaluberrimum, ex puriſſimis divinæ gratiæ fontibus aquam æternæ vitæ ſæpiùs haurire. Nam quod per ſe ſemper optimum eſt, non poteſt non ſemper utiliſſimum eſſe. *Conc. Burdigal. an.* 1583, *Titul. de Sacramentis.*

Quemadmodùm corporibus, ſic & animis ſua ſunt alimenta tribuenda; ne ſi multò tempore jejuni languidique permanſerint, in laboriosâ vitæ humanæ peregrinatione & viâ deficiant. Ideòque pane vitæ, qui de Cœlo deſcendit, nimirùm ſacroſancto Chriſti corpore, quod in Euchariſtiâ verè continetur. Parochi

populos sibi commissos pascere satagant, & assiduis cohortationibus ad hunc cœlestem cibum invitent. *Idem, Titul. de Eucharist.*

Frequentissimam populo communionem, debitamque in eâ sumendâ reverentiam Parochi, Concionatores & confessarii crebris hortationibus suadebunt. *Concil. Tolos. an.* 1590. *part.* 2 *Tit.* 5 *de Eucharist. & sacrâ communione, num.* 8.

(Eucharistiæ Sacramentum) frequentiùs ac rariùs, juxtà cujusque fidei magnitudinem, conscientiæ puritatem, actualem devotionem, gratiæ affluentiam, atque ignitum charitatis affectum percipi congruit. B. *Laurent. Justin. de perfectionis gradibus, cap.* 3 *num.* 3.

§. IV.

Quædam observanda circà indignos.

Ad sacram communionem convictos concubinarios, fœneratores, blasphemosque, juratores, aut alios publicè peccantes, si non admiserint, sed procul abegerint Curati, donec mores emendasse perspexerint, non maximo vacabit fructu. *Convent. Melodun. an.* 1379. *Tit.* 10. *de Euchar. sacrosanctо Sacramento.*

Quotiescunquè autem Sacerdos in voluntate peccandi mortaliter permanentibus licentiat corpus Christi, peccat mortaliter, quia Christum cum Judâ tradit, ut secundariò crucifigatur. . . . . Hoc quidam pestiferi & idiotæ non attendentes dant largam licentiam communicandi luxuriosis, exactoribus, usurariis, concubinariis, & hujusmodi monstruosis irâ & odio plenis. O magna & infelix præsumptio, licentiare aliis tam ingens flagitium, quod sibi nullus hominum licentiare posset. . . quod nec Papa, nec Angelus, nec Petrus, nec omnes Angelorum exercitus possent licentiare, cùm sententiam judicis Paulus voce præconiâ pro-

clamaverit : Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus est corporis & sanguinis Domini..... Tam grave peccatum erit, Christum indignis licentiando tradere, ut ipse judex per se clamet : Væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur : Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille..... Undè in nullo casu, sanis, nec Infirmis, nec Sacerdotibus, nec aliis peccare volentibus debet Sacerdos corpus Christi licentiare vel indulgere, quia præcipit Dominus : Nolite sanctum dare canibus, id est, ad vomitum peccatorum redire volentibus. *S. Bonav. in confessionali, cap. 4 part. 3. post medium.* *1. Cor. 11. v. 27.* *Matth. 26 v. 24.*

§. V.

Quædam circà juvenes ad sanctissimam communionem primâ vice accedentes.

Adolescentibus, qui tunc primùm Eucharistiam sumere voluerint. Parochus non præbeat, nisi eos antè aliquot dies examinarit, & de vi & de ratione Sacramenti diligenter instruxerit. *Concil. Mediol. I. an. 1565. part. 2 de iis, quæ pertinent ad sacram. Eucharistiæ.*

Juvenes primùm ad tanti Sacramenti sumptionem admitti volentes per dies aliquot, antequàm admittantur, ad fidei sinceritatem, usum & fructum tanti Sacramenti diligenter instituantur. *Convent. Melodun. an. 1579. Tit. 10 de Euchar. sacrosancto Sacramento.*

Quæ tantò animarum dispendio in locis quibusdam increbuit serò nimiùm communicandi consuetudo, sanctiùs erit immutanda, adolescentesque ii, quos de sumendo mysterio satis decernere posse Parochi vel Confessarii judicarint, ad communionem sunt recipiendi, imò etiam impellendi. *Conc. Tolos. an. 1590 parte 2 cap. 5 de Eucharist. & sacrâ communione.*

Non admittant Parochi infantes ad susceptionem tanti Sacramenti, quod cibus est grandium; sed eos tantum, quorum sit probata vita & modestia, qui, quod ore sumpserint, mente ruminare possint. *Conc. Narbon. an.* 1609. *cap.* 18 *de sanct. Eucharist. Sacramento.*

§. VI.

Quædam observanda circà ægrotos.

Venerabile corporis Christi Sacramentum ad ægros non perferant Rectores, nisi stolâ & superpelliceo decenter ornati, lumine & campanulâ præeunte, quo populus moneatur officii sui, tum erga Sacramentum, tum verò erga laborantem infirmum. *Conc. Camerac. an.* 1565 *Tit. sive articulo, de Pastorum resid. & officio, cap.* 3.

Ut sanctissima Eucharistia ad ægrotos summâ cum religione deferatur, Parochi populum sæpissimè hortentur, ut frequens semper prosequatur. Quamobrem etiam sodalitates corporis Christi in Parochiis instituant. Cùm verò deferenda erit, tùm cum campanæ sonitu præmoneant Lumina, tintinnabulum & decorum vasculum velo etiam decenter contectum; ac prætereà, ubi fieri poterit, umbellam adhibeant. Duas autem sacræ Eucharistiæ particulas deferant; ne eis ad Ecclesiam redeuntibus populus inane vasculum adoret. *Conc. Mediol. I. an.* 1565 *part.* 2 *tit.* 4. *Quæ pertinent ad Sacram. Eucharistiæ.*

Et, cum sacram hostiam defert ad ægrotos, velo aliquo honesto aut peplo vasculum tegi curet, præunte uno saltem Clerico cum campanulâ & tædâ accensâ. *Conc. Rem. an.* 1583 *capitulo, de Euchar. sub finem.*

Ipsum verò venerabile Sacramentum, summâ cum religione Parochus amictu lineo &

ſtolâ indutus ad ægrotos deferat, uno aut altero ad minus, qui tintinnabulum & facem ardentem geſtet, præcedente. Populus autem moneatur in concionibus ut tum in viis publicis ſanctiſſimum Chriſti corpus adoret, & ægroti uſque domum, quoad fieri poterit, magnâ cum veneratione atque pietate proſequatur. *Conc. Burdigal. an.* 1583 *de Euchariſtiâ, num.* 11.

Parochus ægroto illum allaturus accuratè præmoneat.... ut ægrotantis cubiculum ab omni ſorde, omnique inquinamento purgetur, & & amotâ omni re profanâ pro apparatu, & ſacris imaginibus, ubi poteſt, exornetur; tum præterea menſa mappâ nitidâ puràque conſtrata, cruce aliâque effigie ſacrâ candelabris & candelis cereis ſaltem binis inſtructa apparetur; in quâ ſuper corporali pyxis cum ſanctiſſimo Sacramento collocari poſſit. Sit etiam vas vitreum ad ablutionis uſum..... Clerici.... qui comittantur, ſuperpelliceum adhibeant.... omnes præſertim eccleſiaſtici homines hymnos & pſalmos pœnitentiales alioſve intimâ animi pietate ſimul cum Parocho, ſed alternatim pronuntient, atque alii item religioſè orent. *Conc. Aquenſ. an.* 1585. *Titul. Quæ ad ſanctiſſ. Euchar. Sacram. pertinent. paulò poſt medium.*

Cùm quis Sacerdoti ſanctiſſimi corporis Domini Sacramentum ad ægros ferenti, aut eidem indè redeunti obviàm fit, dùm vel equo, vel curru, vel jumento vehitur, ubi primùm illum id ferentem viderit, indè ſtatim deſcendat, humique flexis genibus tandiù in adoratione permaneat, quoad ille cum Sacramento tranſierit. *Idem, ibid.*

At verò omnis, ſive Sacerdos, ſive Clericus, ſive laïcus, quicunque eidem ſanctiſſimo Sacramento obviàm fiet, pro Chriſtianæ Religionis cultu, domum uſque ejus, cui miniſtran-

dum est, & ad Ecclesiam quoque, quò reditur; piâ veneratione prosequi & comitari omninò studeat, nisi necessitate causâve urgenti vehementer impediatur.... familia verò, quæ domi habitat, ubi ægrotus est, sanctissimo Sacramento ad Ecclesiam usque, vel saltem extra januæ fines obviàm procedat cum cereis accensis, & omni alio interiori & exteriori pietatis cultu, depositisque planè armis. *Idem, ibidem.*

Si ad ægros deferenda est (Eucharistia) quantâ fieri poterit veneratione; &, si ità facultas ferat, cum umbellâ, frequenti concomitante, & ob id sæpiùs monendo populos, deferatur. *Conc. Tolos. an.* 1590 *part.* 2 *cap.* 5 *de Euchar. & sacrá communione.*

Ut sacro pabulo refecti ex hac vitâ discedant Christi fideles, cùm primùm infirmum intrà Parochiam sciverit Parochus, illum invisat, horteturque ad sacrum Pœnitentiæ & Altaris Sacramentum suscipiendum, eidemque de peccatis suis pœnitenti & confesso illud rogatus, citissimè deferat dato campanæ signo, ut populus accedat, illud idem comitaturus. *Conc. Narbon. an.* 1609 *cap.* 5 *de custodiá Euchar.*

Ut autem, quantùm fieri potest, debitus honos tantò Sacramento à cunctis fidelibus, dùm ad ægrotos defertur sacro illo viatico muniendos, exhibeatur: moneantur sæpè fideles, ut pro charitate & pio in Deum affectu Sacramentum augustissimum comitentur, cernui adorent, auxilium & munimen infirmo implorent, ac demùm in Ecclesiam usque religiosè Christo famulaturi pergant. Sed curent etiam Parochi ut, qui in infirmorum domibus degunt, antequàm pignus redemptionis nostræ eò deferatur, cum cereis accensis præcedant illud & subsequantur. *Conc. Burdigal. an.* 1624 *cap.* 5 *de Sacram. de Euchar. num.* 4.

Sed in omnibus Parochiis piàm fidelium sodalitatem, quâ salutari veluti modò quàm plurimi ad sanctissimum Sacramentum comitandum impellantur, instituere utile, sanctum & fructuosum. Quapropter solliciti sint in hoc Episcopi, curentque ut per Parochos & Concionatores propositâ concessæ indulgentiæ gratiâ fideles ad id salubriter alliciantur. *Idem, ibid. num. 5.*

SECTIO QUARTA.

De administratione Sacramenti Extremæ Unctionis.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Quædam antè illius administrationem observanda.

Extremæ Unctionis Sacramentum curet Parochus ut ægroto, dùm integris est sensibus, adhibeatur. *Conc. Mediol. I. an.* 1505 *part.* 2 *tit. de iis, quæ pertinent ad Extremæ Unctionis administrationem.*

Hoc curet diligenter ut die noctuque ad Extremæ Unctionis Sacramentum... ministrandum præstò sit & paratus. *Conc. Mediol. IV. an.* 1579 *part.* 2 *tit. de iis, quæ pertinent ad Extremam Unctionem & reliqua erga morientes officia.*

Caveat Parochus ne in eo administrando negligentiam aliamve moræ culpam contrahat. Alioqui si ad illius ministrationem accersitus ire neglexerit, cùm rationem Deo reddet, tum pœnâ ab Episcopo graviter plectatur. Is porrò ad omnem hujus Sacramenti in tempore administrandi diligentiam.... proposito sibi exemplo sanctissimi Episcopi Malachiæ accendatur, qui tàm vehementi animi dolore ex eo affectus est, quòd culpâ suâ mulier quædam Sacramenti hujus gratiâ fraudata decesserit,

ut totam noctem orando, gemendo, lacrymando consumpserit; lacrymarumque vi, quasi maximo imbre pro oleo sancto, quod non ministravit, mortuam perfuderit. Manè autem exaudivit Dominus sanctum suum: ità ut illa è morte tanquàm è somno excitata, è lecto sese erigens Sacramentum hoc ab eo acceperit, ac deinceps à morbo convaluerit. *Conc. Mediol. V. an. 1579 part. 1 tit. de iis, quæ pertinent ad sacramentum Extremæ-Unctionis.*

Curent Parochus & parentes ut infirmi adhuc mentis sano tantum Sacramentum sumant cum omni in Deum fiduciâ, & omnium terrenarum rerum abjectâ curâ; & piis adhortationibus eorum ad cœlestis beatitudinis desiderium corda accendantur, ut se à Deo ad Cœlos vocari gaudeant, perceptâ Eucharistiâ & Unctione sacrâ. *Convent. Melodun. an. 1579 Tit. 14 de Extremâ-Unctione.*

Parœcus etiam non expectet, ut rogetur de eo conferendo, sed sedulitate suâ præveniat ægrotum de vitâ periclitantem: caveatque ne vel mors Unctionem præveniat, vel morbo invalescente semimortuus non sentiat. *Conc. Rhem. an. 1583 cap. de Extremâ-Unctione.*

Quamvis Sacramentum Extremæ-Unctionis ægrotis sit administrandum, qui in extremum vitæ discrimen ac periculum adducti esse videntur; tamen non eò usque differendum est, dùm æger omnibus penè sensibus destitutus sit. Quapropter Parochis præcipimus ut omnes curæ suæ creditos frequenter moneant, ne sint in hac re lentiores, aut negligentiores, cùm inter eos aliquis periculosè laborare videbitur. Curent etiam crebris monitionibus imperitum vulgus ab illâ inani & impiâ opinione abducere, quâ plerique sinistrè de hujus Sacramenti virtute sentiunt, perindè ac si mortem ægris acceleret: cùm certum sit ex Apostoli doctrinâ

Deum, non animæ tantùm, verùm etiam corpori, si expedierit, virtute hujus Sacramenti salutem conferre. *Concil. Burdigal. an. 1583. num. 13 de Sacram. Extremæ-Unctionis.*

Administretur tempestivè à Sacerdote Extrema-Unctio olei sancti; ità ut Christianus mente adhuc integrâ Sacramenti efficaciam agnoscere possit. Doceantur infirmi eam percepturi quis sit ejus fructus, & non esse expectandum ad eam suscipiendam finem vitæ. *Conc. Bituric. an.* 1584. *Tit.* 28 *de Extremâ-Unctione, can.* 1 *&* 2.

Cùm callidus serpens & hostis humani generis calcaneo insidiari, hominemque in extremo spiritu oppugnare maximè soleat, ægrotos Parochi, quantâ maximâ fieri poterit, charitate visitabunt, consolabuntur, instruent, ultrò sese etiam non vocati iis offerent, dabuntque sedulò operam ne in id tempus Sacra Extremamque Unctionem differant, quo novissimâ conflictati valetudine auctiorique morbo tàm profuturi Sacramenti commoda, quod frequenter nimiùm accidit, satis agnoscere non possint. *Concil. Tolos. an. 1590 part. 2 cap. 9 de Extremâ-Unctione, num. 1.*

§. II.

Quædam in illius administratione observanda.

Parochus ... cùm ad ungendum infirmum accesserit, diligenter eum consoletur, & hortetur ut bono animo sit; & à curis ac desideriis hujus vitæ ad cœlestis beatitudinis cogitationem erigat, ut abjecto mortis metu se à Deo in æternam requiem vocari gaudeat. Omnes verò, qui adsunt, moneat ut preces Christo Domino pro eo. faciant. *Concil. Mediol. I. ann. 1565 part. 2 de iis, quæ pertinent ad Extremæ-Unctionis administrationem.*

Extremæ-Unctionis Sacramentum minis-

turus, quot commodè poteſt, Presbyteros & Clericos adhibere ſtudeat ſuperpelliceo indutos, qui ipſum & miniſtrantem & precantem pietatis orationiſque ſtudio in eo miniſterio adjuvent. Quòd ſi plures habere non poteſt, unum ſaltem omninò adhibeat Clericum ſibi miniſtrantem..... curet.... ut domeſtici ſimul omnes, qui adſunt, pro eo Deum piè precentur. *Conc. Med. IV. an. 1576 part. 2 tit. 6. de iis, quæ pertinent ad Extremam Unctionem & reliqua erga morientes officia, circà medium.*

Præſentes verò, ut pro infirmo orent, adhortentur. *Convent. Melodun. an.* 1579 *tit.* 14 *de Extremâ-Unctione.*

Quoties ad infirmum Extrema deferetur Unctio; Parocho, quotquot poterunt, Clerici adſtabunt; ſignum campanæ dabitur, quo preces populi ad hoc officium ſæpius à Parochis monendi in morituri gratiam excitentur. *Concil. Toloſ. an.* 1590 *part.* 2 *cap.* 9 *de Extremâ-Unctione, num.* 2.

§. III.

Quædam poſt illius adminiſtrationem obſervanda.

Ubi Sacramentum ægro miniſtrarit.... eum brevibus & ſuavibus ardentibuſque verbis excitare ad deſiderium vitæ æternæ, & ad ſpem de divinâ miſericordiâ concipiendam, ne opportunè deſiſtat. *Conc. Mediol. IV. an.* 1576 *part.* 2 *tit. de iis, quæ pertinent ad Extremam-Unctionem & reliqua erga morientes officia.*

Ubi hoc officium piè accuratèque præſtiterit, ſi æger adhuc vivit.... ne eidem præſens adeſſe omniaque ſalutaria officia præſtare omittat. *Id. ibidem.*

Tùm, cùm propè moribundus eſt, in illius animæ commendatione, quam maximâ poteſt intimâ animi pietate ſtatas, religioſas ſanctaſque preces recitet, curetque toto eo tempore,

ut domestici simul omnes, qui adsunt, pro eo Deum piè precentur. *Idem, ibid. Conc. Aquens. an.* 1585 *Tit. de iis, quæ pertinent ad Sacram. Extremæ-Unctionis.*

Nec putet suo satisfactum officio Sacerdos, si semel tantùm ægrotum inviserit, dùm Unctio fuit adhibenda : sed, quàm diutissimè poterit, eum consoletur, & inculcet quæ spectant ad salutem, sicut in manuali præscriptum reperiet ; eique, quousque è vivis excesserit, assistat & operam impendat. *Concil. Rhem. an.* 1583 *de Extremâ-Unctione.*

Eos prætereà adesse oportet morientibus ; eosque sanctis admonitionibus & piis precibus omni ratione juvare ; ut, quod eis supereſt vitæ, in verâ & catholicâ fide possint explere, ne propter peccatorum suorum multitudinem atque gravitatem ullomodò de divinâ misericordiâ desperent. *Conc. Burdig. an.* 1585 *Tit.* 13 *de Sacram. Extremæ Unctionis.*

Quia adversarius noster tanquam leo rugiens circuit quærens ; quem devoret ; & præsertim morientibus instat, & insidias tendit, ac nititur recordatione peccatorum è fiduciâ misericordiæ divinæ eos dejicere. *Conc. Bituric. ann.* 1584 *Tit.* 28 *de Extremâ-Unctione.*

Cùm callidus serpens & hostis humani generis calcaneo insidiari, hominemque in extremo spiritu oppugnare maximè soleat, ægrotos Parochi, quantâ maximâ fieri poterit, charitate visitabunt, consolabuntur, instruent, ultrò sese etiam non vocati iis offerent. *Concil. Tolos. an.* 1590 *part.* 2 *cap.* 9 *de Extremâ-Unctione, num.* 9.

SECTIO QUINTA.

De administratione Sacramenti Matrimonii.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Quàm religiosè exercendum hoc munus.

Matrimonium res sacra est, sancta & arctâ conjunctione divinitùs instituta, cùm nondùm inter homines peccatum natum esset. Quarè nec suscipi, nec tradi nisi sanctè ac religiosè debet; nec in profanis rebus haberi vinculum, cujus Deus author & conjunctor est. *Concil. Camerac. an.* 1565 *Titul.* 15 *de Matrimonio, cap.* 1 *initio.*

Religiosam animi præparationem requirit Matrimonii ratio & sanctitas. *Conc. Mediol.* 3 *an.* 1573. *Titul.* 17 *de iis, quæ ad Matrimonii Sacramentum pertinent.*

Cùm constet Matrimonium à Deo institutum, ut & Christi ac Ecclesiæ sacram & inseparabilem adumbraret conjunctionem, & proindè esse honorabile connubium, teste Apostolo; summo ideò in pretio haberi debet, ac maximo cum honore contrahendum est ac celebrandum. *Conventus. Melodun. an.* 1579 *Titul.* 25 *de Matrimonio, initio.*

§. II.

Quædam circà administrationem Matrimonii observanda.

Circà locum.

Matrimonia in facie Ecclesiæ fieri mandat Synodus, ac Pastoribus præcipit, ut doceant conjuges non tantùm esse honorificum, sed utile, faustum & auspicatum, si res sacra, cujusmodi Matrimonium est, loco sacro celebretur; & uberiorem divinæ benedictionis fruc-

tum iis expectandum, qui piè ac religiosè ritum Ecclesiæ secuti fuerint, quàm his, qui contempserint. *Conc. Camerac. an.* 1565 *de Matrimonio, cap.* 7.

Ne Parochus ullo alio loco, quàm in Ecclesiâ ipsâ, quæ Sacramentorum proprius locus est, sponsos Matrimonio jungat. *Conc. Mediol.* 2 *an.* 1569 *tit.* 1 *Decret.* 28.

Fiat benedictio nuptialis. . . . neque in privatis domibus. *Conc. Bituric. an.* 1584 *tit.* 27 *de Matrimonio, can.* 5.

Circà Tempus.

Ne solemnes nuptias liceat celebrari nisi post diluculum. *Concil. Mediol.* 3 *an.* 1573 *titul.* 17 *de iis, quæ ad Matrimonii Sacram. pertinent. paulò post initium.*

Nec noctu metu præstigiorum fieri debent benedictiones, sed diu. *Conventus Melodunens. an.* 1579 *titul.* 15 *de Matrimonio.*

Porrò Matrimonii benedictio non nisi sub finem Missæ, cui interfuerint contrahere volentes, nec antè quartam matutinam, nec post meridiem conferatur. Peccare autem graviter admonemus eos, qui noctu vel clanculùm benedictionem nuptialem sibi dari procurant propter metum maleficii. Maleficium enim se vitare posse credere debent, si eo pietatis affectu ad conjugium accedant, qui præscribitur in sacris Litteris, videlicet ut cum timore Domini & amore filiorum magis, quàm libidine impulsi copulentur, devotè susceptis. . . . Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentis. *Conc. Rhem. an.* 1583 *titul de Matrim. post medium.*

Fiat benedictio nuptialis. . . . in Missâ ab aurorâ usque ad meridiem. . . non post prandium, neque noctu. *Conc. Bituric. an.* 1584 *tit.* 27 *de Matrimonio, can.* 5.

Circà contrahentes.

Sponsi, cùm in Ecclesiam conveniunt vel ad Matrimonium contrahendum vel accipiendam Benedictionem, ne Parochus ulla cujusvis generis musicæ instrumenta afferri patiatur. Quòd si ab ipso moniti id facere contempserint, tandiù eis Matrimonii celebrationem aut benedictionem differat, quoad sanctè, uti debent, ob id ad Ecclesiam accesserint. *Conc. Mediol. 2 an. 1569 titul. 2 decret. 28.*

Fieri debent nuptiarum benedictiones... nubentibus Sacramento Pœnitentiæ & piis præmunitis precibus. *Convent. Melodun. an. 1579 titul. 15 de Matrimonio.*

Benedictionem autem nuptialem impuberibus, aliisve, nisi jejunis & confessis, non esse impertiendam sancimus; Rectores hac in religione obstringentes, eorum conscientiam onerantes. Quibus mandamus conjuges monere ut id observent, ne tam divino Sacramento verba obscœna risus & jocos inverecundos, ut ferè fit, misceri patiantur. *Conc. Turon. an. 1583. Titul. 9 De Matrimonio. Paulò post medium.*

CAPUT VI.

De sacro-sancto Missæ Sacrificio.

ARTICULUS PRIMUS.

De hujus Sacrificii ac illius celebrationis excellentiâ.

NEceſſariò fatemur nullum aliud opus adeò ſanctum ac divinum à Chriſti fidelibus tractari poſſe, quàm hoc ipſum tremendum myſterium, quo vivifica illa hoſtia, quâ Deo Patri reconciliati ſumus, in Altari per Sacerdotes quotidiè immolatur. *Conc. Trid. ſeſſ. 22. an. 1562 In Decret. De obſervand. & evitand. in celebrat. Miſſ. Paulò poſt initium.*

Qui in Sacerdotio ſancto conſtituti ſunt.... eam functionem gerunt, quâ nulla major excogitari poteſt. *Concil. Mediol.* III. *an. 1573 titul. 10 De iis, quæ partim ad Ordinis Sacramentum, partim ad Clericorum honeſtatem ac ſtudia pertinent Circa medium.*

Cùm auguſtius habeat Eccleſia catholica nihil... Sacrificio Altaris. *Convent. Melodun. an. 1579 Titul. 10 De Euchariſtiæ ſacro-ſancto Sacramento.*

Eminet autem inter omnia, quæ in ſacris habentur myſteriis & actionibus, Miſſæ Sacrificium & rei dignitate, & Sacerdotis præſtantiâ, & fructûs excellentiâ. *Conc. Aquilenſ. an. 1596 Num. 4 De divinis Officiis. Paulò poſt initium.*

Pignus redemptionis noſtræ, & quotidianum

humanæ reconciliationis incrementum ac Sacrificium, quantâ debeat reverentiâ celebrari, & quâ cordis puritate ad illud accedere teneatur Sacerdos, satis expressè notant qui Angelis superiores asserunt Sacerdotes, dùm sæpiùs agunt celebrando, quod semel in utero Virginis actum est. *Conc. Narbon. an. 1609 cap. 19 de Missæ Sacrificio. Initio.*

Sacerdotium ipsum in terrâ quidem peragitur, sed in rerum cœlestium classem ordinemque referendum est..... Dùm conspicis Dominum immolatum, & illic situm Sacerdotem Sacrificio incumbentem, ac preces fundentem, tùm verò turbam circumfusam pretioso illo Sanguine intingi, ac rubefieri; etiamne te inter mortales versari, atque in terrâ consistere censes?... Adest enim Sacerdos non ignem gestans, sed Spiritum Sanctum: is preces diuturnas fundit, non quo flamma cœlitùs delapsa sacra apposita absumat, sed ut gratia in Sacrificium influens, per illud ipsum omnium animos inflammet, & puriores reddat argento igni excocto purgatoque. S. *Chrysost. De Sacerdotio, lib. 3 cap. 4 Initio.*

Divinus Maris.... cùm... longo tempore desideraſſet videre offerri spiritale & mysticum Sacrificium, rogavit ut divini doni illic fieret oblatio. Ego verò (Theodoretus Cyri Episcopus) lubenter parui, & jussi sacra vasa afferri (pagus enim haud longè aberat) & pro Altari usus Diaconorum manibus mysticum divinum & salutare obtuli Sacrificium. Ille autem omni spiritali implebatur voluptate, & existimabat seipsum Cœlum videre, dicebatque se nunquàm tantam cœpisse lætitiam. *Theodoretus Cyri Episcopus, De vitis Patrum interprete Gentiano Herveto, apud Heribertum, Ros-Vveydum, Lib. 9 cap. 20 De vitâ Maris.*

Quantâ luce credis te circumfundi, sancte

Sacerdos, in præsentiâ tantæ majestatis in tam solemni adventu & conventu Trinitatis & totius militiæ cœlestis? Quantam æstimas claritatem adesse & inesse toti Curiæ cœlesti? Tantam nimirùm, quantam ferre non posses, nisi virtus Altissimi tuæ, infirmitati ad ferendum obumbraret. *Instruct. Sacerdotis, seu Tract. De præcipuis mysteriis nostræ Religionis, cap. 8 in fine tomo 5 operum S. Bernardi.*

Deliciari & gaudere debemus in Sacramento Altaris, in cujus confectione fidelis minister invenit se ipsum in medio Patris & Filii & Spiritûs sancti, adstantibus etiam ex omni latere supernis ordinibus. *Serm. De excellentiâ sanctissimi Sacramenti & dignitate Sacerdotum, num. 8 tomo 5 operum S. Bernardi.*

Magna dignitas, mira potestas, excelsum & expavendum officium. *Hugo de S. Vict. tom. 3 Specul. Ecclesiæ, cap. 5 De ordinibus Clericorum. post medium.*

Scio & apertè profiteor tempore immolationis in ipsâ horâ incensi Cœlos ad vocem Sacerdotis aperiri, Angelos præsentes assistere, unum & idem ex visibilibus & invisibilibus fieri, & operatione sancti Spiritûs terrena cœlestibus jungi. *Petr. Blef. Epist. 123 ad Richard. Londonens. Episcop. Circa initium. Bibliot. PP. Lugdun. tom. 24.*

Terribilis... locus est, in quo Deo Patri ejus Unigenitus immolatur. *idem, ibidem. Circa medium.*

Injunctum (nobis) magnæ dignitatis obsequium & officium debitæ servitutis. S. *Bonavent. De præparatione ad Missam. cap. 5 post medium.*

Quo (Sacramento) nihil sanctius & devotius potest esse in Cœlo & in terrâ, & quod est admodùm præcipuum indicium divinæ dignationis & dilectionis ad hominem.... hoc est

memoriale totius dilectionis suæ, & quasi compendium quoddam omnium beneficiorum suorum, quod nobis reliquit Incarnationis, Redemptionis, glorificationis & justificationis figuram in hoc inclusit. *Idem, de institutione novitiorum, parte* 1 *cap.* 11 *Circa medium.*

Magna prorsùs & admiranda Sacerdotum est dignitas. Maxima illis collata potestas. Suâ namque prolatione eloquiorum cœlestium, & ad eorum penè libitum corpus Christi de panis transubstantiatur materia; descendit de Cœlo in carne Verbum, & Altaris verissimè reperitur in mensâ. Hoc illis prærogatur ex gratiâ, quod nusquàm datum est Angelis. Assistunt Deo; illum contrectant manibus; tribuunt populis; in seque suscipiunt. Verùm Angelorum, sive astantium, sive ministrantium .... vice funguntur. *S. Laurent. Justin. Serm. De Euch. num.* 27 *circa medium.*

SECTIO PRIMA.

Excellentia hujus Sacrificii ex variis ejus nominibus desumpta.

Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem Salutaris accipiam. *Psal.* 115 *v.* 12 *&* 13.

Sacrificium verum & plenum. *S. Cypr. Epist.* 63 *ad Cæcilium. Non procul à fine*

Salutaria illa mysteria ... Eucharistia, id est, gratiarum actio, nuncupantur; sunt enim beneficiorum recordatio plurimorum, caputque ipsum divinæ erga nos charitatis ostendunt, nosque faciunt debitas Deo gratias semper exolvere. S. *Chrysost. Homil.* 26 *in Matth. post medium.*

Sacramentum unitatis, vinculum pacis, consortium charitatis, expiationis Sacrificium, devotionis oblatio, honoris delatio, exhibi-

tio pietatis. *S. Laurent. Justinian. De Institutione & regimine Prælatorum, cap. 21 num. 3 circa medium.*

SECTIO SECUNDA.

Ex Sacerdote offerente.

Idem ipse Sacerdos & Sacrificium Jesus Christus. *Conc. Lateran. an 1216 Titul. De fide catholicâ.*

Sacerdos in personâ Christi loquens, hoc conficit Sacramentum. *Conc. Florent. In decreto, De unione Armenorum an. 1439 Multò post medium.*

Idem... nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit. *Concil. Trid. sess. 22 an. 1562 cap. 2 circa medium.*

Per Jesum Christum offert Ecclesia. *S. Irenæus, lib. 4 adversus hæreses, cap. 33 in fine. Bibliot. PP. Lugdun. tom. 2.*

Sacerdos vice Christi verè fungitur, qui id, quod Christus fecit, imitatur. *S. Cypr. Epist. 63 ad Cæcilium. Non procul à fine.*

Christus.... ipse offerre manifestatur in nobis. *S. Ambr. Enarrat. in psal. 38 num. 25.*

Tu... es, qui offers & offerris, assumis & distribueris, Christe Deus noster. *S. Chrysost. in Lyturgiâ. Circa medium. In oratione, quæ incipit*: Nullus eorum, qui carnalibus cupiditatibus & voluptatibus est irretitus.

Domine Jesu, Deus noster Salvator noster, Sacerdos noster, Hostia nostra. *S. Petrus Cluniacensis, Epist. contra Petrobrusianos hæreticos, titul. Contra id, quod dicunt Missam nihil esse, nec celebrari debere. Longè ab initio. Bibliot. PP. Lugdun. tom. 22.*

In mysterio isto Dominus Jesus ipse Sacerdos & Hostia. *S. Laurent. Justinian. serm. de Euchar. num. 28 Circa medium.*

SECTIO TERTIA.

Ex victimâ oblatâ.

Hebr. 9. Idem ille Christus continetur & incruentè immolatur, qui in arâ crucis semel se ipsum cruentè obtulit. *Conc. Trid. sess. 22 an. 1562 cap. 2 circa initium.*

(Christus) ipse offertur in terris, quandò Christi corpus offertur. *S. Ambr. in enarrat. in psal. 38 num. 25 circa finem.*

Christus adsistit, quandò Christus immo-
1. Cor. 5. v. 7. latur. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. *Idem, in cap. 1 Evangelii secundùm Lucam, lib. 1 num. 28 circa medium.*

Ecclesia... offert quidem Domino Deo suo Sacrificium spiritûs contribulati..... Offert Sacrificium justitiæ.... Offert & Sacrificium laudis..... sed longè acceptabilius offert Sacrificium, eum scilicet, qui juxta Apostolum per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo... Offert Agnum Dei, qui tollit peccata mundi, qui nec immolatus moritur, nec divisus minuitur, nec comestus consumitur. Offert ipsum pro seipsâ, qui se obtulit pro ipsâ; &, quod ille fecit semel moriendo, hoc illa facit semper offerendo. *S. Petrus Cluniacensis, epist. contra Petrobrusianos hæreticos. titul. contra id, quod dicunt Missam nihil esse, nec celebrari debere. Non procul ab initio. Biblioth.* PP. *Lugdun. tomo 22.*

Christus... in se ipso immortaliter & incorruptibiliter vivens pro nobis in mysterio Altaris quotidiè immolatur. *Petr. Blesf. Epist. 123 ad Richard. London. Episc. circa initium. Bibliot.* PP. *Lugdun. tomo 24.*

SECTIO QUARTA.

Ex fine & effectibus.

Hujus oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit. *Conc. Trid. seſſ. 22 an. 1562 cap 2 circa medium.* *S. Aug. lib. 10 de Civ. Dei, cap. 20.*

Eminet autem inter omnia, quæ in ſacris habentur myſteriis & actionibus Miſſæ Sacrificium... fructûs excellentiâ: Dominus enim noſter Jeſus Chriſtus Unigenitus Patris, candor æternæ lucis & figura ſubſtantiæ illius, portans omnia verbo virtutis ſuæ, tanquam Sacerdos conſtitutus à Deo ſecundùm Ordinem Melchiſedech in æternum, cùm ingrederetur in Sancta Sanctorum per ſanguinem ſuum, ſemel ſeipſum in arâ crucis morte intercedente Deo Patri obtulit in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant ſub primo Teſtamento, ut repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt, æternæ hæreditatis. Hoc verò Sacrificium, quòd cruentè oblatum eſt, & memoriâ ac repræſentatione in Eccleſiâ frequentatur, & uſque in finem ſæculi permanebit, cujus ſalutaris virtus in remiſſionem eorum, quæ à nobis quotidiè committuntur, applicatur, quantâ deceat ſpiritûs innocentiâ, reverentiâ, metu, humilitate tractare res ipſa judicat, ipſa loquitur & conteſtatur. *Concil. Aquileïenſe, an. 1596 Num. 4 De divinis Officiis. paulò poſt initium.*

Hoc Sacrificium & à terrâ nos liberat, & tranſponit in Cœlum, atque ex hominibus Angelos facit. *S. Chryſoſt. hom. 26 in cap. 8 S. Matthæi. longè antè finem.*

Hæc... ſingulariter Victima ab æterno interitu animam ſalvat, quæ illam nobis mortem Unigeniti per myſterium reparat. Quòd licèt ſurgens à mortuis jam non moritur, &

mors ei ultrà non dominabitur, tamen in seipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens pro nobis, iterùm in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur, ejus quippè ibi corpus sumitur, ejus caro in populi salute partitur, ejus sanguis... in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostrâ passionem Unigeniti Filii semper imitatur. Quis enim fidelium habere dubium possit in ipsâ immolationis horâ ad Sacerdotis vocem Cœlos aperiri in illo Jesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus jungi, unum quid ex visibilibus atque invisibilibus fieri? *S. Greg. Papa* I. *apud S. Greg. Papam* VII. *lib. 1 epist. 47 ad Comitissam Mathildem. Conc. Labb. tom. 10.*

Vide eumd. S. Doctorem, Dialog. lib. 4 cap. 57 & Homiliarum in Evangelia, lib. 2 homil. 37 antè finem.

Vide pariter venerabilem Bedam, Ecclesiasticæ historiæ gentis Anglorum, lib. 4 cap. 22.

Scio quia Hostia hæc singulariter animas ab æterno interitu salvat, dùm Unigeniti Dei mortem salubre mysterium representat. Scio & apertè profiteor tempore immolationis in ipsâ horâ incensi Cœlos ad vocem Sacerdotis aperiri, Angelos præsentes assistere, unum & idem ex visibilibus & invisibilibus fieri, & operatione sancti Spiritûs terrena cœlestibus jungi. Magnum itaque hoc est... supra omnem æstimationem, supra omnem intelligentiam, supra omnem eminentiam, in quo salus est mundi, pretium sæculi, pretium sine pretio, pretium impretiabile. *Petr. Bles. Epist. 123 ad Richard. London. Episc. circa initium. Biblioth.* PP. *Lugdun. tom. 24.*

Cùm nihil habeamus, quo possimus Deum & sanctos pro suâ dignitate laudare, quàm

Christum sacramentaliter Deo Patri offerre & immolare. *S. Bonav. tract. de præparat. ad Missam, cap 8 post medium*

(Cùm in Altari Christus immolatus) clamat idem Redemptor ad Patrem corporis sui cicatrices ostendens, quatenus ab æternis suppliciis suâ homines interpellatione custodiat... vides perspicuè nullum acceptabilius Deo offerri Sacrificium ad exolvendum laudes, sive ad exhibendum gratias, seu ad impetrandum indulgentiam, vel ad gloriam promerendum, quàm corporis & sanguinis Christi sacro-sanctum mysterium, in cujus oblationis horâ, quantùm fas est credere, aperiuntur Cœli, mirantur Angeli, Sancti laudant, exultant justi, capti visitantur, compediti solvuntur, infernus luget, sanctaque in spiritu mater beata lætatur Ecclesia. Quamobrem rectè colligitur quantâ cum veneratione ibi debeat astare Sacerdos, cui consecrandi Hostias, offerendi incensum, atque intercedendi pro populo est impensa authoritas. *S. Laurent. Justinianus, serm. de Euchar. num. 17 initio.*

Nihil profectò hoc Sacrificio acceptabilius Deo Patri pro reconciliandis peccatoribus, nihil pro expiandis sceleribus, pro captivis fidelibus redimendis utilius in Ecclesiâ offerri potest .... in ipso... Dominus quotidiè mysticè immolatur; quâ quidem immolatione à vitiorum purgamur squaloribus, mundamur ab infidelitatis tenebris, Deo reconciliamur per mortem Filii ejus.... Ipsis profectò Pontificibus ac Sacerdotibus licet non tantùm semel in anno, neque per sortes, ut olim in veteri Testamento, sed diebus singulis introire Sancta Sanctorum, & tam pro seipsis, quàm pro populi reconciliatione offerre hostiam laudis divinæ majestatis obtutibus. *Idem, de institutione*

& regimine Prælatorum, cap. 10 num. 6 Ferè ab initio.

Quamobrem & solemnis est illa Ecclesiæ precatio Quoties hujus Hostiæ commemoratio celebratur, toties opus nostræ salutis exercetur, nimirùm uberrimi illi cruentæ Hostiæ fructus per hoc incruentum Sacrificium ad nos manant. *Catechismus Concilii Trid. ad Parochos, parte 2 de Sacramentis, tit. de Euchar. num. 84.*

SECTIO QUINTA.

Per comparationem cum aliis Sacrificiis.

Hujus veri Sacrificii multiplicia variaque signa erant Sacrificia prisca Sanctorum, cùm hoc unum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res una diceretur, ut sine fastidio multum commendaretur. Huic summo veroque Sacrificio cuncta Sacrificia falsa cesserunt. *S. Aug. lib. 10 de Civit. Dei, cap. 20.*

Ut ergo umbræ cederent corpori, & cessarent imagines sub præsentiâ veritatis, antiqua observantia novo tollitur Sacramento, hostia in hostiam transit, sanguinem sanguis excludit, & legalis festivitas, dùm mutatur, impletur. *S. Leo Papa I. serm. 7 de Passione Domini. circa initium.*

Hoc Sacrificium servabatur tempori gratiæ, quod congruum non fuerat dari in tempore iracundiæ. Habuit bovem Judæus; habet Christum Christianus, cujus Sacrificium tantò Judaïcis victimis excellentius est, quantò Christus bove major est. Congrua tunc fuit servilis Hostia servis; servata est nostris diebus liberatrix Victima jam filiis & amicis. *S. Petrus Cluniacensis, epist. contra Petrobrusianos hæreticos, titul. contra id, quod dicunt Missam nihil esse,*

nec celebrari debere. Longè ab initio. Biblioth. PP. *Lugdun. tom.* 22.

Ergo legem lex, Agnum Deus Agnus abegit. *Petrus Blef. Tractatu, De sacro-sanctis venerabilis Eucharistiæ mysteriis, metricè, cap. 4 post medium.*

Nihil in Sacrificiis majus esse potest, quàm corpus & sanguis, nec ulla oblatio hac potior est: sed hæc omnes præcellit. *De consecrat. dist. 2 can.* 8. Nihil.

Deus qui legalium differentiam Hostiarum unius Sacrificii perfectione sanxisti *Secret. Dominic. 7 post Pentec.*

ARTICULUS II.

De modo offerendi sanctissimum Missæ Sacrificium.

MUndè, & rectè, & legitimè. *S. Irenæus, lib. 4 adversùs hæreses, cap.* 34 *longè antè medium. Bibliot.* PP. *Lugdun. tom* 2.

Oportet .. nos oblationem Deo facere... in sententiâ purâ & fide sine hypocrisi, in spe firmâ, in dilectione ferventi. *Idem, ibidem. post medium.*

Indignè sumis, si non accedis reverenter, circumspectè & consideratè. *S. Bonav. Tract. de præparat. ad Missam, cap. 5 circa initium.*

Altaris ministerium ob reverentiam corporalis præsentiæ Salvatoris munditiæ, reverentiæ, diligentiæ, honestatis & circumspectionis studium speciale requirit. *Idem, specul. disciplinæ ad novitios, parte* 1 *cap.* 17 *initio.*

SECTIO PRIMA.

Mundè seu circumspectè.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Mundities cordis.

Statim . . . ut sensit (Isaac) vestimentorum illius fragrantiam , benedicens illi , ait : Ecce odor filii mei , sicut odor agri pleni , cui benedixit Dominus. *Genes.* 27 *v.* 27.

Odor vestimentorum tuorum , sicut odor thuris. *Cantic.* 4 *v.* 11.

Satis . . apparet omnem operam & diligentiam in eo ponendam esse , ut quantâ maximâ fieri potest interiori cordis munditiâ & puritate . . . peragatur. *Conc. Trid. sess* 22 *an.* 1562 *in decreto , de observandis & evitandis in celebratione Missæ paulò post initium.*

Si tales . . . quærimus ad Sacros Ordines promovendos , quibus nulla ruga , nullumque vitæ contagium mentes & corpora præpediat ; quantò magis , si post Ordinationem suam quispiam in lapsum ceciderit , & prævaricationis peccato deprehendatur obnoxius , omninò prohibendus est cum manibus lutulentis atque pollutis mysterium nostræ salutis tractare ? Sitque hujusmodi semper juxta sacrorum Canonum statuta in hac vitâ depositus. *S. Martinus Papa I. Epist. ad Amandum Trajectensem Episc. Concil. Labb. tom. 6 Refertur distinct. 50 can. 12.* Si post.

Adstans coràm symbolis Hierarcha manus abluit , & unà cum ipso omnes Sacerdotes.

Joan. v. 10. 13 Lectio constructionis hujus hyperbato seu transgressione constat ; quòd nimirùm , qui lotus est , non opus habeat aliorum membrorum lotione , quàm summitatum seu extremitatum. *S. Dionysius , sive altus , de Ecclesiastică Hierarchia ,*

cap. 3 *contemplatione* 33 *sect.* 10 *initio. Bibliot. PP. Lugdun. tom.* 2.

Necesse est Sacerdotem sic esse purum, ut si in ipsis Cœlis collocatus inter cœlestes illas Virtutes medius staret. *S. Chrys. lib.* 3 *de Sacerdotio, cap.* 4 *circa initium.*

Thymiama.... ex aromatibus compositum facimus, cùm in Altari boni operis virtutum multiplicitate redolemus. *S. Gregorius Papa I. Moralium, lib.* 1 *in cap.* 1 *B. Job. cap.* 36 *num.* 54 *paulò post initium.*

Si is, qui nuptialibus non ornabatur induviis manuum pedumque loris addictus in tenebras projicitur ultionis; quid illi sperandum est, qui cœlestibus triclinii intromissus non modò non est spiritalis indumenti decore conspicuus, sed ultrò etiam fœtet sordentis luxuriæ squalore perfusus? B. *Petrus Damianus, opusc.* 18 *contra Clericos intemperantes, differt.* 1 *cap.* 4 *post medium.* *Math.* 22. *v.* 11. 12. & 13.

Quid est... alienum ignem Domino Sacerdotes offerre, nisi ardore libidinis inflammatos sacrosanctis Altaribus propinquare? *Idem, ibidem, differt.* 2 *cap* 4 *circa medium.*

Filii Aaron idcircò cœlestis ignis incendio concremati sunt, quia alienum ignem offerre in Dei Sacrificio præsumpserunt.... Cavendum valdè est ne alienum ignem, hoc est, libidinis flammam, vel cujuscumque vitii fomitem inter salutares Hostias deferamus. *Idem, opusc. 26 contra inscitiam & incuriam Clericorum, cap.* 1 *circa medium.* *Levit.* 10.

Utinàm forcipe de Altari unus de summo ordine Seraphim labia mea emundaret tam ad loquendum, quàm ad edendum panem sacerdotalem: ausu namque temerario tam periculosum, quàm præsumptuosum est, immundis labiis sive inlotis manibus contrectare sacrosancta mysteria, quæ digna tantùm ministeriis *Isa.* 6. *v.* 6.

contingi apostolicis arguunt irreverentes, condemnant impudentes, deificant humiles. *Petr. Cellens. lib. de panibus, cap. 20 de pane sanctificato & sacerdotali. Post medium. Bibliot.* PP. *Lugd. tom.* 23

Isa. 52. v. 11. Verbum Prophetæ est: Mundamini, qui fertis vasa Domini. Quantò mundiores esse oportet, qui in manibus & in corpore portant

1. Cor. 6. v. 20. Christum, quibus Apostolus dicit... Glorificate, & portate Christum in corpore vestro. *Petrus Blesensis, epist. 123 ad Richard. Londonens. Episc. paulò post initium. Bibliot.* PP. *Lugdun. tom.* 24.

Væ... illis, quibus Corporis Christi dispensatio credita est, si non est præcisus umbilicus eorum. *Idem, serm. 55 ad Sacerdotes post medium.*

Ne, si peccatis obnoxii offerant, eorum oblatio sit quasi qui victimat filium in conspectu patris. *Joan. Steph. Durantus, lib. 2 de ritibus Ecclesiæ catholicæ, cap. 42 parag.* 4.

§. II.

Munditiæ corporis.

Quâ puritate oportebit custodire nostri corporis atque animæ castitatem, quos necesse est quotidiè sacrosanctis Agni carnibus vesci, quas neminem immundum contingere etiam veteris legis præcepta permittunt? *Joan. Cassianus, De Cœnobiorum institutis, lib. 6 cap. 8 Bibliot.* PP. *Lugdun. tom.* 7.

Constat quòd nulli periculosiùs ea (sacra mysteria) contingunt, quàm luxuriosi & incesti. *Paschasius Ratbertus, de corpore & sanguine Christi, cap. 22 antè finem.*

Nunquid ignoras Dei Filium adeò carnis elegisse munditiam, ut ne quidem pudicitiâ conjugali, sed de clausulâ potiùs incarnatus sit vir-

ginali? Et ne hoc sufficere videatur, ut tantummodò Virgo sit mater; Ecclesiæ fides est, ut virgo fuerit & is, qui simulatus est pater. Si igitur Redemptor noster tantoperè dilexit floridi pudoris integritatem, ut non modò de virgineo utero nasceretur, sed etiam à nutricio virgine tractaretur, & hoc cùm adhuc parvulus vagiret in cunis; à quibus nunc, obsecro, tractari vult corpus suum, cùm jam immensus regnat in Cœlis. B. *Petrus Dam. opusc. 17 de cœlibatu Sacerdotum, cap. 3 paulò post initium.*

Accinctis autem renibus... Agnum jubemur comedere... ut castitate præcincti... comedamus Agnum... Sciendum quia Agnum Dei sine maculâ qui virginis est filius, luxuriosi & incesti sumunt periculosiùs; quia, cùm in Sacramento Christi ei uniri debeamus conformitate passionis & munditiæ, nihil sic adversatur passioni crucis, ut voluptas; nihil sic munditiæ, ut fœditas..... angelicam in terris vitam ducamus, quatenùs castitatis munditiâ corde & corpore Christi munditiæ conformes, ne cœlesti alimoniâ indignè reficiamur. *Algerus, de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini, lib. 1 cap. 22 post medium. Bibliot.* PP. *Lugdun. tom.* 21.

Dispositio corporalis honesta devotionis provocat affectum, & designat. *S. Bonav. Specul. disciplin. ad novitios, parte 2 cap. sub finem.*

§. III.

Mundities Altaris, sacrorum vasorum & ornamentorum.

Præcipimus quoque ut oratoria, vasa, corporalia & vestimenta prædicta munda & nitida conserventur; nimis enim videtur absurdum in sacris sordes negligere, quæ dedecerent etiam in profanis. *Innoc.* III. *in Conc. general.*

de custodiâ Eucharistiæ. Decretal. lib. 3 *tit.* 44 *cap.* 2 Relinqui.

Ornamenta & instrumenta Altarium pro celebratione Missæ pura ac munda sint, præsertim corporalia ac purificatoria. Quamobrem etiam in vino albo, ubi possit, tantummodò ad Missæ Sacrificium Sacerdotes utuntur. Calices ex metalli genere jure permisso adhibeantur, eoque pretiosiori, quantùm per facultates licuerit. *Conc. Mediol. I. an.* 1565 *parte* 2 *titul.* 5 *quæ pertinent ad celebrationem Missæ antè medium.*

Caveant Sacerdotes & præcipuè Curati, ne sacra vasa, ut calices, pixides, imò ne urceoli quidem, fontes baptismales, & vasa sacri olei, nec sacerdotalia qualiacunque ornamenta sordibus scateant. Corporalia, mappæ, & alia linteamina sacris usibus deputata, nitida & munda sint, juxta Pauli præceptum; ne cum Corinthiis sordidissimis ad divina irreverenter accedentibus jure redarguamur. *Convent. Melodun. an.* 1579 *Titul.* 17 *Tres causæ, ob quas malè audit Clerus.*

Missam quisquis celebraturus est, nec accedat illotis, ut aiunt, manibus; & habitu sordido vestimentorum aut ornamentorum Altaris. *Conc. Rhemense, an.* 1583 *Capitul. De Eucharistiâ. Antè medium.*

Observandum est ut mensa Christi, id est, Altare, ubi Corpus Dominicum consecratur, ubi Sanguis ejus hauritur, ubi Sanctorum reliquiæ reconduntur, ubi preces & vota populi in conspectu Dei à Sacerdote offeruntur, cum omni veneratione honoretur, & mundissimis linteis & pallis diligentissimè cooperiatur, nihilque super eo ponatur, nisi capsæ cum Sanctorum reliquiis & Missale. *Conc. Turon. ann.* 1583 *titul. de Eucharistiâ & Missæ Sacrificio, antè medium.*

Quàm... illotâ conscientiâ ac pollutâ accedant ad sacrificandum, aut quàm parùm studiosè ac piè dijudicent Corpus Domini, satis arguunt sordes calicum, corporalium, mapparum atque omnium ornamentorum, quibus decet venerari tantum religionis christianæ Sacramentum & Sacrificium. *Conc. Aquense, an.* 2585 *titul. de celebratione Missæ, circà initium. Conc. Rothomag. an.* 1581 *capitul. de Sacrificio Missæ, circà initium.*

Alia.... utensilia nunquàm otioso situ neglecta marcescunt, cùm sacerdotalia ornamenta, quibus sacris Altaribus deservitur, sæpè à tineis comesta reperiantur. B. *Petr. Damian. opusc.* 21 *de fugâ dignitatum ecclesiasticarum, cap.* 1 *antè medium.*

Quantæ confusionis opprobrium est, quòd nonnulli circà sacri Altaris ut ensilia tantæ negligentiæ sunt, & tam segnis incuriæ, ut stanneos vel etiam supparis cujuscunque metalli calices longo situ scabredinis inhorrescere patienter aspiciant, in squalido linteo Dominicum Corpus offerant & involvant; & quod non dignaretur potens quilibet, qui tamen vermis est, propriis adhibere labiis, in hoc isti corpus non verentur imponere Salvatoris! Quid porrò de consciissis ac putrescentibus sacrorum Altarium prandeis; quid de diversis vasis ad ecclesiastica ministeria necessariis; quid denique de sacerdotalibus eloquar indumentis? Quid postremò de codicibus dicam, in quibus nimirum hac ipsa quoque legere inoffensè non possumus, quæ tenaci adhuc memoriâ reservamus? Quæ nimirùm omnia oculis subjecta cernentibus & levibus excutiunt risum, & sapientes provocant ad lamentum. *Idem, opusc.* 26 *contrà insciitiam & incuriam clericorum, cap.* 1 *post medium.*

Insuper curam habeas diligenter de mundi-

tiâ & nitore paramentorum Altaris & sacrorum vasorum, ut cum honore & omni diligentiâ tractetur ille, qui est Angelis & Archangelis tremebundus *S. Bonav. de præparat. ad Missam, cap. 4 in fine.*

Singularem Hostiæ cultum singularis decet munditia. Ad res quoque necessarias, ut sunt corporalia, panni calicis, ipse calix & missale, est reverentia adhibenda, quam munditiæ studium maximè probat. *Idem specul. disciplin. ad novitios, parte 1 cap. 17 antè medium.*

SECTIO SECUNDA.

Rectè seu reverenter.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Cum purâ intentione.

Certè graviter dolemus atque animo inhorrescimus, ubi videmus passim tantis mysteriis indignos, ac conductitios illos, ac indignos Sacerdotes, publicis etiam ac manifestis criminibus contaminatos sese (idque irreverenter, & interdùm magis lucelli ac stipis, quàm Dei causâ) sacris ingerere, quorum instat interitus, & perditio non dormitat. *Concil. Coloniense, an. 1536 part. 2 cap. 9.*

Quoad avaritiam pertinet, cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, & quidquid promissis novis celebrandis datur, nec non importunas atque illiberales eleemosinarum exactiones potiùs quàm postulationes, aliaque hujusmodi, quæ a simoniacâ labe, vel certè à turpi quæstu non longè absunt, omninò prohibeant. *Conc. Trid sess. 22 an. 1562 decret. de observandis & evitandis in celebr. Missæ, circà medium.*

Non enim longè absunt à simoniacâ labe & turpi quæstu, ex Concilii Tridentini authori-

tate, qui non alio quàm pecuniarum intuitu Missas frequentant. *Concil. Turon. an.* 1583 *Titul.* 14 *de Paræcis, præbyteris & aliis clericis, longè post medium.*

Pacta & conditiones sordidas, quæ simoniam sapiunt, in Missarum celebratione vitabunt..... Quod ex devotione pro Missarum celebratione per fideles Sacerdoti in eleemosinam erogatur, ipse recipiat. *Concil Narbonense, an.* 1609 *cap.* 19 *de Missæ Sacrificio, circà medium.*

Sindone, quam solemus corporale nominare, admonetur omnis, scilicet populus & ministri Altaris, nec non & Sacerdos, ut.... sicut illud nitet suo splendore, ità intentio offerentium simplicitate niteat coram Deo. *Amalarius Fortunatus Metensis Diaconus, de ecclesiasticis Officiis, cap.* 19 *circà medium, Bibliot. PP. Lugdun. tom.* 14.

Non potest Sacerdos illâ intentione celebrare.... ut ex hoc pecuniam consequatur, quia peccaret mortaliter. *S. Thom. opusc.* 65. *de officio Sacerdotis, titul. de Horis canonicis, paulò antè finem.*

Primò vide quid desideres, ne propter avaritiam, aut tumorem, aut vanam gloriam, aut consuetudinem, aut alicujus mundanæ complacentiæ, aut temporalis favoris causâ accedas; sicut multi diebus istis abutuntur ad sui perditionem, quod est datum ad salutem. *S. Bonav. Opusc. de præparat. ad Missam, cap.* 8 *circà initium.*

Dirige mentem tuam ad debitam intentionem & propositum circà ea, quæ agere debes. Tria autem sunt, quæ celebraturus intendere debes, scilicet Deum per latriam colere, Christi mortem memorari, & totam Ecclesiam juvare. *Idem, ibidem, cap.* 9 *initio.*

§. II.

Cum debitâ veneratione.

Nec dubitare licet, ubi Corporis & Sanguinis Dominici geruntur myſteria, ſupernorum civium adeſſe conventus. Undè ſtudendum ſolerter eſt ut, cùm Eccleſiam vel ad divinæ laudis debita ſolvenda vel ad agenda Miſſarum ſolemnia intramus, ſemper angelicæ præſentiæ memores cum timore & veneratione competenti cœleſte compleamus officium. *Beda, in Luc. Apud Conc. Aquiſgranenſe, an.* 816 *lib.* 1 *cap.* 32 *circà medium.*

Quanta cura adhibenda ſit, ut ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium omni religiònis cultu ac veneratione celebretur, quivis facilè exiſtimare poterit qui cogitarit maledictum in ſacris Litteris eum vocari, qui facit opus Deî negligenter. Quòd ſi neceſſariò fatemur nullum aliud opus adeò ſanctum ac divinum à Chriſti fidelibus tractari poſſe, quàm hoc ipſum tremendum myſterium, quo vivifica illa Hoſtia, quâ Deo Patri reconciliati ſumus, in Altari per Sacerdotes quotidie immolatur: ſatis etiam apparet omnem operam & diligentiam in eo ponendam eſſe ut, quantâ maximâ fieri poteſt, interiori cordis munditiâ & puritate atque exteriori devotionis ac pietatis ſpecie peragatur. *Conc. Trid. ſeſſ.* 22 *an.* 1562 *decret. de obſervandis & evitandis in celebratione Miſſæ, initio.*

Jerem. 48. v. 10.

Dum divina celebrantur, ad Altare vel intra Chori cancellos nulli laïci, multò minùs feminæ, ſeſe intrudant. *Conc. Rhemenſ. an.* 1583 *cap. de Euchar. num.* 7.

Nec verò quis, vel vir vel mulier, gradibus Altaris hæreat, aut propè Altare ſit, dùm Sacrum fit: ideò Sacerdos celebraturus hærentes indè longiùs abſcedere jubeat: quo cele-

brante, id miniſtrans Clericus præſtet. *Conc. Aquenſe, an.* 1585 *Titul. de celebrat. Miſſæ, poſt medium.*

Videat prætereà ne laïcorum, qui interſunt, quos omnes, præcipuè tamen feminas, ab Altaris ſeptis & gradibus arceri jubemus, indecoris actionibus tanti Sacrificii dignitas veneratioque dedecoretur. *Conc. Toloſan. an.* 1590 *parte* 2 *cap.* 6 *de Miſſarum celebratione, num.* 5.

Curent Sacerdotes circumſtantes omnes, uti invitantur, elevare corda, ſpiritum dimittere, quod exteriori corporis diſpoſitione denotent; & idcircò ſtantes, irreverenter ſedentes, aut capite operto eſſe... non permittant. *Conc. Narbon. an.* 1609 *Titul.* 19 *de Miſſæ Sacrificio, circà medium.*

Præſul..... reverenter ſimul; &, ut Pontificem decet, poſt ſacras illas divinorum operum laudes de Sacrificio dignitatem ſuam ſuperante ſe purgat, ad Chriſtum priùs exclamando; Tu dixiſti; Hoc facite in meam commemorationem. *S. Dionyſius ſive alius, de eccleſiaſticâ Hierarch. cap.* 3 *contemplat.* 3 *ſect.* 12. *paulo antè medium. Bibliot. PP. Lugdun. tom* 2.

Et tu ergo etiam antè illud tempus ſtupendum venerare, & obſtupeſce, & aſſurge, antequàm videas expanſas veſtes, ſtragulas, & tapetes, & procedentem Angelorum chorum, in ipſum Cœlum aſcende. *S. Chryſoſt. Homil.* 36 *in* 1 *ad cor. poſt medium.*

Quis enim fidelium habere dubium poſſit in ipsâ immolationis horâ ad Sacerdotis vocem Cœlos aperiri, in illo Jeſu Chriſti myſterio Angelorum choros adeſſe, ſummis ima ſociari, terrena cœleſtibus jungi, unumque ex viſibilibus atque inviſibilibus fieri? S. *Gregor. Papa I. lib.* 4 *Dialog. cap.* 58 *in fine.*

Plurimùm coram ſanctis Altaribus frequentiam Angelorum vultumque Dei contemplan-

tem divina obsequia observare oportet & vereri. *Paschasius Ratbertus Abbas, de corpore & sanguine Christi, in præfat. propè finem.* Bibliot. PP. *Lugdun. tom.* 14.

§. III.

Cum magno pietatis sensu.

Philip. 4. v. 18. Qui ordinatè vult aliquid Deo offerre, primùm seipsum offerat, videlicet juxtà Apostolum hostiam vivam, sanctam, Deo placentem. *Conc. Aquisgran. II. an.* 836. *Ad Pippinum Regem Aquitaniæ lib.* 1 *cap.* 10.

Unusquisque nostrûm habet in se holocaustum suum, & sui ipse succendit Altare, ut semper ardeat. *Origenes, homil. 9 in cap.* 16 *Levitici, longè post medium.*

Cùm ego nossem... nullum magno & Deo, & Sacrificio, & Pontifice dignum esse, nisi qui priùs seipsum Deo hostiam viventem, sanctam exhibuerit, acrationabile obsequium gratum tum atque acceptum ostenderit, Deoque Sacrificium laudis ac spiritum contritum obtulerit (quod solum Sacrificium is, qui omnia dedit, à nobis exposcit.) Quo tandem modo externum illud Sacrificium, illud magnorum mysteriorum Antitypum ipsi offerre auderem? *S. Greg. Naz. Apologet. orat.* 1 *num.* 161.

Hoc est... verè Sacrificium primitivum, quandò unusquisque se offert Hostiam, & à se incipit, ut posteà munus suum possit offerre. *S. Ambrosius, de Caïn & Abel, lib.* 2 *cap.* 6 *paulò post initium.*

Cùm ad horam offerendi Sacrificii veniret, velut totus in lacrymis defluens semetipsum cum magnâ cordis contritione mactabat. *Sanct. Greg. Papa I. In Evangelia, lib* 2 *homil.* 37 (*loquens de S. Cassio Narnienst Episcopo*) *num.* 9. *circà initium.*

Necesse est ut, cùm hæc agimus (nempè

Missam celebramus) nosmetipsos Deo in cordis contritione mactemus : quia , qui Passionis Dominicæ mysteria celebramus , debemus imitari quod agimus. *Idem , Dialogorum , lib. 4 cap. 59 initio.*

Tunc (Sacerdoti) Hostia proderit , si seipsum Hostiam faciens velit humiliter & efficaciter imitari , quod agit. *Petrus Blesensis , Epist. 123 ad Richardum Londonensem Episcopum , longè ab initio.*

In Sacrificiis Altaris... magnus ignis devotionis & dilectionis exigitur ; quia ibi est tota nostra salus. Certè indevotissimus est Sacerdos , qui ibi non conteritur , ubi Filius Altissimi antè Patris oculos immolatur. Sanè Sacerdos devotus & prudens , dùm mensæ divinæ assistit , nihil cogitat nisi Christum Jesum, & hunc crucifixum. Ponit antè oculos cordis sui Christi humilitatem , & patientiam Christi , angustias & dolores ; Christi opprobria , sputa , flagella , lanceam , crucem , mortem devotè & sollicitè recolit , & se in ipsâ memoriâ passionis Dominicæ crucifigit. *Idem , serm. 56 ad Sacerdotes. Multò post medium Bibliot. PP. Lugdun. tom. 24.*

Intrinsecos motus gestus exterior attestatur. *S. Bonavent. speculi disciplinæ ad novitios , part. 2 cap. 1 paulò antè finem.*

Improbum.... est atque indignum Altaris Ministrum eâ videlicet horâ , quâ Sacramentorum cœlestium immolationi incumbit , passim per... cogitationum inutilium vagari campos , qui totâ animi intentione debuit in Deum esse suspensus.... Totus igitur Sacerdos , cùm ministraturus est Sancta , se reducat in se , omnemque cordis hebetudinem , tumorem animi ac mentis fluctuationem devotionis , pro posse , censurâ compescat , quatenùs in spiritu Deo spiritualiter inhærendo deserviat. At verò hoc

nunquàm perficere poterit, nisi assuescat ambulare in spiritu, passionum impulsus ac exteriorum cohibere fragores. *S. Laurentius Justinianus, serm. de Eucharist. num.* 33 *in fine.*

SECTIO TERTIA.

Legitimè seu ordinatè.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Quantùm ad locum.

In medio Ecclesiæ laudabo te. *Psalm.* 21 *vers.* 23.

Fabricati sunt limen suum juxtà limen meum, & postes suos juxtà postes meos: & murus erat inter me & eos. *Ezechiel.* 43 *v.* 8.

Ne populus distrahatur à Missâ parochiali, & ab auditione mandatorum Dei & Ecclesiæ, prohibemus ne in capellis &c. *Concil. Senonense an.* 1528. *Decretorum meorum*, 15 *initio.*

Ut irreverentia vitetur.... ne... patiantur privatis in domibus, atque omninò extra Ecclesiam, & ad divinum tantùm cultum dedicata Oratoria ab eisdem Ordinariis designanda & visitanda sanctum hoc Sacrificium à sæcularibus aut regularibus quibuscunque peragi. *Conc. Trid. sess. 22 an. 1562. Decret. de observandis & evitandis in celebr. Missæ.*

Missæ in Ecclesiis tantùm publicè non privatim in ædium Oratoriis, ab Episcopo non temerè unicuique concedendis, nisi perneccessarium sit, accedatque Episcopi venia, celebrentur. *Concil. Tolosan. an.* 1590 *part.* 2 *cap.* 6 *de Missarum celebratione, num* 3.

Concil Paris. lib. 1. c. 47. cap. VII. 334.

Satiùs.... est Missam non cantare, aut non audire, quàm in illis locis, ubi fieri non oportet, nisi pro summâ contingat necessitate, quoniam necessitas non habet legem. Undè scriptum est: Vide ne offeras holocausta tua in om-

ni loco. *Felix Papa IV. Epist. 1 ad omnes Epis. cap. 1 longè antè finem. Concil. Labb. tom. 4.* *Greg. Ep. 18 lib. 3.*

Missarum solemnia nequaquàm alibi nisi in Ecclesiâ celebranda sunt, non in quibuslibet domibus, & in vilibus locis, sed in loco, quem elegerit Dominus, juxtà illud, quod scriptum est: Vide ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris; sed in loco, quem elegerit Dominus, ut ponat nomen suum ibi. *Theodulphus Aurelianensis Episc. capitulorum, cap. 11. Bibliot. PP. Lugdun. tom. 14.* *Deut. 12. v. 13.* *Deut. 12. v. 13.*

Cave ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris; sed in eo, quem elegerit Dominus. Ideò... præcipit in Templo & ad Altare Domini Hostias offerri; ut, ubi integra est religio, ibi cultus exhibeatur. *Glossa ordinar. Hic.* *Deut. 12. v. 13.*

§. II.

Quantùm ad tempus.

Postremò ne superstitioni locus aliquis detur... ne Sacerdotes aliis, quàm debitis horis celebrent. *Conc. Trid. sess. 22 an. 1562. Decret. de observandis & evitandis in celebrat. Missæ, post medium.*

Non celebretur Missa paræcialis ad nutum nobilium aut laïcorum, sed consuetâ & opportunâ horâ *Conc. Bituric. an. 1584. Titul. 23. De Missâ, can. 8.*

§. III.

Quantùm ad ritus.

Cùm... natura hominum ea sit, ut non facilè queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam summissâ voce, alia verò elatiore in Missâ pronuntiarentur, instituit. Ceremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones,

lumina, thymiamata, vestes aliaque id genus multa, ex Apostolicâ disciplinâ & traditione; quo & majestas tanti Sacrificii commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia religionis ac pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur. *Concil. Trid. sess. 22 an. 1562 cap. 5. De solemnibus Missæ Sacrificii ceremoniis.*

Postremò ne superstitioni locus aliquis detur.... ne Sacerdotes . . ritus alios aut alias ceremonias & preces in Missarum celebratione adhibeant, præter eas, quæ ab Ecclesiâ probatæ ac frequenti & laudabili usu receptæ fuerint. *Idem, Eádem sess. decret. de observandis & evitandis in celebrat. Missæ, post medium.*

Præcipimus autem ut Sacerdotes in Missæ celebratione ceremonias à Romanâ Ecclesiâ institutas ad unguem servent, neque alias adhibeant. *Conc. Mediol. an. 1565 part. 2 titul. 5. Quæ pertinent ad celebr. Missæ.*

In eâ sanctissimi Sacrificii actione ab erroribus vel levissimis omninò cavete. Quæ de illo piè ritèque celebrando præscripta sunt, ea vos studiosè diligenterque servate. *Concil. Mediol. IV. an. 1576 part. 3 titul. 7. Monitiones, paulò post initium.*

In celebratione verò omnes ritus ac ceremoniæ quæ in Missali Romano præscribuntur, exactè & religiosè observentur, nullis prætermissis, nullisque omninò abjectis. *Conc. Burdig. an. 1583 titul. 5 de iis, quæ in sacrosancto Missæ Sacrificio divinisque Officiis vel observanda vel cavenda sunt, circà medium.*

Ne, quod, proh dolor, pluribus in locis, & à multis temporibus fit nimis licenter, Sacerdotes populum sibi commissum à devotione potiùs revocent, quàm ad sacrorum & tremendorum mysteriorum meditationem, contemplationem & debitam eis impendendam vene-

rationem invitent : eisdem districtissimè inhibemus, ne Missis celebrandis se immiscent, nisi priùs à peritis & excercitatissimis Sacerdotibus docti ritus & ceremonias in tam celebri Sacrificio summâ cum reverentiâ necessariò observandas, earumque vim, effectum & rationem didicerint : quas ceremonias innovare, aut aliis ab Ecclesiâ minimè receptis & approbatis uti non permittimus. *Conc. Turon. an. 1583 titul. 8 de Eucharistiâ & Missæ Sacrificio, antè medium.*

In celebratione Missæ omnes ritus & ceremoniæ, quæ in Missalibus præscribuntur, exactè & religiosè observentur, neq; quicquam addatur aut detrahatur. *Conc. Bituric. an. 1584 titul. 23 de Missâ, can. 13.*

In celebratione Missæ, etiam edicto & pœnis propositis, Episcopi caveant ne Sacerdotes. . . . ritus alios aut alias ceremonias & preces in Missarum celebratione adhibeant præter eas, quæ ab Ecclesiâ probatæ, & frequenti, ac laudabili usu receptæ sunt. *Conc. Aquileïens. an. 1596 rubricâ 4 longè post initium.*

Appone diligentiam magnam in signis & actibus, majorem in verbis, maximam in intentione. *S. Bonav. opuscul. de præparatione ad Missam, cap. 13. Quomodò Sacerdos celebrans habere se debeat infrà sacrum canonem.*

ARTICULUS III.

Quædam specialiter circà Missæ Sacrificium observanda.

SECTIO PRIMA.

Quomodò Sacerdos celebraturus præparare se debet.

ANtequàm celebrent, se colligant; & orantes mentem in tanti ministerii cogitatione defigant.... Sacris vestibus induti cum nemine colloquantur, neque loquentibus dent aures, mentemque & oculos ab omnibus amoveant, quibus distrahi possint; neque à Sacristiâ exeant, nisi tùm ad Altare eundum erit; quod tùm graviter & modestè fiat. *Conc. Mediol. I. an. 1565 part. 2 titul. 5. Quæ pertinent ad celebrationem Missæ, circà medium.*

Ad illud faciendum parate vos omni pietate, in tàm alti mysterii meditatione toto animo defixi. *Conc. Mediol IV. an. 1579 part. 3 titul. 7. Monitiones, longè post initium.*

Nunquam Sacerdotes celebrabunt sine præcedentibus conscientiæ examine, precibus ac meditationibus. *Conventûs Melodunensis, an. 1579 titul. 11. Quæ pertinent ad celebrationem Missæ, circà medium.*

Celebraturi Sacerdotes conscientiam suam priùs diligenter excutiant atque examinent, & piam aliquam meditationem præmittant. Peccatorum verò confessionem octavo quoque die aut sæpius faciant. *Conc. Burdigal. an 1583 titul. 5 de iis, quæ in sacrosancto Missæ Sacrificio divinisque Officiis vel observanda vel cavenda sunt, antè med.*

Missam non celebret nisi dignè præparatus Sacerdos. *Conc. Bituric. an. 1584 titul. 23 de Missâ, can. 4.*

Ut

Ut paratiores Sacerdotes ad celebrationem Missæ accedant, confiteantur peccata sua, quoties celebraturi sunt, aut saltem singulis hebdomadis. *Idem, ibidem, can 16.*

Celebraturi purgatâ primùm conscientiâ se in Sacrarium recipiant, ubi repertis his, & in Missali perlectis, quæ in Missâ sunt recitaturi.... Intrà dictum Sacrarium & non alibi induent se vestibus sacris. *Conc. Narbon. an. 1609 cap. 19 de Missæ Sacrificio, paulò post initium.*

Sanctus Carpus.... nunquàm sacros mysteriorum ritus auspicabatur, nisi priùs ipsi inter præparatorias preces propitia quædam visio apparuisset. *S. Dionys Areopagita, aut alius, Epist. 8 ad Demophilum Monachum, de propriâ operatione ac clementiâ, sect. 6. Initio, Biblioth. PP. Lugdun tom. 2.*

Sit.... usque ad Missarum peragenda mysteria saliva linguæ nostræ virgo vel casta; ut vel se sub virginali taciturnitatis censurâ coërceat, vel sub pudicæ quodammodò locutionis moderamine sobria verba depromat. *Petrus Dam. opusc. 26 contrà insciitiam & incuriam clericorum, cap. 1 post medium.*

SECTIO SECUNDA.

Quædam circà celebrationem Missæ observanda.

Qui legit Missam, cum reverendâ modestiâ, clarè, distinctè & exertè legat omnia usque ad Canonem; ut qui audiendi Sacri causâ adstat, quod legitur intelligat, atque ad pietatem excitetur. *Conc. Colon. I. an. 1536 part. 2 cap. 13.*

Ab omni indecoro & absurdo capitis, oris & reliqui corporis motu abstineant. *Concil. Mediol. I an. 1565 part. 2 titul. 5. Quæ pertinent ad celebrationem Missæ, circà medium.*

Propter erroris casum, qui in omni parte Missæ gravis, in Canone gravior, in ipsâ verò Consecratione gravissimus est, Missam legant,

non verò memoriter dicant, aut canant. *Idem*; *ibidem*, *post pauca.*

Ut pileum, birretum, aut subbirretum, chirothecas, sudariolum, aut quodcunque deniquè hujus generis in Altari ne ponant. *Idem*, *ibid. post medium.*

Ne verò quis, vel vir, vel mulier, gradibus Altaris hæreat, aut propè Altare sit, dùm Sacrum fit. Ideò Sacerdos celebraturus hærentes indè se longiùs abduci jubeat; quo celebrante hoc ministrans Clericus præstet. *Concil. Mediol. III. an.* 1573 *titul.* 11 *de iis, quæ pertinent ad Missæ Sacrificium, circà finem.*

Porrò venerabunda ac devota ad Altare eorum actio & pronunciatio præ se ferat, & ostendat fidem & intentionem, quam habere debent de Christi & Angelorum in Sacrificio præsentiâ. *Concil. Rhotom. an.* 1581 *capitul. de Sacrificio Missæ, num.* 4 *Conc. Aquense, an.* 1585 *titul. de celebrat. Missæ.*

Secretò pronuncianda submissâ voce recitentur, neque memoriter quidquam, sed in libro omnia legantur. *Conc. Burdigal. an.* 1583 *titul.* 5 *de iis, quæ in sacrosanctò Missæ Sacrificio divinisque Officiis vel observanda vel cavenda sunt, circà medium.*

Sacerdotes non celebrent operto capite, nisi infirmitas urgeat. *Conc. Bituric. an,* 1584 *titul.* 23 *de Missâ, can.* 14.

Non memoriter dicatur Missa, *Idem*, *ibid. can.* 15.

Celebraturi super Altare nihil reponant, neque pileum, neque vestimentum, neque librum, præter Missale. *Idem*, *ibidem. can.* 17.

Super Altare quoque se non appodient inhonestè, nec manus suas hac & illac inordinatè deducant. Quandò se vertunt ad populum, non erigant oculos, ut videant assistentes. . . . . Circà sumptionem calicis caveant ne ipsum su-

mendo, vel calicem exguttando per nimiam extractionem tumultum quemdam vel sibilum cum labiis faciat, aut post sumptionem digitos lambant. *S. Bonavent. specul. disciplinæ ad novitios, part. 1 cap. 17. Multò post medium.*

Nec nimium præceps, aut festinus, nec etiam æquo tardior sit, aut prolixior, majoremque ædificationis publicæ, quàm proprii sui affectûs rationem semper habeat. *Octavius Myrtus Frangipanius primùm Tricarisensis, posteà Cataccnsis seu Calatinensis Episcopus, in Director. disciplinæ Eccles. titul. de divinis Officiis. Vide Italiam sacram. tom. 6.*

SECTIO TERTIA.

Quid post celebratam Missam agere debent; & de gratiarum actione.

Edent pauperes, & saturabuntur..... Reminiscentur, & convertentur ad Dominum. *Psal. 21 v. 27 & 28.*

Peractâ Missâ pro summi beneficii munere Deo gratias agant. *Conc. Mediol. I. an. 1565. part 2 titul. Quæ pertinent ad celebrationem Missæ. Versùs finem.*

Expletâ verò Missâ calix cum patenâ & corporalium thecâ cum vestibus sacerdotalibus in mundo loco sub ferâ recondantur. *Conc. Turon. an. 1583 titul. de Eucharistiâ & Missæ Sacrificio, circà initium.*

Si homines, cum quibus eadem est natura nobiscum, parvum aliquandò ac vile nobis beneficium præstiterint, expectant à nobis gratitudinem.... quantò magis id nobis faciendum in iis, quæ à Deo accepimus, qui hoc solùm ob nostram utilitatem vult fieri? Nam sicut, cùm grati sumus hominibus, qui nobis benefecerunt, illos clariores reddimus; ità &, si in Deum fuerimus grati, nos ipsos illustriores facimus: quoniam non ut nostrâ celebratione

opus habens hoc fieri vult ; sed ut, quidquid lucri est, iterùm ad nos redeat, & dignos faciamus nos ipsos majoribus subsidiis. Quamvis autem non possimus id facere, ut dignum est (Quî enim hoc fieri posset, cùm tam fragiles naturâ simus ? Et quid dico humanam naturam ? Ipsæ etiam incorporeæ & invisibiles Virtutes, & Principatus, & Potestates, & Cherubim, & Seraphim, ut dignus est, glorificare illum non possunt, etiamsi juxtà vires suas gloriam illi offerant) nihilominùs justum fuerit pro viribus gratiarum actionem offerre, & indesinenter glorificare Dominum nostrum & per benedictionem crebram, & per vitam optimam. *S. Chrysost. homil. 26 in caput 8 Genes. propè finem.*

Post patenæ, vel calicis, aut corporalium tactum non sunt manus communicandæ communibus antè factam post tactum hujusmodi lotionem. S *Bonav. specul. disciplinæ ad Novitios, part. 1 cap. 17 in fine.*

Peracto deniquè sacrosancto Missæ Sacrificio non minori curâ, quàm ad antecedentem Missæ præparationem requirebatur, quisque in omni silentio ac quiete actionum, locutionum, sensuum & cogitationum sese contineat ; & , si per occupationes diù non potest, paulisper tamen, & per quartam nimirùm aut octavam saltem horæ partem devotè secum meditetur, & intentâ cogitatione perpendat quis, quid egerit, & quâ fide, quâ devotione, quo fine, quo fructu hoc ipsum peregerit. *Octavius Myrius Frangipanius primùm Tricaricensis, postea Caiacensis seu Calatinensis Episcopus, in directorio disciplinæ Eccles. titul. de divinis Officiis. Vide Italiam sacram. tom. 6.*

ARTICULUS IV.

De Sacerdotibus celebrantibus.

SECTIO PRIMA.

De rarò celebrantibus.

CUret Episcopus ut ii (Sacerdotes) saltem diebus Dominicis ac Festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent. *Concil. Trid. sess. 23 an.* 1563 *capit.* 14. *Quinam ad presbyterat. assumendi : assumptorum quod munus. Versùs finem.*

Qui Sacerdotes estis, Missæ Sacrificium sæpiùs facite sanctè ac religiosè. *Conc. Mediol. IV. an.* 1576 *part.* 3 *tituł.* 7 *Monitiones, paulò post initium.*

Sic vivendum est, ut panem illum supersubstantialem semper accipere valeamus ; quia væ ei, qui se alienum fecerit ab eo ; & multùm væ illi, qui spurcus & immundus accesserit. Utrobique grande periculum ; ideò magna necessitas instat ne indigni inveniamur. *Tract. de ordine vitæ & morum institutione, cap.* 2 *num.* 4. *Versùs medium, inter opera S. Bernardi, tom.* 5.

O quantæ angustiæ me undiquè affligentes ! Accedere indignè, horrendum est judicium : non accedere ex notabili negligentiâ vel contemptu, damnabilis est culpa. *Beda.* Nam cùm Sacerdos est absque peccato mortali, & in proposito bono, non habens legitimum impedimentum, & non ex reverentiâ, sed ex negligentiâ celebrare omittit, tunc, quantùm in ipso est, privat Trinitatem laude & gloriâ, angelos lætitiâ, peccatores veniâ, justos subsidio & gratiâ, in purgatorio exis-

tentes refrigerio. Ecclesiam Christi spirituali beneficio, & seipsum medicinâ & remedio contrà quotidiana peccata & infirmitates. Quia, sicut ait Ambrosius: Si, quotiescunque effunditur sanguis Christi, toties in remissionem effunditur, debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur: qui semper pecco, semper debeo accipere medicinam. Item privat se omnibus talibus provenientibus ex sacrâ communione, quæ sunt peccatorum remissio, fomitis mitigatio, mentis illuminatio, interior refectio, Christi & corporis ejus mystici incorporatio, virtutum roboratio, contrà diabolum armatio, fidei certitudo, spei elevatio, charitatis exercitatio, devotionis augmentatio, & Angelorum convivatio. Item non complet sibi injunctum magnæ dignitatis obsequium, nec officium exercet debitæ servitutis Dei, & tamen scriptum est: Maledictus, qui facit opus Dei negligenter. Item contemnit Christi præceptum de observantiâ hujus Sacramenti; ideò Christus comminatur: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis &c. Item abjicit viaticum suæ peregrinationis, exponens se periculo mortis, quia nisi recipiat alimentum Corporis Christi & vitæ vegetationem, efficitur sicut aridum membrum, ad quod non transmittitur corporalis cibi nutrimentum. Ultimò, quantùm in se est, evacuat divinum cultum & latriam Creatori debitam, ingratus de beneficiis. Undè dicitur in Numeris: Si quis mundus est, scilicet à peccato mortali, & in itinere non fuerit, scilicet aliter impeditus, & non fecerit phasc, anima illa de populo suo exterminabitur; quia Sacrificium non obtulit Deo Domino tempore suo. *S. Bonav. de præparatione ad Missam, cap. 5 paulò post initium.*

S. Ambr. lib. 4 de Sacram. cap. ult. t. 4 Refer. de consec. dist. 2 cap. Si quotiescunque.

Jerem. 48. v. 10.

Num. 9. v. 13.

SECTIO SECUNDA.

De tepidè celebrantibus.

Qualis esse debeat, qui Christo ministrat; ostenditur; oportet enim primò carere variarum illecebris voluptatum, vitare internum corporis animique languorem, ut Corpus & Sanguinem Christi ministret. Neque enim potest quisquam peccatis suis æger, minimèque sanus immortalium sanitatum remedia ministrare. Vide quid agas, Sacerdos, nec febrienti manu Corpus Christi adtingas. *S. Ambr. lib. de viduis, cap. 10 num. 65.*

Ad sacratissimum... Corpus Christi nimis accedit periculosè, qui in judicio solem justitiæ non attendit. *Petr. Blesens. serm. 56 ad sacerdotes, in cap. 6. Levit. circà medium. Biblioth. PP. Lugdun. tom. 24.*

Passionem Christi evacuant, totumque negotium nostræ redemptionis irrident, qui cum summâ humilitate & diligentiâ non attendunt cum quantâ reverentiâ Caro & Sanguis Christi debeat confici, quàm devotè tractari, quàm sanctè suscipi, quàm industriè dispensari. *Idem, serm. 18. In cœna Domini, non procul à fine.*

Cave ne nimis tepidus & inordinatus accedas & inconsideratus, quia indignè sumis, si non accedis reverenter, circumspectè, & consideratè. *S. Bonav. de præparat. ad Miss. cap. circà initium.*

De ipsis potissimùm, qui divinam sortiti gratiam tepefacti sunt, & insensibiliter sacro-sancta tractant mysteria infideliterque, Apostolum arbitror dixisse, quandò ait: Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritûs sancti, gustaverunt nihilominùs verbum Dei bonum virtutesque sæculi futuri, & prolapsi sunt, renovari rursùs ad pœnitentiam, *Hebr. 6 v. 4 5. & 6.*

rursùs crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes. *S. Laurent. Justin. serm. de Euchar. num. 10.*

SECTIO TERTIA.

De indignè celebrantibus.

Ad vos, ô Sacerdotes, qui despicitis nomen meum, & dixistis: In quo despeximus nomen tuum? Offertis super Altare meum panem pollutum, & dicitis. In quo polluimus te? In eo quod dicitis: Mensa Domini despecta est. *Malach. 1 v. 6 & 7.*

Propriæ salutis prodigus impurâ conscientiâ & illotis, ut dicitur, manibus tremendo Altaris Sacrificio assistit..... Cumque non minimam malorum hujus tempestatis partem huic malo acceptam ferimus, quòd tam impurè, non dijudicando Corpus Domini, sacrosancta hæc mysteria tractantur. *Concil. Moguntinum, an 1549 cap. 56 circà initium.*

Audet..... scelestas blasphemias suas (neque enim preces dixerim) in divinis mysteriis Christi formiter pronuntiare. Non est iste Sacerdos, non est; sed inimicus, dolosus, illusor sui, & lupus in gregem Dominicum ovinâ pelle armatus. *S. Dionys. Areopag. aut alius, Epist. 8 ad Demophilum monachum, sect. 2 in fine. Bibliot. PP. Lugdun. tom. 2.*

Polluimus panem, id est, Corpus Christi, quandò indigni accedimus ad Altare, & sordidi mundum Sanguinem bibimus, & dicimus: Mensa Domini despecta est. Non quòd aliquis audeat dicere; & quòd impiè cogitat, sceleratâ voce proferre; sed opera peccatorum despiciunt mensam Dei. *S. Hieron. Explanatione in Malachiæ Prophetæ cap. 1 ad hæc verba:* Ad vos, ô Sacerdotes.

Judæ... osculum Dominus non ideò suscepit, ut pacem proditoris acciperet, sed ut

suam ab alieno reciperet. *S. Paulin. Episc. Nolanus, Epist. 2 ad Severum, longè post medium.*

Desperatus incurrit, qui in ipsis dominantis oculis offendit : & excusatione caret, qui facinus ipso judice teste committit. *S. Petr. Chrysolog. serm. 26 de fideli dispens., paulò post init.*

Qui peccant..... ac sacrosancta mysteria contingere minimè verentur, totus (dæmon) se insinuat ; istud nempè perfectæ stupiditatis & corruptionis argumentum esse meritò existimans. Quod etiam in proditore quoque fecit. Non enim quemadmodùm tu putas, eò in ipsum ingressus est, quòd Dominicum Corpus contemneret, sed.... Dominum quidem prodere in animo haberet, nec tamen mysteria percipere recusaret ; idcircò cum abduxit. Nam si eum erga divinum mysterium religiosè affectum id deprecantem conspexisset, fortasse ipsum tanquam adhuc sanæ ac sobriæ mentis præteriisset. *S. Isidorus Pelusiota, lib. 3 epist. 364 Nilammoni Diacono. Biblioth. PP. Lugdun. tom. 7.*

Quantùm ad seipsum, nuptialis edulii munditiam polluit. *Petr. Dam. opuscul 18 contrà Clericos intemperantes, differt. 1 cap. 4. Versùs finem.*

Nullus... gravius convincitur peccare, quàm Presbyter, qui vel per imperitiam vel reprobam vitam, dùm indignè ministrat, quantùm ad se salutaris Victimæ Sacramenta contaminat. Regi planè vel sublimiori cuique personæ si quis per vitium detractionis obloquitur, vel etiam in diripiendâ sive demoliendâ rerum suarum facultate grassatur, facilè redit in gratiam, si dignè satisfaciens emendet offensam. At, si manibus excedit, si in ejus personam audacter profilit, si hostiliter irruit, quia non pecuniaria, sed criminalis est causa, nihil ab eo aliud exigitur, quàm vindicta.... Ità nimirùm aliud est in Deum per diversos modos

humanæ fragilitatis excedere, aliud in sacro-sancti Corporis ejus & Sanguinis oblatione peccare. Sicut aliud est promulgata regiæ legis edicta negligere, aliud ipsum specialiter Regem vibrato propriæ manûs jaculo sauciare. Multis... sceleribus plebs Israëlitica se frequenter immiscuit, sed nunquàm se tam crudeliter polluit, quàm tunc cùm Dominum crucifixit. Et certè qui Dominicum Corpus pollutis tractare manibus non veretur, crucifigentium Jesum particeps esse convincitur. Quibus nimirùm expavescenda nimis est Apostolica illa sententia: Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritûs sancti, gustaverunt nihilominùs bonum Dei verbum virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursùs renovari ad pœnitentiam, rursùm crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes. A nullo planè Deus omnipotens majoris injuriæ præjudicium tolerat, imò deteriùs nemo peccat, quàm Sacerdos, qui prohibentibus canonibus indignè sacrificat. Aliter in quocumque modo peccantes quasi Dominum in rebus ejus offendimus; indignè verò sacrificantes, velut in personam ejus manus injicere non timemus, cùm scriptum sit: si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus; si autem in Deum peccaverit vir, quis orabit pro eo? *Idem, opusc. 26 contrà insciliam & incuriam clericorum, cap. 2 initio.*

Heb. 6. v. 4 5. & 6.

1. Reg. 2. v. 25.

Si manducans & bibens indignè, sive communicans tantùm, judicium sibi manducat & bibit; multò magis, qui indignè sacrificat. *Simeon Archiepisc. Thessalonic. Piâ admonitione ad sacerdotes.* (*Reperitur ad calcem partis 2 de sacris Ordinationibus ejusdem Simeonis.*) *Bibliot.* PP. *Lugdun. tom. 22.*

Quicunque... ad Altare Domini accedit in-

quinatus luxuriâ, juxtà Filium Virginis idolum ponit Veneris. Qui sacra illius verba Sacramenti ore immundo profert, in faciem Salvatoris spuit. Et cùm in os immundum sanctissimam carnem ponit, eam quasi in lutum platearum projicit. *Serm. 38 in Synodo, super verba Osee 12 v. 13. (Hic sermo Petro Comestori adjudicatur) Biblioth. PP. Lugdun. tom. 24.*

Ad Altare accedentes orationem incipimus: Auferà nobis, Domine, iniquitates nostras, & Alteri osculum infigimus. Nonne Christus è contrà potest stare, & dicere: Juda, tradis osculo Filium hominis? *Serm. 42 in synodo, super verba Thren. cap 2 v. 10. (Hic Sermo Petro Comestori tribuitur) Biblioth. PP. Lugdun. tom. 24*

Fit ei mensa Domini in laqueum, & in retributiones, & in scandalum. *Serm. 47 ad sacerdotes & Prælatos, super verba Psal. 48 v. 13. (Hic Sermo Petro Comestori attribuitur.) Biblioth. PP. Lugdun. tom 24.*

Quàm perditus ergo est, qui redemptionem in perditionem, qui Sacrificium in sacrilegium, qui mysterium in parricidium, qui vitam convertit in mortem. Prohibet Dominus in lege Moysi, ne de agno paschali comedat peregrinus, advena, vel immundus. Quantâ ergo, & quàm damnabili temeritate Sacerdos indignus ministrare præsumit, qui, ut verbo utar Apostoli, Filium Dei conculcat, & Sanguinem testamenti pollutum ducit, in quo sanctificati sumus, & spiritui gratiæ contumeliam facit? . . . . . Illis. . . qui carnalibus desideriis insumuntur, calix Domini vertitur in fel draconum. . . Angelorum panis aufertur, & eis manna cœleste putrescit, pluitque super eos Dominus sicut pulverem carnes. . . . . Qui debuerant esse vicarii Apostolorum, & filii Petri, facti sunt socii Judæ, & præambuli Anti-Christi.

Exod. 12. Num. 1.

Heb. 10. v. 29.

Verbum quippè Gregorii est : Qui Christi Corpus indignè conficit, Christum tradit, ut Christus, dum traditur, dicat : Ecce manus tradentis me, mecum est in mensâ. Augustinus super illum versiculum : Dederunt in escam meam fel : Gravius, inquit, peccant offerentes indignè Christum regnantem in Cœlis, quàm qui eum crucifixerunt ambulantem in terris. Et idem : Magis peccant, qui tradunt Christum peccatoribus membris, quàm qui tradidit ipsum crucifixoribus Judæis Et adaptat Sacerdotibus pravis illud lamentabile verbum Christi : Dederunt in escam meam fel, & in siti meâ potaverunt me aceto..... Verbum Beati Hieronymi est : Perfidus Judæus, perfidus Christianus : ille de latere, iste de calice Sanguinem Christi fundit..... Repositum fuit illud pretiosissimum corpus in syndone mundâ & in monumento novo ; iste autem in ore adhuc pene hesterno fœtente, & in sentinâ ventris adhuc præcedente crapulâ æstuante demergit eum, quem Angeli prospicere concupiscunt, quem prospiciendo delectationes æternas accipiunt. Nonnè potiùs Anti-Christianus, quàm Christianus judicandus est, qui, quantùm in se est, Christum jàm factum impassibilem ita tractat indignè, ità probris afficit, ità crudeliter interimit, & sepelit inhonestè ? *Petrus Blesensis, Epist. 123 ad Richardum Londonensem Episcopum. Non procul ab initio. Bibliot. PP. Lugdun tom. 24.*

In Psal. 68. v. 22.

In Psal. 68 v 22.

Matth 27 v 59. & 60.

Indignus est, qui aliter celebrat mysterium Eucharistiæ, quàm à Christo traditum est, & qui non devotâ mente accedit ad Eucharistiam, vel in voluntate peccandi manens ; & itle talis est reus Corporis & Sanguinis Domini, id est, mortis Christi pœnas dabit, id est, ac si Christum occiderit, punietur. *Hæc glossa apud.*

S. Bonav. in confessionali, cap. 4 part. 3 paulò antè finem.

Dùm incredulus & pollutus præsumit contingere sancta atque immaculata mysteria, Judam imitatur..... qui perceptâ panis intincti buccellâ sceleratior factus.... Hinc est, quòd sumentes indignè præ cœteris delicta graviora committunt, & pertinaciores in malo, atque ad emendationem vitæ tardiores sunt. Quonam modo in sceleribus non excellunt alios, dùm Regem gloriæ atque universorum Conditorem contemnunt, & irreverenter tractant? Nempè, qui tales sunt, si Sacramenta cœlestia Christi Corpus verum ejusque Sanguinem esse non dubitant, quâ temeritate quâve impudentiâ tremendam in se nequaquàm verentur percipere Majestatem? Scelus hoc grande est, & nefas pessimum. *S. Laurent. Justin. serm. de Euchar. num. 9 circà medium.*

A talium se (Angeli) avertunt consortio, ipsorumque orationes despiciunt, utpotè Deo odibiles, ac sibimetipsis contrarias; stupent tamen, & divinam super eos glorificant patientiam, protelatamque justæ animadversionis sententiam. *Idem, ibid. num. 12. circà initium.*

Tales sacerdotes non sunt mei Sacerdotes, sed veri proditores; ipsi enim & me vendunt quasi Judas, & me produnt. *Inquit Christus ad S. Brigittam, in ejus revelat. lib. 1 cap. 47. Multò post medium.*

SECTIO QUARTA.

De frequenti celebratione Missæ.

Immolo quotidiè..... immaculatum Agnum in Altari (*Atebat S. And æas Apostolus*) *ut referunt acta ejus passionis ab Achaiæ presbyteris conscripta.*

Sacerdotes, qui sacrificia Dei quotidiè celebramus. *S. Cyprian. Epist. 54 circa medium.*

Quotidiè cœlesti pane saturati dicimus : Gustate & videte quàm suavis est Dominus. *Sanct. Hieron. lib. 2 in Isai. cap. 5 v. 20 circà med.*

Illius bibimus sanguinem. . . . . & quotidiè in Sacrificiis ejus de genimine vitis veræ. . rubentia musta calcamus ; & novum ex his vinum bibimus. *Idem , Epist. ad Hedibiam , quæst. 2 circà medium.*

Debemus. . . quotidianas Carnis ejus & Sanguinis Hostias immolare Hæc namque singulariter Victima ab æterno interitu animam salvat , quæ illam nobis mortem Unigeniti per mysterium reparat. S. *Gregor. Papa I. lib. 4. Dialog. apud S. Greg. Papam VII. lib. 1 epist. 47 ad Comitissam Mathildem. Concil. Labb. tom. 10.*

Multi vestrûm , fratres charissimi , Cassium Narnienſis urbis Episcopum noverunt , cui mos erat quotidianas Deo Hostias offerre , ità ut penè nullus dies vitæ ejus abscederet , quo non omnipotenti Deo Hostiam placationis immolaret. Cui cum Sacrificio valdè etiam concordabat vita ; nam cuncta , quæ habebat , in eleemosinis tribuens , cùm ad horam offerendi Sacrificii veniſſet , velut totus in lacrymis defluens , semetipsum cum magnâ cordis contritione mactabat (*cujus exitum , postquàm* S. *Gregorius retulit , subjungit*) Lavate ergo , fratres charissimi , lacrymis maculas peccatorum , eleemosinis tergite , sacris hostiis expiate. *Idem , Homiliarum in Evangelia lib. 2 homil. 37 num. 7 de S. Cassio Episcopo Narnienſi , initio. Et num. 10 sub finem.*

ARTICULUS V.

De Missâ solemni.

ETsi, Prophetâ testante, doceamur psallere Deo, & singulis horis psallere sapienter : multò fortiùs hoc debemus attendere, quandò Missa præsertim solemniter celebratur, ubi angelicæ Hierarchiæ invocantur, & in tali tantò mysterio, ut Sancti testantur, assistunt, debemus voce, spiritu & mente psallere humiliter & devotè. Cùm igitur Missa in aliquâ Ecclesiâ nostræ Provinciæ in notâ celebratur, debent omnes maximè Sacerdotes & Clerici in Ecclesiâ ipsâ, quantùm possunt, assistere celebranti, ac omnis clamor, strepitus & tumultus in eâdem Ecclesiâ conquiescere. *Concil. Ravennat. IV. an. 1317. de celebratione, Missarum, rubricâ 12.*

In Missis, quæ in Choro canuntur... Quoniam.... quædam ad doctrinam pertinent & eruditionem fidelium, ut Epistola, Evangelium, Symbolum ; quædam ad laudes ; quædam verò ad preces : statuit sancta Synodus, ut, quæ ad eruditionem leguntur, aut canuntur, ità legantur & canantur, ut præsentes distinctè exaudire singula verba possint. Quarè in Symbolo canendo placet nec organa nec musicam adhiberi, nisi sit simplex, ac talis ut singula verba sine repetitione possint intelligi. Quæ verò ad laudes pertinent, ut sunt Hymni, Gloria in excelsis, Sanctus, in his musica locum habeat, sed nec lasciva, nec choreis potiùs quàm Choro congruens ; sed gravis ac movens pios affectus. Quæ verò in Missis ad preces referuntur, ea sive legantur, sive canantur, sic fiant ut affectus deprecantis potiùs

quàm exultantis lætitia demonſtretur. *Concil. Camerac. an.* 1565. *Titul. 6 de cultu, ceremoniis, & Officio divino, cap 3 initio.*

Ut autem ad tanta myſteria poſſit animus fidelium eſſe devotior, cultuſque ſincerior, muſica illa levis & garrula procul omninò arceatur; ſed, ſi qua adhibenda videtur, ſit illa gravis & æqualis, non redolens impudicas cantilenas, ſed integra canticorum eccleſiaſticorum verba, ſenſumque referens. Idem volumus obſervari in organorum ſono. *Concil. Rhem. an.* 1583 *capitul. de Euchar. num.* 18.

ARTICULUS VI.

De primâ novi Sacerdotis Miſsâ.

DUm verò à novitiis Sacerdotibus hujus Sacri primitiæ celebrantur, ſeriò mandamus choreas & omninò ſæculares pompas omittendas, & convivia non permittenda, niſi inter paucos amicos, & ea ſobria tamen & quæ ſine luxu in timore Domini ineantur. *Concil. Mogunt. an* 1549 *capitul.* 60.

Sacerdotes primitias celebrante, gratulatione publicâ æquum eſt auſpicium tanti miniſterii hilariter excipi; ſed ità tamen id conceditur à ſanctâ Synodo, ut eam gratulationem ac lætitiam nulla turpitudo vitiet. Abſit igitur in convivio temulentia, ludrica omnia, cujuſmodi ſunt ſaltationes, choreæ, & hujuſmodi reliqua prorsùs tollantur. Servetur autem decorum per omnia, ac ſacerdotalis dignitatis habeatur ratio. *Concil Camerac an.* 1565 *titul.* 8 *de vitâ & honeſt. cleric. cap.* 7.

Tollant Epiſcopi ſumptuoſa convivia, ludos, choreas, & omne inanium oblectamentorum genus, cæteroſque omnes abuſus, qui populi temeritate, aut Sacerdotum avaritiâ,

in novæ, ut vocant, Missæ celebrationem irrepserunt. *Conc. Mediol. I. an.* 1565 *titul. Quæ pertinent ad celebr. Missæ. versùs medium.*

Primam Missam Sacerdos celebraturus, à ceremoniarum Magistro.... institutus sacrarum ceremoniarum disciplinâ, Missæ Sacrificium antè ne faciat, quàm illum Episcopus, aut is, cui ipse id curæ dederit, illis ritè obeundis ceremoniis satis instructum noverit ac probarit. *Concil. Mediol. III. Tit.* 11 *de iis, quæ pertinent ad Missæ Sacrificium circà medium.*

A novarum, ut vulgò dicitur, Missarum celebratione choreæ, sumptuosa convivia, & alii, si qui antehac irrepserunt, abusus abigantur. *Convent. Melodun, an* 1579 *titul.* 11. *Quæ pertinent ad celebr. Missæ, in fine.*

Ne Missam novam Episcopi celebrari permittant à quovis Sacerdote, qui non fuerit peritus ceremoniarum .... Qui verò primæ Missæ celebrandæ facultatem impetrat, is sedulò moneatur ut quotidiè primùm celebraverit, eum totum in sanctis pietatis Officiis omni animi religiosi studio ponat, ac ne ludis, comessationibus, minùs autem choreis, aut inanibus aliis spectaculis se immisceat. *Concil. Aquense, an.* 1585 *tit. de celebrat. Missæ, antè medium.*

Missæ primæ convivia, si quæ sint, non sumptuosis dapibus, profusioribusque epulis splendescant, sed parcis tantùm sumptibus modicoque apparatu celebrentur. *Conc. Toloss. an.* 1590 *part.* 2 *titul. de Missarum celebratione, num.* 6.

In Missis autem novis, quod ad avaritiæ labem pertinet, importunas & illiberales eleemosinarum exactiones potiùs quàm postulationes, aliaque hujusmodi, quæ à simoniacâ labe, vel certè turpi quæstu non longè absunt, omninò ex Tridentini Concilii decreto prohibe-

mus. *Concil. Aquilejense, an.* 1596. *Rubricâ* 4. *longè ab initio.*

Dùm celebrantur, ut vulgò dicitur, novæ Missæ, non sint choreæ: & eas ducere tam Sacerdoti primam Missam celebranti, quàm aliis omnibus districtè prohibemus: tunc vitentur sumptuosa convivia; & alia omnia, quæ luxum sapiunt, abigantur: sed in Sacerdotibus sit omnis modestia, quæ audientes Missam ad devotionem commoveat; secus agentes arbitrio Ordinarii puniantur. *Conc. Narbon. an.* 169 *titul.* 19 *de Missæ Sacrificio. Paulò post medium.*

Ac ne deinceps sub specie pietatis in celebratione Missarum subrepat avaritia, quibuslibet Sacerdotibus sive ordinis secularis sive regularis prohibemus, ne pro Missis novis celebrandis patrem & matrem, atque adeò patrinum & matrinam sibi eligant & asciscant; sed potiùs aurem inclinantes, populumque & domum patris sui obliviscentes sacris mysteriis & Deo toti vacent & incumbant. *Concil. Burdigal. ann.* 1624. *titul.* 3 *de Officiis divinis, cap.* 6.

CAPUT VII.

Cantum ecclesiasticum studiosè addiscere; & piè graviterque vocem divinis laudibus accommodare.

ARTICULUS PRIMUS.

De Cantu Ecclesiastico.

TALES ad legendum, cantandum, & psallendum in Ecclesiâ constituantur, qui non superbè, sed humiliter debitas Domino laudes persolvant, & suavitate lectionis ac melodiæ & doctos demulceant, & minùs doctos erudiant, plusque velint in lectione vel cantu populi ædificationem, quàm popularem vanissimam adulationem. Qui verò hæc doctè peragere nequeunt, erudiantur priùs à magistris; & instructi hæc adimplere studeant, ut audientes ædificent. *Conc. Aquisgr. an. 816. l.b. 1. cap. 133. Initio.*

Cùm in Ecclesiis Dei Psalmodia cantanda præcipiatur, ut fidelium devotio excitetur, in hoc nocturnum diurnumque Officium & Missarum celebritates assiduè à Clero ac populo sub maturo tenore distinctâque gradatione cantentur, ut eâdem distinctione collibeant, & maturitate delectent. Propterea præcipimus ut in Ecclesiis sint musici cantus distincti ac discreti, moventes cor ad devotionem compunctionemque. Porrò in Ecclesiis prætextu musici cantûs non sunt audiendæ publicæ cantilenæ & lasci-

væ..... Curent ergo Sacerdotes & Clerici sic suos cantus instituere, ut modestâ honestâque psallendi gravitate, placidâque & gratâ modulatione sic audientium aures deliniant, ut provocent excitentque ad devotionem compunctionemque, non ad lasciviam cordisve aut animi titillationem. *Concil Senonense, an. 1528. Decretorum morum 17. Initio.*

Neque.... Ecclesiasticæ melodiæ sua deest energia. *Conc. Trevir. II. an. 1549. Decreto 5. De cultu divino diligenter & religiosè exequendo, deque disciplinâ Chori observandâ.*

Quicunque Ecclesiasticum aliquem Ordinem susceperturus est, de eo periculum experimentumve fiat.... in cantûs peritiâ ad Ordinis, quem tunc suscipiet, functiones ritè rectèque obeundas necessariâ. *Conc. Mediol. IV an.* 1576 *part.* 2 *titul.* 8. Impedimento irretiti hi sunt. *Post medium.*

Sacerdotem Clericumque cujusvis Ordinis in Canticis, Hymnis, Psalmis cæterisque ecclesiastici cultûs Officiis religiosâ modulatione concelebrandis, diviniscque laudibus sanctè concinendis ità versari convenit, ut voce suâ sacris dicatâ abuti non debeat ad profana, cantiones & modulationes. *Idem, part. 3 titul. de vitâ & honestate clericorum, antè medium.*

Qui... ingenuè & ex animo psallit, animo renovatur, & Templum Spiritûs sancti efficitur. Neque enim leve & parvum quippiam Psalmorum modulationem existimaveris. Videtur illa quidem aures tantùm demulcere, & suaviter afficere: atque re psâ animum quoque excitat. Sic etiam B. Elisæus cùm à Regibus quibusdam, ut futura prædiceret, rogaretur: Mihi verò virum, qui psallendi sciens sit, adducite, inquit. Qui cum veniisset, inter psallendum, tradunt sacræ Litteræ; Spiritus sanctus super Elisæum cecidit. Ergo & Spiritus

4. *Reg.* 3. *v.* 15.

sanctus vocibus modulantium oblectatur, & velut incantationibus devocatur & allicitur, siquidem in Prophetæ animo acquievit..... Quid est ergo, quòd dicit: Date virum, qui psallendi sit sciens? Non sanè ideò, ut Spiritum sanctum modulatione oblectari demonstret; sed ut illo cantante, Prophetæ mente renovatâ, digna, in quam Spiritus sanctus sese insinuaret, efficeretur. *S. Chrysost. serm. de uno Legislatore, longè ante medium.*

Quantum flevi in Hymnis & Canticis tuis, suavè sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas in cor meum, & exæstuebat indè affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & benè mihi erat cum eis. *S. Aug. Confess. lib. 9 cap. 6. in fine.*

Cùm reminiscor lacrymas meas, quas fudi ad cantus Ecclesiæ tuæ in primordiis recuperatæ fidei meæ, & nunc ipso quòd moveor non cantu, sed rebus, quæ cantantur, cùm liquidâ voce & convenientissimâ modulatione cantantur, magnam instituti hujus utilitatem rursûs agnosco.... magisque adducor.... cantandi consuetudinem approbare in Ecclesia; ut per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgat. *Idem, ibidem, lib. 10 cap. 33. circa finem.*

Nonnunquàm etenim Psalmi cujuscunque versiculus occasionem orationis ignitæ decantantibus nobis præbuit, interdùm canora fraternæ vocis modulatio ad intentam supplicationem stupentium animos excitavit. Novimus quoque distinctionem gravitatemque psallentis etiam adstantibus plurimùm contulisse fervoris. *Cassianus, collat 9. de oratione, cap. 26. circa medium, Bibliot. PP. Lugdun. tom. 7.*

Propter carnales autem in Ecclesiâ, non propter spirituales, consuetudo est instituta

canendi; ut, qui à verbis non compunguntur, suavitate modulaminis moveantur..... Omnes enim affectus nostri pro sonorum diversitate vel novitate, nescio quâ occultâ familiaritate excitantur magis, cùm suavi & artificiosâ voce cantatur. *S. Isidorus Hispal. Episc. de Officiis ecclesiasticis, lib. 1 cap. 5. circa medium.*

Multi . . . reperiuntur, qui cantûs suavitate commoti sua crimina plangunt, atque ex eâ parte magis flectuntur ad lacrymas, ex quâ psallentis insonuerit dulcedo suavissima..... Cujus operis (psallendi) ministerium quicunque fideliter intentâque mente exequitur, quodammodò Angelis sociatur. *Idem, Sententiarum l.b. 3 cap. 7. in fine.*

Cantus in Ecclesiâ Cœli lætitiam significat, de quâ exultant Sancti in Domino. *Hugo de S. Victore, in specul. De mysteriis Ecclesiæ, cap. 3. circa finem.*

Duo chori psallentium designant Angelos, & spiritus justorum quasi reciprocâ voce Dominum laudantium. *Honorius Augustodunensis, gemmâ animæ, de antiquo ritu Missarum, lib. 1 cap. 140. circa medium.*

ARTICULUS II.

De obligatione cantandi in Choro.

PSallite Deo nostro . . . . sapienter. *Psal. 46 v. 7 & 8*

Cùm psallendi gratiâ conveniant, juncta ac clausa labia tenere non debent, sed omnes, præsertim qui majori funguntur honore, in Psalmis, Hymnis & Canticis Deo alacriter modulentur. *Conc. Basileense, sess. 21. an. 1435.*

Titul. 3. Quomodò divinum Officium in Ecclesiâ celebrandum sit, circa medium.

Cùm psallendi gratiâ conveniatur ... muta aut clausa labia nemo tenuerit ; sed omnes pariter, senes cum junioribus, laudent nomen Domini in Psalmis, Hymnis & Canticis, Deo alacriter modulantes. *Concil. Colonienſe I. an. 1536. parte 3 capitulo 5. circa initium.*

In Choro cùm psallitur, Canonici omnes, qui in Choro fuerint, & Sacellani psallant : nec sint in sedibus suis otiosi ; nec putent se functos officio, si vicariâ tantùm operâ cultum divinum celebrari curent. *Conc. Camerac. an. 1565. Titul. de cultu, ceremoniis & Officio divino, cap. 7.*

Omnes in Choro divina Officia, ut temporis ratio postularit, alternis vocibus canant, recitent attentèque audiant. *Conc. Mediol. I. an. 1565. part. 2. titul. 53. quomodò verſandum in Choro, initio*

Cùm ... psallendi gratiâ ... consideant, muta aut clausa labia non teneant ; sed omnes, præsertim qui majore funguntur honore, in Psalmis, Hymnis & Canticis Deo alacriter modulentur. *Conc. Turonenſe, an. 1583. Titul. 13. de Capitulis, dignitatibus & Canonicis, longè antè medium.*

Lingua (Sacerdotis) ... divinæ ... melodiæ plectrum. *S. Greg. Nazianz. Apologet. orat. 1 num. 163. circa medium.*

Dicas Psalmum in corde tuo, in quo non dulcedo vocis, sed mentis affectus quæritur, dicente Apostolo : Psallam spiritu, psallam & mente. *S. Hieron. Epist. 95. aliàs 4. ad Rusticum monachum, post medium.*

ARTICULUS III.

De modo cantandi in Choro.

Non curſim & feſtinanter.

PSalmi . . in Eccleſiâ non curſim, & excelſis atque inordinatis ſeu intemperatis vocibus, ſed planè ac dilucidè, & cum compunctione cordis recitentur: ut & recitantium mens illorum dulcedine paſcatur, & audientium aures illorum pronunciatione demulceantur. *Conc. Aquiſgranenſe an. 816. lib. 1 cap. 137 circa medium.*

Non curſim ac feſtinanter, ſed . . . tractim & cum pausâ decenti, præſertim in medio cujuſlibet verſiculi Pſalmorum, debitam faciendo inter ſolemne & feriale Officium differentiam. *Conc. Baſileenſ. ſeſſ. 21 an. 1435. titul. 3. quomodò divinum Officium in Eccleſiâ celebrandum ſit, circa initium.*

Statis ergo ac debitis horis laudes divinæ non curſim ac feſtinanter, ſed tractim; non truncatè, ſed integrè, diſtinctè, devotè reverenterque ab omnibus decantentur perſolvanturque. *Concil. Colonienſe I. an. 1536. part. 3. cap. 5. initio.*

Statuimus . . . ut laudes divinæ per ſingulas horas non curſim ac feſtinanter, ſed tractim ſervatis intervallis decentibus ratione dierum Feſtorum . . . reverenter & alacriter abſolvantur, nequaquàm ſublato in alterum clamore, ne vel inſanire, vel animi laſcivià geſtire videantur potiùs quàm ſervore ſpiritûs exultare, ſemper verſiculum decantatiſſimum animo volventes. *Conc. Trevirenſe II an. 1549. tit. 6. de horis Canonicis, ante medium.*

Non curſim, non perturbatè, non oſcitanter,

ter, sed leniter, distinctè ac studiosè faciant. *Conc. Mediol. I. an. 1565. part. 2 titul. 53. quomodò versandum in Choro, circa initium.*

Non inordinatâ voce.

Eos, qui in Ecclesiis ad psallendum accedunt, volumus nec inordinatis vociferationibus uti, & naturam ad clamorem urgere, nec aliquid eorum, quæ Ecclesiæ non conveniunt, & apta non sunt, ascisсere; sed cum magnâ attentione & compunctione psalmodias Deo, qui est occultorum inspector, offerre. *Conc. Trullanum, sive Quinisextum, an. 692. can. 75.*

Quotidiè tamen se obsequium præstare Deo arbitrantes, verba divinæ laudis ululant, aut certè sibilant, & audientes & intuentes sono vocis & motu corporis scandalisant, non ædificant. *Hugo de S. Victore, lib. 2. allegoriarum in Matth. cap. 2 quartâ petitione, circa medium.*

Dissolutio ... in cantu considerari potest, ut si quis punctos in notâ nunc diminuens, nunc pro suo libitu addens, muliebriter frangat, aut in falsetum extollat. *S. Bonav. specul. disciplinæ ad novitios, part. 1 cap. 15. ante medium.*

Præterquàm enim quòd præceps & inordinatus cantus cultui Dei plus detrahat, quàm adjiciat; populum magis scandalizet, quàm ad pietatem & devotionem excitet: magnam quoque animi impotentiam atque imperfectionem cantorum arguit, eosque potiùs effræni quodam animi impetu rapi, quàm rectæ rationis imperio duci convincit. *Octavius Myrthus Frangipanius, primùm Tricaricensis postea Caiacensis seu calatinensis Episcopus, in director. disciplinæ eccles. titul. de divinis Officiis, vide Italiam sacram, tom. 6.*

Sed ſtrenuè & cum gravitate.

Sic canatur & à Clero, ac Presbytero, & reliquis, ut non tantùm aures voluptatem, ſed mentes utilitatem capiant. *Conc. Camerac. an. 1565. titul. 6. de cultu, ceremoniis, & Officio divino, cap. 3. circa initium.*

Sit ergo cantus religioſus & modeſtus... Cantus funebris & Quadrageſimæ ſit gravis, tempori & rei conveniens. *Conc. Bituric an. 1584. titul. 12. de celebratione divini Officii, horis canonicis, & cantu eccleſiaſtico, can. 1. initio.*

Cantus... plenus ſit gravitate; nec laſciviam reſonet, nec ruſticitatem: ſic ſuavis, ut non ſit levis: ſic mulceat aures, ut moveat corda; triſtitiam levet, iram mitiget; ſenſum litteræ non evacuet, ſed fœcundet. Non eſt levis jactura gratiæ ſpiritualis levitate cantûs abduci à ſenſuum utilitate, & plus ſinuandis intendere vocibus; quàm inſinuandis rebus. *S. Bernard. Epiſt. 398. num. 2. in fine, aliàs 312.*

Undè vos moneo, dilectiſſimi, purè ſemper ac ſtrenuè divinis ſemper intereſſe laudibus. Strenuè quidem, ut ſicut reverenter, ità & alacriter aſſiſtatis, non pigri, non ſomnolenti, non oſcitantes, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra tranſſilientes, non fractis & remiſſis vocibus muliebre quiddam balba de nare ſonantes; ſed virili (ut dignum eſt) & ſonitu & affectu voces ſancti Spiritûs depromentes. *Idem, ſerm. 47 in canticâ, num. 8 ante medium.*

Nec vocem curialiter frangas in cantando; quia, ſi quæris Deo placere, quantò cantabis ſimpliciùs, tantò magis ei placebis; ſi quæris auditoribus placere, inanis eſt gloria tua. Si tibi placcas, vana levitas eſt. Si ædificatio-

nem auditorum in cantando quæris, quantò magis cantando vanitatem fugis, tantò magis ædificas .... Intentio in divino Officio debet magis esse ad hoc, ut ex verbis sacræ Scripturæ elicias spiritualem intellectum & devotionis affectum, quàm ut curialitatis exprimas notas, & cantando vocem exaltes. *S. Bonav. De institutione novitiorum, part. 1 cap. 33 ante medium.*

ARTICULUS IV.

De Cantoribus seu Psalmistis.

NOn oportet ab idiotis Psalmos compositos & vulgares in Ecclesiis dici. *Concil. Laodicenum, an. 364. can. 59. ex interpretatione Isidori Mercatoris.*

Lectores in Ecclesiâ in habitu sæculari ornati non psallant. *Conc. Brachar. II. an. 563. capitul. 11.*

Tales ad legendum, cantandum & psallendum in Ecclesiâ constituantur, qui non superbè sed humiliter debitas Domino laudes persolvant, & suavitate lectionis ac melodiæ & doctos demulceant, & minùs doctos erudiant; plusque velint in lectione vel cantu populi ædificationem, quàm popularem vanissimam adulationem. Qui verò hæc doctè peragere nequeunt, erudiantur priùs à magistris & instructi, hæc adimplere studeant, ut audientes ædificent. *Conc. Aquisgran. an. 816 lib. 1 cap. 133. initio.*

Studendum summoperè Cantoribus est, ne donum sibi divinitùs collatum vitiis fœdent, sed potiùs illud humilitate, castitate; & sobrietate, & cæteris sanctarum virtutum orna-

mentis exornent : quorum melodia animos populi circumstantis ad memoriam amoremque cœlestium non solùm sublimitate verborum, sed etiam suavitate tonorum, quæ dicuntur, erigat .... providendum est illis quandò temperatè, quandòque submissè divinum agatur Officium : scilicet ut secundùm numerum Clericorum, & Officii qualitatem, & temporis prolixitatem cantum protendant, & voces moderentur cæterorum. Sonum etiam vocalium litterarum benè atque ornatè perstrepant. His verò, qui hujus artis minùs capaces sunt, donec erudiantur, meliùs convenit ut fileant, quàm cantare volendo, quod nesciunt, aliorum voces dissonare compellant. Psalmi namque in Ecclesiâ non cursim, & excelsis atque inordinatis seu intemperatis vocibus, sed planè ac dilucidè & cum compunctione cordis recitentur : ut & recitantium mens illorum dulcedine pascatur, & audientium aures illorum pronuntiatione demulceantur, quoniam quamvis cantilenæ sonus in aliis Officiis excelsâ soleat edi voce, in recitandis tamen Psalmis hujusmodi vitanda est vox. *Idem, ibidem, cap. 137. initio.*

Psalmistarum .... cantibus ad affectum Dei mentes audientium excitantur. Psalmistam autem & voce & arte præclarum illustremque esse oportet, ità ut ad oblectamenta dulcedinis incitet mentes auditorum. Vox autem ejus non aspera, non rauca, vel dissonans, sed canora erit, suavis, liquida, atque acuta, habens sonum, & melodiam sanctæ religioni congruentem, non quæ traducem exclamat artem, sed quæ christianam simplicitatem in ipsâ modulatione demonstret; nec quæ musicâ vel theatrali arte redoleat, sed quæ compunctionem magis audientibus faciat. Antiqui enim pridiè quàm cantandum erat, cibis abstine-

bant: psallentes tamen legumine in causâ vocis assiduè utebantur. *S. Isidorus Hispalensis Episcopus, de ecclesiasticis Officiis, lib. 2 cap. 12 circa medium.*

Sunt quidam voce dissoluti; qui vocis suæ modulatione gloriantur ... tumentes elatione aliud cantant, quàm libri habeant: tanta est levitas vocis forsitan & mentis. Cantant ut placeant populo, magis quàm Deo. Si sic cantas, ut ab aliis laudem quæras, vocem tuam vendis, & facis eam non tuam sed suam. Habes in potestate vocem tuam; habeto & animum. Frangis vocem, frange & voluntatem. Servas consonantiam vocum, serva & concordiam morum; ut per exemplum concordes proximo, per voluntatem Deo, per obedientiam magistro. Cave ne sicut delectaris altitudine vocis, delecteris elatione mentis. *Tractat. de interiori domo, seu de conscientiâ ædificandâ, cap. 28 num. 59. initio, tom. 5 operum S. Bernardi.*

CAPUT VIII.

Ritus & ceremonias in ſecreto per exercitationem addiſcere, in publico ſummâ cum religione & reverentiâ exercere.

ARTICULUS PRIMUS.

Religiosè tractandæ ſunt.

Quia ſignacula religionis.

(MYſticos ritus) Eccleſia in Baptiſmo adhibet.... non temerè, ſed ut viva quædam incitamenta fidei & pietatis ad formandam religionem neceſſaria; nimirùm quibus manuducitur vulgus ad intelligendum & retinendum myſteria Chriſti. *Conc. Colon. an. 1536. Enchirid. chriſtianæ inſtitutionis, de Sacramento Baptiſmi, parag 8. initio.*

Non decet ad ſacras ullas functiones quemlibet accedere niſi ſanctè. *Conc. Trid ſeſſ. 13 an. 1551 cap. 7. de præparatione, quæ adhibenda eſt, ut dignè quis ſacram Euchariſtiam percipiat, initio.*

Ceremoniæ omnes, quæ ſignacula ſunt pietatis & religionis chriſtianæ, quaſque vel ab Apoſtolis, vel ab Eccleſiæ catholicæ traditione quaſi per manum accepimus; ut ſanctè & piè ſunt invectæ, ſic religioſè conſerventur in Eccleſiis. In his autem, ubi fides & devotio

accesserit, Spiritus sanctus operatur, ac præsentium mentes movet efficaciter. *Conc. Camerac. an. 1565 tit. 6. de cultu, ceremoniis & Officio divino, cap. 4. initio.*

Omnis divini cultûs & religionis ratio, quâ solum præpotentem Deum piè sanctèque colimus, in duas potissimùm partes distribuitur; in precationes nimirùm & Sacrificium, quibus & interior & exterior cultus (adhibitis utrinque solemnibus ceremoniis) integrè perficitur. *Conc. Burdigal. an. 1583 tit. 2 de iis, quæ ad divinum cultum ac religionem spectant, initio.*

Clericus .... Missæ Sacrificio ministrandi ceremonias usumque accuratè edisca. *Synod. Ferrariensis an. 1599 tit. de functionibus obeundis, & Clericorum vitâ & officiis, Decreto 105 Clericus primâ tonsurâ, ante medium.*

Clerici aut alii Sacerdotes, qui in Missæ Sacrificio ministrant, dùm eam functionem obeunt, horas canonicas è libro ne recitent, nec alias preces modo aliquo peragant, quæ externam attentionem requirant, sed toto intimæ pietatis studio ad ministerium attenti sint: quod tunc piè religiosèque exequi debent. *Idem, ibidem, decreto 115.*

Neque enim fas est sacris professoribus vel initiatis quidquam prorsùs operari, quod sacri sui Ordinis sacrosanctis constitutionibus repugnet; imò nec iisdem dissentire, si divinam .. appetant claritatem; & ad illam sanctè, uti decet, adspiciant ac pro cujusque sacrarum mentium capacitate transformentur. *S. Dionys. Areopag. aut alius, de cœlesti Hierarchiâ, cap. 3 parag. 2 longè ante medium, Bibliot. PP. Lugdun. tom. 2.*

Per experientiam ... eorum, quæ faciunt, ad ea, quæ posteà agenda fuerint, cautiores fiunt. *S. Bonav. speculi. disciplin. ad novitios, part. 1 cap. 7 post medium.*

Quia devotionis fidelium adminicula.

Cùm . . natura hominum ea sit, ut non facilè queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam summissâ voce, alia verò elatiore in Missa pronuntiarentur, instituit. Ceremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa; ex Apostolicâ disciplinâ & traditione; quo & majestas tanti Sacrificii commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia religionis & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur. *Conc. Trid. sess. 22 an. 1562 cap. 5 de solemnibus Missæ Sacrificiis ceremoniis.*

Primi sacri Ordinis nostri moderatores, supersubstantialis Dei principatûs sacro ipsi munere pleni, & in posteros illud ipsum derivatum à divinâ bonitate missi, cùm & ipsi, utpotè divini, promotionem deificationemque posterorum affatim desiderarent, sensibilibus figuris super cœlestia, & quod unitate collectum est variâ cum distinctione tum multitudine, necnon in humanis divina, & in materiis immateriata, atque in nostratibus rebus supersubstantialia, quà scriptis, quà non scriptis institutionibus, in sacratissimis oraculis nobis tradiderunt, nec id propter profanos tantùm, quibus vel ipsa signa tangere nefas sit, sed quòd noster, ut dixi, Sacra ordinandi ritus cum illorum comparatus symbolicus existat, sensibilibus signis opus habens ad diviniorem nostri ex illis ad intelligibilia sublimationem. *S. Dionys. Areopag. aut alius, de ecclesiasticâ Hierarchiâ, cap. 1 parag. 5 initio, Bibliot. PP. Lugdun. tom. 2.*

Si tu incorporeus esses, nudè ipsa dona incorporea tradidisset tibi: quoniam verò corpori conjuncta est anima tua, in sensibilibus intelligenda tibi traduntur. *S. Chrys. Hom. 83 in cap. 26 Matthæi, longè post medium.*

Carnalis populi devotionem, quia spiritualibus non possunt, corporalibus excitant (Clerici) ornamentis. *S. Bernardus, Apolog. ad Guillelmum Abbatem, cap. 12 num. 38 circa medium.*

Quod Apostolus de linguarum dono admonuit, cùm inquit sine fructu esse, si quæ aliquis loquitur, à fidelibus non intelligantur; idem ferè ad ritus & ceremonias transferri potest: imaginem enim & significationem earum rerum præ se ferunt, quæ in Sacramento geruntur: quòd si illorum signorum vim & potestatem fidelis populus ignoret, non magna admodùm ceremoniarum utilitas futura esse videbitur. Danda est igitur Pastoribus opera, ut eas fideles intelligant, certòque sibi persuadeant, si minùs necessariæ sint, plurimi tamen faciendas, magnoque in honore esse oportere. Id verò tum instituentium authoritas, qui sine controversiâ sancti Apostoli fuerunt, tum finis, cujus causâ ceremonias adhiberi voluerunt, satis docet; ità enim Sacramentum majori cum religione, ac sanctitate administrari, ac veluti ante oculos poni præclara illa, & eximia dona, quæ in eo continentur, & in animos fidelium immensa Dei beneficia magis imprimi perspicuum est. *Cathec. Conc. Trid. part. 2. de Sacram. Baptismi, num. 59 circa initium.* 1 Cor. 14. v. 14.

Quia negligentia in iis observandis severè punienda.

Quòd si audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut custodias & facias omnia mandata ejus

& ceremonias, quas ego præcipio tibi hodiè; venient super te maledictiones istæ, & apprehendent te *Deut. 28 v. 15.*

Si quis dixerit receptos & approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni, aut sine peccato à Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit. *Conc. Trid. sess. 7 an. 1547 Can. 13.*

ARTICULUS II.

Quomodò religiosè tractandæ.

Studiosè discendæ.

AUdi Israël, ceremonias atque judicia, quæ ego loquor in auribus vestris hodiè; discite ea, & opere complete. *Deut. 5 v. 1.*

Districtè præcipimus ut Episcopi promovendos in Sacerdotes diligenter instruant & informent vel per seipsos vel per alios viros idoneos super divinis Officiis & ecclesiasticis Sacramentis, qualiter ea valeant ritè celebrare. *Conc. Lateran. IV. an. 1215 cap. 27 de instructione ordinandorum, initio.*

Ad discendum, quod opus est, nulla mihi ætas sera videri potest; quia, & si senes magis decet docere, quàm discere, magis tamen discere quàm quid doceant ignorare. *S. Aug. Epist 166 num 1 circa medium, alias 28.*

Sæpè .... illa, quæ in publico necessaria sunt, priùs in secreto exercitationis usum exposcunt: quia, si prorsùs ea in occulto negligimus, uti postmodùm eis, dùm opus est, in

publico non valemus. & tunc aut prorsùs à disciplinâ deficientes intuentibus scandalum facimus, aut ineptè id, quod in nobis non est, simulare canantes irrisionem excitamus. *S. Bon. Specul. disciplinæ ad novotios, part. 1 cap. 7 in fine.*

Exactè faciendæ.

Custodi .... ceremonias atque judicia, quæ ego mando tibi hodiè ut facias. *Deut. 7 v. 11.*

Observa, & cave ne quandò obliviscaris Domini Dei tui, & negligas ... ceremonias, quas ego præcipio tibi hodiè. *Ibidem, cap. 8 v. 11.*

Quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi ut ... custodias ... ceremonias ejus, quas ego hodiè præcipio tibi, ut benè sit tibi? *Ibidem, cap. 10 v. 12 & 13.*

Quamvis in nullo loco disciplinam suam homo deserere debeat, diligentiùs tamen & magis sollicitè ibi est servanda, ubi neglecta generat scandalum, vel custodita bonæ imitationis exemplum. *S. Bonav. Specul. disciplinæ ad novotios, part. 1 cap. 7 circa finem.*

Earum spiritalis significatio indaganda.

Quia quorumdam in Evangelio reproborum ligari manus & pedes præcipiuntur, quid aliud isti agunt, qui manus suas coram Domino ligant, nisi Deo quodammodò dicunt: Domine, ne manus meas ligari præcipias, ut mittar in tenebras exteriores, quoniam jam ego eas ligavi, & ecce ad flagella paratus sum? Hinc etiam pectus percutimus, signantes videlicet, quod nequiter egimus, displicere nobis: ac ideò, antequàm Deus feriat, id nos in nobis ipsis ferire; & antequàm extrema ultio veniat, commissum pœnitentiâ dignâ punire. *Nicolaus Papa I. ad consulta Bulgarorum, resp 54 post medium, Conc. Labb. tom. 8.* *Matth. 22. v. 13.*

Quod autem in fine (Officiis) voce puerili dicitur. Benedicamus Domino, significat quòd omnis laus nostra puerilis est ad comparationem Dei, quem laudamus, & quòd quidquid hic dici potest, minus est à laude Dei. Ac si dicat Ecclesia: Laudamus, sed laudando non sufficimus, quia supereminentia Dei eloquium nostrum superat & intellectum, quia accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. Undè ab omnibus consequenter, Deo gratias, dicitur, quia placet, ut pium est, in laude Dei superari. *Hugo de S. Victore, in specul. de mysteriis Ecclesiæ, cap. 3 circa medium.*

Psal 64. v. 7. & 8.

Absque spirituali intelligentiâ & interiori gustu exteriores ceremonias exercendo ad perfectionis non ascenditur culmen. *S. Laurent. Justinian. de compunctione & complanctu christianæ perfectionis, num. 25.*

CAPUT IX.

Sacerdoti Sacrum facienti modestè ac religiosè servire.

QUilibet Ecclesiæ deputatus Clericus, si ad Ecclesiam ad Sacrificium quotidianum non accesserit, Clericus non habeatur. *Conc. Toletanum, an. 400 capitul. 5*

Celebranti Sacerdoti unus saltem minister adsistat, isque Clericus, ubi possit, & talari veste & superpelliceo indutus... Sacerdote rem divinam faciente Ministri... composito corpore, nullo gestu, modestè, ut debent, Sacerdoti adsistentes inserviant. *Conc. Mediol. I. an. 1565 part 2 tit. 5 quæ pertinent ad celebrationem Missæ, sub finem.*

Clericus ne Sacerdoti in Altari antè ministret, quàm in illius ministerii functione ritè instructus sit & ab eo probatus, qui in urbe aut etiam in singulis urbis regionibus & in unâquâque plebe ceremoniarum muneri . . . præfectus est. *Conc. Mediol. IV. an. 1576 part. 1 tit. 8 impedimento irretiti hi sunt, longè ante finem.*

Clericus Sacerdoti Missam celebranti ministrans semper indutus sit superpelliceo puro & mundo eoque non lacero neque ullâ ratione indecenti : si contrà fecerit, tum ipse, tum Ecclesiæ præfectus, tum Sacerdos etiam, qui sibi ministrare permiserit, plectatur arbitratu Episcopi. *Idem, titul. 10. Quæ pertinent ad sanctissimum Missæ Sacrificium, & divina officia, paulò antè medium.*

Clericus, qui in Missæ Sacrificio ministrat, dùm eam functionem obit, ne preces horarias, neve aliud quidpiam de libro aliove officio recitet ; sed toto intimæ pietatis studio ad ministerium attentus sit, quod tunc piè religiosèque exequi debet. *Concil. Mediol. VI. an. 1582 titul. 15. Quæ ad Missam pertinent, in fine.*

In celebratione Missæ Sacerdos ne se conferat ad Altare, nisi Clericum in decenti habitu & cum superpelliceo mundo cum manicis sibi inservientem habuerit. *Conc. Aquens. an. 1585 Titul. de celebrat. Missæ, post medium.*

Qui celebranti Presbytero inserviet, Clericus, quoad fieri poterit, feligetur : is superpelliceo vesteque talari instructus, antequàm sacrificiâ celebraturus egrediatur Presbyter, rebus ad Missam necessariis, quâ poterit venustate & munditie, Altare instruat & exornet. *Concil. Tolos. an. 1590 part. 2. de Missarum celebratione, num. 4*

Clericus primâ Tonsurâ initiatus. . . . clericalis vitæ instituta obeat. . . Missæ Sacrificio mi-

niſtrandi ceremonias uſumque accuratè ediſcat. In Eccleſiâ ſibi adſcriptâ Sacerdoti celebranti ritè miniſtret. *Synod. Ferrar. an.* 1590. *Titul. de functionibus obeundis & Clericorum vitâ & officiis, decreto.* 103. *Clericus primâ Tonſurâ. Initio.*

Miniſtrantes celebrantibus induantur togâ talari, nec ad id admittantur feminæ, quibus nec eſt licitum parare Altare. *Concil. Narbon. ann.* 1609 *cap.* 19 *de Miſſæ Sacrificio, circà medium.*

Altaris miniſterium ob reverentiam corporalis præſentiæ Salvatoris, munditiæ, reverentiæ, diligentiæ, honeſtatis & circumſpectionis ſtudium ſpeciale requirit..... Corporalem quoque munditiam requirit corporalis præſentia Salvatoris.... Reverentiam debent miniſtri Altaris tàm ad Sacerdotem, quàm ad miniſterium, & res etiam de propinquo ad ipſum miniſterium pertinentes habere. Circà Sacerdotem ut, quandò ſecum Altari aſſiſtunt, per aliquantulam capitis inclinationem, & ſui elongationem ab eo, ac per humilem debiti exhibitionem officii reverentiæ ſignum oſtendant. Si verò ſederit, & ipſi tantùm in ſuperpelliceis fuerint, nequaquàm juxtà ipſum in ſedilibus, videlicet coæqualibus ſedi ejus, ſed ad ſcabellum ejus potiùs, ſi aptus fuerit locus, vel alibi ſedeant. Venerentur eum decoro, ut convenit, comitatu, & maximè quandò ſe vertit ad populum, ei adſint; quem ubiquè ut in Officio, ſic & eò expletò in veſtiarium revertentem deducant, ut acies ordinata; ad Altare deindè, ſi opus fuerit, reverſuri. Miniſterio reverentiam exhibent, ſi motu debitò & habitu ipſi miniſterio convenienti aſſiſtant & miniſtrent..... Miniſtris verò diligentia debet eſſe circà ea, quæ neceſſaria ſunt celebranti, & circà munditiæ cuſtodiam, ac conſervationis vaſorum & pannorum pertinentium ad Altare. Miniſtrorum eſt ut præinduti celebraturum

cum diligentiâ præparent, ejusque indumenta post Officium plicent; & quæ ipsi sacrum ministerium exequenti opportuna fuerint, horâ, tempore, & loco congruis offerant. Nunquàm ad Missam privatam legendi vel orandi gratiâ solo vel sedibus se totaliter prosternant, nec latitent post cortinas; sed palàm coràm Altari, non tamen à latere celebrantis assistant, versùs eum, circà quem tunc oculus debet esse, aspectum quasi continuè directuri; non tamen in faciem ejus, maximè post Canonis incœptionem intendant ... Vasa & pannos mundè tractent apud eos & teneant.... debet, qui ministrat ad Missam, fiat superpelliceum... conservare, ne cum eo aliquatenùs nares emungat, vel sudores à facie, vel aliàs undecunque detergat; nec ipsius manicas maximè ad pulverem, super ligna, lapides, vel super terram exponat... De aliis indumentis, quoties ea plicant, sollicitè caveant ne unquàm manicæ terram tangant... vasa quoque Altaris & utensilia in locis suis diligenter, ut convenit, præparata reponant. Vestimenta etiam plicare non negligant & aptare... In omnibus .. quæ ministerium Dei contingunt; speciali... diligentiâ opus est. Si agendis ministeriis terreni Regis studiosissimam homines curam impendunt, quantam putas æterni Regis ministeriis impendendam? *S. Bonav. Jpecul. disciplinæ ad novitios, part 1. cap. 17. Initio.* (*Vide plura ibidem*)

Ad Missas, postpositis omnibus, tantò majori promptitudine ac devotione ministrent, quantò Deò ibi familiariùs servitur. Calicem & corporalia si tetigerint, reverenter & mundissimè tractent; manusque post tactum hujusmodi, antequàm apponant communibus, lavent. *Idem, ibid. part. 2. cap. 1. sub finem.*

Ad Missas libenter ministra, quia hoc est officium Angelorum; ipsi enim Deo suo ubique mi-

niſtrant devotiſſimè. In hoc enim miniſterio multiplex fructus eſt. 1. Boni operis exercitium eſt. 2. Opus charitatis eſt & promovens proximum in bono. 3. Opus devotionis eſt, quia Deo appropinquat in oratione. 4. Opus angelicum eſt, cum quibus Deo ibi præſenti miniſtras, ſicut & illi. Ex hoc non ſolùm Sacerdos, cui miniſtras, tunc orare pro te ſpecialiter, ſed & omnes circumſtantes, quorum vices geris, debent, imò tota Eccleſia ubiquè terrarum, quia tu geris vicem omnium fidelium, qui Deo ſuo de Cœlo venienti cum gratiſſimâ gratiarum actione deberent miniſtrare, ſi poſſent adeſſe. Et vix poteſt eſſe quin Dominus ſpeciali gratiâ remuneret etiam in præſenti, qui libenter & devotè miniſtrat ad illud Sacramentum, quò nihil ſanctius & devotius poteſt eſſe in Cœlo & in terrâ, & quod eſt admodùm præcipuum indicium divinæ dignationis & dilectionis ad hominem. *Idem, de inſtitut. novit. cap.* 11. *initio.*

Celebrantibus autem Miſſas libentiſſimè ſervias cum profundâ cordis & corporis humilitate, reverentiâ & devotione... Nec expectes quòd alius te invitet, ſed tu potiùs ſollicita Sacerdotes, & ſis ſemper ſollicitus circà omnia ſervitia facienda. *Idem, Regul. novit. cap.* 11.

Nequaquàm congruit, ut quis ſordeſcentibus indumentis... Regis debeat miniſtrare convivio. Cæterùm ſi mortalibus quiſpiam honoris dignitate ſublimatus famulantium ſibi infirmorum & pauperum abhorret obſcenia: quid, quaſo, Regum omnium ſpiritualiter acturus eſt Rex? Obſervat equidem uniuſcujuſque ſibi miniſtrantis vitam, mentem diſcutit, intentionem penſat, dijudicat effectus, devotionem videt, ſimatur cogitatus, atque juxtà interioris hominis diſpoſitionem exhibitæ miniſtrationis gratificat munus. *S. Laurent. Juſtinian. ſerm. de Euchariſtiâ, num.* 28. *circà initium.*

CAPUT X.

De Prædicatione verbi Dei.

ARTICULUS PRIMUS.

De naturâ illius muneris.

SECTIO PRIMA.

De excellentiâ illius muneris.

Ex encomiis Prædicatorum.

Prædicatores sunt tentorium Domini. Extendit nubes Dominus, dùm Ministris suis viam prædicationis aperiens eos in mundi latitudinem circumquaque diffundit. 4. Cùm Prædicatores sancti in mundum mittuntur, iter Deo faciunt..... Deus enim, qui per semetipsum non localiter ubiquè est, per Prædicatores suos in mundi partes localiter ambulat... Iter quippè per eos agit, dùm humanis cordibus eorum se eloquio infundit. Atque in hoc itinere tentoria Dei sunt hæc eadem corda Sanctorum, quibus quasi in viâ tegitur, dùm per hæc ad mentes hominum veniens agit, quæ dispositi, & non videtur.... undè & rectè nunc nubes istæ ejus tentorium dicuntur, quia ad nos Deus per gratiam veniens intrà Prædicatorum suorum mentes operitur. An Paulus ejus tentorium non erat, cùm ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum ad corda mortalium veniens in ejus mente Dominus quiescebat? Nubes quippè erat hominibus, tentorium Deo: quia, quem prædi- *Rom. 15. v. 19.*

cando infundebat audientibus, hunc invisibiliter
Act. 28. v. 15. in mente retinebat. Idem rursùs dùm catenis vinctus Romam peteret Paulus occupaturus mundum, latens in ejus pectore quasi sub tentorio ibat Deus: quia & occultus videri non poterat, & per verba prædicationis proditus, iter inchoatæ gratiæ sine cessatione peragebat. S. *Greg. Papa I. Moralium, lib. 27 in cap. 36. Beati Job. cap. 11 num. 19 initio.*

In carne... Dominus ad Ecclesiam veniens mensuras terræ lineis mensus est..... Hujus terræ occultæ mensuræ vel lineæ tendebantur, quandò Prædicatores sancti agente Spiritu in alias partes mundi vocabantur, ut irent; ab aliis verò partibus arcebantur, ne accederent. Paulus namque Apostolus, cùm Macedoniæ prædicare negligeret, per visum illi apparuit
Act. 16. v. 9. vir Macedo, qui diceret: Transiens in Macedoniam adjuva nos. At contrà, sicut scriptum:
Ibid. v. 7. Tentabant Apostoli ire in Bithyniam, & non permisit eos Spiritus Jesu. Dùm ergo Prædicatores sancti & vocantur ad Macedoniam, & ab Asiâ prohibentur, ista occultarum mensurarum linea illic ducta est, hinc reducta. *Idem, ibid. lib. 28 in cap. 38. Beati Job, cap. 6 num. 15. circà initium.*

Benè cùm in typo Ecclesiæ Tabernaculum fi-
Exod. 26. v. 32. geretur, ad Moysen dicitur: Facies columnas quatuor, & bases earum vesties argento..... Bases ergo argento vestitæ quatuor columnas Tabernaculi sustinent: quia Prædicatores Ecclesiæ divino eloquio decorati, ut cunctis se exemplum præbeant, quatuor Evangelistarum dicta & ore & operibus portant. *Idem, ibidem, num. 17 circà medium.*

Luc. 10. v. 1. Prædicatores sunt venturi Domini præcones. Benè autem dicitur, quia misit eos antè faciem suam in omnem civitatem & locum, quo erat ipse venturus. Prædicatores enim suos Do-

minus sequitur.... Hinc namque eisdem Prædicatoribus Isaias dicit : Parate viam Domini, rectas facite semitas Deo nostri. Hinc illis Psalmista ait : Iter facite ei, qui ascendit super occasum. Super occasum namque Dominus ascendit; quia, undè in passione occubuit, indè majorem suam gloriam resurgendo manifestavit..... Ei ergo, qui ascendit super occasum, iter facimus, cùm nos ejus gloriam vestris mentibus prædicamus, ut eas & ipse post veniens per amoris sui præsentiam illustret. *Idem, in Evangelia, lib. 1 homil. 17 num. 2. Initio.* *Isaiæ 40 v. 3.* *Psal. 67. v. 5.*

(Sacerdotes) per Dei gratiam fiunt divinæ voluntatis indices *De vitâ contemplativâ, lib. 2 cap. 2 circa medium. Inter opera S. Prosperi.*

Quid est autem quòd Maria portat Jesum in utero.... Simeon portat in brachiis? Significant... Maria Prædicatores..... Simeon bonos operatores Qui enim aliis evangelisat, quasi Jesum in tero portuet, ut cum aliis, vel potiùs alios ei pariat. De talibus erat beatus Paulus, qui dicebat : Filioli mei, quos iterùm parturio, donec Christus formetur in vobis. *S. Bern. de diversis, serm. 51 antè medium, aliàs 7 & 8 ex parvis.* *Gal. 4. v. 19.*

(Prædicatores) coadjutores..... Dei sunt. *Idem, in cantica, serm. 77 num. 7 post med.*

Opus fac Evangelistæ, id est, evangelisa; hoc enim est nobile opus; quia ad hoc Christus est missus. *S. Thomas, in 2 ad Timoth. cap. 4 lect. 1.*

Ex ipso verbi ministerio.

Apostoli, in quorum locum Episcopi successerunt, satis nobis aperuerunt verbi Dei prædicationem esse præcipuum illorum munus, qui in episcopali sede collocantur. *Concil. Mediol.*

I. an. 1565. Tit. 6 de prædicatione verbi Dei. Initio.

Ipsam verbi distributionem. . . nostrorum omnium primum dicam. *S. Greg. Nazianz. orat. 1 num. 64 circà initium.*

Est & aliud novum Sacrificium, quod peragitur per Evangelii prædicationem. Id est, sermo doctrinæ, de quâ Paulus Apostolus ait : *Rom. 15. v. 16.* Administrantes Evangelium Dei, ut fiat oblatio gentium accepta & sanctificata in Spiritu sancto. Vides, quam declaravit, etiam Evangelii prædicationem offerri Deo ? S. *Chrysost. Homil. in psal. 95 antè medium.*

Una quædam post operum præstationem ars accurationis via tenenda sequendaque est ; nempè per sermonem evangelicum doctrina..... medicamenti instar.... Hoc & jacentem animam suscitamus, & tumescentem compescimus : hoc & supervacanea amputamus ; & quæ desunt, supplemus ; cœteraque omnia conficimus, quæ ad animi conferunt incolumitatem. *Idem, de Sacerdotio, lib. 4 cap. 3 longè antè medium.*

(Prædicatio) salutis & plurimorum bonorum conciliatrix est. *Idem, ibidem, lib. 5 cap. 1 circà initium.*

Pietate & rectâ prædicatione verbi veritatis nihil honorabilius Sacerdotibus. *Epist. 2. Flaviani Archiepiscopi Constantinopol. ad S. Leonem Papam I. initio. Inter opera S. Leonis, post. ejus octavam.*

Quid ergo mentes auditorum, nisi scyphi sunt, quæ à sanctis Prædicatoribus vino scientiæ replentur ? *S. Gregor. Papa I. In Ezechielem, lib. 1. Homil. 6 num. 8 circà finem.*

Quid mirum, si & sancti Doctores asserantur vites ; ut, quod Salvator mundi per naturam, hoc illi glorientur habere per gratiam ? Qui nimirùm, dùm triumphum Dominicæ pas-

sionis prædicare non ceſſant, quaſi per doctrinæ ſuæ botros arentia corda noſtra vino beati cruoris inebriant. *B. Petrus Damian. Opuſcul. 22 contrà Clericos aulicos, cap. 4 poſt medium.*

Noli... nimis inſiſtere oſculis contemplationis, quia meliora ſunt ubera prædicationis. *S. Bern. in canticâ, ſerm. 9 num. 8 in fine.*

Inter cœtera... quæ ad paſtorale ſpectant officium, ſanctæ prædicationis virtus excellit..... Tantæ... virtutis eſt prædicatio, quòd animam revocet ab errore ad veritatem, & à vitiis ad virtutes: prava mutat in recta, aſpera convertit in plana: inſtruit fidem, erigit ſpem & roborat charitatem: evellit nociva, plantat utilia, & fovet honeſta: via vitæ, ſcala ſalutis, & janua Paradiſi. *Innoc. III. Præfat. operum ſuorum, paulò poſt initium.*

Sermo ſapientiæ & ſcientiæ, quò ad populum fit exhortatio, donum eſt Spiritûs ſancti, ornamentum prælationis, munuſque ſpecialiter impenſum tàm ad profectum accipientium, quàm etiam audientium. *S. Laurent. Juſtinian, de inſtitutione & regimine Prælatorum, cap. 7 num. 2 poſt medium.*

Licèt prædicatio Corpore Chriſti minor ſit dignitate; eam tamen recipientibus major eſt efficiendi poteſtate. S. *Bernardinus Senenſis, Dominicâ 1 in Quadrageſimâ, ſerm 10 de obſervantiâ Sabbati, cap. 11 titul. Quandò & quarè ex debito neceſſarium ſit audire divinum verbum, poſt medium.*

SECTIO SECUNDA.

De necessitate illius muneris.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Prædicationis necessitas ex officio Sacerdotum desumpta.

Ob officium Sacerdotum.

Clama, ne cesses; quasi tuba exalta vocem tuam. *Isa. 58 v. 1.*

Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes, totâ die & totâ nocte in perpetuum non tacebunt. *Idem 62. v. 6.*

Convocantes autem duodecim multitudinem Discipulorum, dixerunt: Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. *Act. 6 v. 2.*

Pro Christo... legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos 2. *Cor. 5 v. 20.*

Prædica verbum, insta opportunè, importunè: argue, obsecra, increpa in omni patientiâ & doctrinâ. 2. *Timoth. 4. v. 2.*

Profectò penitùs abhorret à Sacerdotum Ordine ac facultate, quisquis illustrandi vi caret. *S. Dionys. Areopag aut alius Epist. 8. Demophilo monacho, paragraph. 2. Circà medium. Bibliot. PP. Lugdun. tom. 2.*

Doctoribus parturientibus filios fidei pietate suâ Dominus adjuvat, ut hujusmodi fœtus edant. *S. Hieronymus aut alius, Super caput 26 libri Job. Sub finem.*

Paulus .. cùm de Sacerdotibus verba facit; Qui benè præsunt, inquit, Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè ii, qui laborant in sermone ac doctrinâ. Hic enim demùm doctrinæ terminus consummatissimus, cùm Sa-

1. ad Timot. 5. v. 17.

terdotes tum factis tum verbis eos, quos erudiunt, ad beatam vitam à Christo institutam conducunt. Neque enim nuda facta satis sunt ad hoc ut alios edoceas, nisi & cum his verba accedant .... An non audis quid Ephesiorum Presbyteris scribat Christi organum illud electum? *Act. 20. v. 31.* Propter quod vigilate, inquit, memores quod per triennium nocte ac die non cessaverim cum lacrymis monere unumquemque vestrûm. *S. Chrysost. de Sacerdotio, lib. 4 cap. 8. Circà medium.*

Bona conversatio Sacerdotis sine verbo tenet quidem Sanctos in sanctitate per suum exemplum; adducere autem ignorantem ad scientiam veritas non potest. *Author operis imperfecti, in cap. Matt. 5 homil. 10 paulò post initium, inter opera S. Chrysost.*

Cùm non solùm, secundùm Apostolum, nos oporteat formam præbere fidelibus, sed etiam eos ipsos fideles, qui nobis divinitùs instituendi commissi sunt, instruere debemus. *De vitâ contemplativâ, lib. 1 cap. 18. Antè medium, inter opera S. Prosperi, Bibliot. PP. Lugdun. tom. 8.*

(Sacerdos) ad hoc est Ecclesiæ Dei præpositus, ut non solùm benè vivendo alios exemplo suæ conversationis instituat, sed etiam fiducialiter prædicando..... sanctè vivere debet propter exemplum, & docere propter suæ administrationis officium. *Ibidem, cap. 20. post initium.*

De Pontifice officium suum curante Propheta sic loquitur: Si autem annuntiante te ad impium, ut à viis suis convertatur, non fuerit conversus à viâ suâ, ipse impius in iniquitate suâ morietur, & tu animam tuam liberasti. *Ezechiel. 33. v. 9.* Hic certè satis evidenter ostenditur quòd, sive proficiant, sive non proficiant auditores, tacere eis non debeant Sacerdotes: nec ideò rei sint, si fortè eorum verba populi non audiunt, vel au-

dita contemnunt : sed si ab eis corrigendis absistunt. ... nec verbo doctrinæ populi contumaces emendati proficiunt, ipsi sibi causa suæ perditionis existunt ; & Doctores suos, quorum... verba despiciunt, involvere criminibus suis omninò non poterunt. *Ibidem, cap. 22. Circà initium.*

Ipsis enim propriè animarum curandarum sollicitudo commissa est, qui. ... Prædicatores cœlestium. *Ibidem, lib. 2. cap. 2. Circà initium.*

Matt. 9. v. 37. Messis quidem multa, operarii autem pauci .. Ad messem multam operarii pauci sunt, quod sine gravi mœrore loqui non possimus : quia, etsi sunt qui bona audiant, desunt qui dicant. Ecce mundus Sacerdotibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus valdè reperitur operator : quia officium quidem sacerdotale susceptimus, sed opus officii non implemus. *S. Greg. Papa I. in Evangelia lib. 1 homil. 17 num. 3. Circà initium.*

Quasi... inter bruta animalia petra salis debet esse Sacerdos in populis. Curare namque Sacerdotem necesse est, quæ singulis dicat, unumquemque qualiter admoneat ; ut, quisquis Sacerdoti jungitur, quasi ex salis tactu æternæ vitæ sapore condiatur. Sal etenim terræ non sumus, si corda audientium non condimus. Quod profectò condimentum ille veraciter proximo impendit, qui prædicationis verbum non subtrahit. *Idem, ibid. num. 9 post medium.*

Est &... quod me de vitâ Pastorum vehementer affligit.... Ministerium prædicationis delinquimus, & ad pœnam nostram, ut video, Episcopi vocamur, qui honoris nomen, non virtutem tenemus. Relinquunt namque Deum hi, qui nobis commissi sunt ; & tacemus. In pravis actibus jacent, & correptionis manum non tendimus. Quotidiè per multas nequitias pereunt, & eos ad infernum tendere negligen-

ter

ter videmus. *Idem, ibidem, num. 14. Initio.*

Penſemus ergo qui unquàm per linguam noſtram converſi; qui de perverſo ſuo opere noſtrâ increpatione correpti pœnitentiam egerunt; quis luxuriam ex noſtrâ eruditione deſeruit; quis avaritiam, quis ſuperbiam declinavit? Penſemus quod lucrum Deo fecimus nos, qui accepto talento ab eo ad negotium miſſi ſumus; etenim dicit: Negotiamini, dùm venio. Ecce jàm venit; ecce de noſtro negotio lucrum requirit. Quale ei animarum lucrum de noſtrâ negotiatione monſtrabimus? Quot ejus conſpectui animarum manipulos de prædicationis noſtræ ſegete illaturi ſumus? *Idem, ibidem, num. 16. poſt medium.* *Luc. 19. v. 13.*

Ponamus antè oculos noſtros illum tantæ diſtrictionis diem, quo judex veniet, & rationem cum ſervis ſuis, quibus talenta credidit, ponet. .... In illo tantò examine..... Petrus cum Judæâ converſâ, quàm poſt ſe traxit, apparebit. Ibi Paulus converſum, ut ità dixerim, mundum ducens. Ibi Andreas poſt ſe Achaiam, ibi Joannes Aſiam, Thomas Indiam in conſpectum ſui Regis converſam ducet. Ibi omnes Dominici gregis arietes cum animarum lucris apparebunt, qui ſanctis ſuis prædicationibus Deo poſt ſe ſubditum gregem trahunt. Cùm igitur tot Paſtores cum gregibus ſuis antè æterni Paſtoris oculos venerint, nos miſeri quid dicturi ſumus, qui ad Dominum noſtrum poſt negotium vacui redimus, qui Paſtorum nomen habuimus; & oves, quas ex nutrimento noſtro debuimus oſtendere, non habemus? Hic Paſtores vocati ſumus, & ibi gregem non ducimus? *Idem, ibidem, num. 17. initio.*

Non negligamus curam proximi; ut quiſquis ad nos jungitur, ex linguæ noſtræ ſale condiatur..... quiſquis ſe ad Sacerdotem junxerit, ſale ſermonis illius conditus recedat. Hæc..

vobiscum sollicitè cogitate ; hæc & proximis vestris impendite : omnipotenti Deo fructum vos reddere de negotio, quod accepistis, parate. *Idem, ibidem, num. 18. Circà medium.*

Moyses.... illos à parte Dei denuntiavit existere, qui deliquentium scelera incunctanter
Exod. 32. ferirent ; dicens : Si quis Domini est, jungatur
v. 26. & mihi ; ponat vir gladium super femur suum ; ite,
27. & redite de portâ usque ad portam per medium castrorum, & occidat unusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum. Gladium quippè super femur ponere, est prædicationis studium voluptatibus carnis anteferre..... Si ergo ille Dei dicitur, qui ad ferienda vitia zelo Domini amoris excitatur ; profectò esse se Dei denegat, qui, in quantum sufficit, increpare vitam carnalium recusat. *Idem, Regulæ pastoralis, part. 3 cap. 25 aliàs 49. Circà medium.*

Præconis... officium suscipit, quisquis ad Sacerdotium accedit, ut antè adventum judicis, qui terribiliter sequitur, ipse scilicet clamando gradiatur. Sacerdos verò, si prædicationis est nescius, quàm clamoris vocem daturus est præ-
Act. 2. v. co mutus ? Hinc est enim quòd super Pastores
3 & 4. primos in linguarum specie Spiritus sanctus insedit ; quia nimirùm, quos repleverit, de se protinùs loquentes facit. Hinc Moysi præcipitur ut Tabernaculum Sacerdos ingrediens tintinnabulis ambiatur : ut videlicet voces prædicationis habeat, ne superni speculatoris judicium ex silentio offendat. Scriptum quippè est : Audiatur so-
Exod. 28. nitus, quandò ingreditur vel egreditur Sanctua-
v. 35. rium in conspectu Domini, & non moriatur. Sacerdos namque ingrediens vel egrediens moritur, si de eo sonitus non audiatur : quia iram contrà se occulti judicis exigit, si sine sonitu prædicationis incedit. *Idem, Epist. 25 aliàs 24 paulò antè medium. Refertur dist. 43 cap. 1.* Sit Rector.

Si Sacerdotes Domini sumus, etiam ex ipso

officio Angeli, id est, nuntii sumus; & populo ea, quæ Dei sunt, nuntiare debemus. *Hugo de S. Victore, serm. 23 ad Sacerdotes in Synodo, paulò post initium.*

Dictum est: Si diligis me, pasce oves meas. *Joan. 21.* Quid est oves pascere, nisi evangelizare subjectis, reddere Deo populum acceptabilem verbo.... & parare Domino plebem perfectam? *Petrus Blesensis, Epist. 148 ad S. Bathoniensem Episcopum. Circà medium. Biblioth. PP. Lugdun. tom. 24.*

Nonne nobis in Timotheo præceptum est: Insta opportunè, importunè? Nonne in Levitico præcipitur ut à Sacerdote ingrediente & egrediente Tabernaculum sonitus audiatur? Nonne per Prophetam dicitur: Clama, ne cesses; exalta vocem tuam? Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes; totâ die & totâ nocte non tacebunt. *Idem, serm. 61 ad Sacerdotes. Circà medium.* *2. Tim. 4. v. 2. Exod. 28. v. 35. Is. 58 v. 1. Ib. 62 v. 6.*

Ob crimen Sacerdotum mutorum.

Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis. *Proverb. 11. v. 26.*

Impio... mors debetur: sed ei à speculatore via vitæ nuntianda est, & ejus impietas increpanda. Si verò speculator taceat, ipse impius in iniquitate suâ morietur..... Sed sanguinem ejus Dominus de manu speculatoris requirit, quia ipse hunc occidit, quia eum tacendo morti prodidit. In quibus utrisque pensandum est quantùm sibi connexa sunt peccata subditorum atque præpositorum: quia, ubi subjectus ex suâ culpâ moritur, ibi is qui præest, quoniam tacuit, reus mortis tenetur..... O quàm liber à commissorum sibi sanguine fuerat Prædicator egregius, qui dicebat: Mundus sum à sanguine omnium; non enim subterfugi *Act. 20. v. 26 & 27.*

quominùs annuntiarem omne consilium Dei vobis. Si enim non annuntiassem, mundus à sanguine non esset... In quâ voce nos convenimur, nos constringimur, nos rei esse ostendimur, qui Sacerdotes vocamur, qui super ea mala, quæ propria habemus, alienas quoque mortes addimus: quia tot occidimus, quot ad mortem ire quotidiè tepidi & tacentes videmus. *S. Gregor. Papa I. in Ezechielem, lib. 6 homil. 11 num. 9. Circà initium.*

Nos, qui ex oblationibus fidelium vivimus, quas illi pro peccatis suis obtulêre, si comedimus & tacemus, eorum procul dubio peccata manducamus. Pensemus ergo cujus fit apud Deum criminis peccatorum pretium manducare, & nihil contrà peccata prædicando agere. *Idem, in Evangelia, lib. 1 homil. 17. num. 8. Circà medium.*

Exod. 28. v. 33. Moysi præcipitur ut Tabernaculum Sacerdos ingrediens tintinnabulis ambiatur: ut videlicet voces prædicationis habeat, ne superni spectatoris judicium ex silentio offendat. Scriptum *Ib. v. 35.* quippè est: Ut audiatur sonitus, quandò ingreditur & egreditur Sanctuarium in conspectu Domini, & non moriatur, si de eo sonitus non audiatur; quia iram contrà se occulti judicis exigit, si sine prædicationis sonitu incedit. *Idem, Regulæ pastoralis, part. 2 cap. 4 aliàs cap. 15. Circà medium.*

Si indigentibus proximis ipsi, quas haberent, pecunias absconderent, adjutores procul dubio calamitatis extitissent. Quo ergo reatu constringantur aspiciant, qui, dùm peccantibus fratribus verbum prædicationis subtrahunt, morientibus mentibus vitæ remedia abscondunt..... Si medicinalis artis minimè ignari secandum vulnus cernerent, & tamen secare recusarent, profectò peccatum fraternæ mortis ex solo torpore committerent. Quantâ ergo culpâ involvantur aspi-

ciant, qui, dùm cognoscunt vulnera mentium, curare ea negligunt sectione verborum. *Idem, ibidem, part. 3 cap. 25 aliàs cap. 49 admonit. 26 paulò post initium.*

Ob pœnas non prædicantibus impositas.

Si me dicente ad impium : Impie, morte morieris ; non fueris locutus, ut se custodiat impius à viâ suâ, ipse impius in iniquitate suâ morietur, sanguinem verò ejus de manu tuâ requiram..... Hoc est dicere : Si ei peccata sua non annuntiaveris, si eum non argueris, ut ab impietate suâ convertatur, & vivat ; & te, qui non increpasti, & ipsum, qui te tacente peccavit, flammis perennibus perdam..... Ecce quale periculum Prædicatoribus, nisi strenuè utiliterque prædicaverint. *Concil. Paris. VI. an. 829 lib. 1 cap. 5 post medium.* *Ezechiel. 33. v. 8.*

Ad hoc est Ecclesiæ Dei præpositus, ut... fiducialiter prædicando singulis antè oculos peccata sua constituat.... certus quòd ei nihil sua justitia suffragetur, de cujus manu anima pereuntis exigitur : quandò quicunque alius perierit, quem nulla docendi necessitas manet, solus pœnas sceleris sui dabit ; ille autem, cui dispensatio verbi commissa est, etiamsi sanctè vivat, & tamen perditè viventes arguere aut erubescat aut metuat, cum omnibus, qui eo tacente perierunt, perit. Et quid ei proderit non puniri suo, qui puniendus est alieno peccato ?.... Si me dicente ad impium : Impie, morte morieris ; si non fueris locutus, ut custodiat se impius à viâ suâ, ipse impius in iniquitate suâ morietur, sanguinem verò ejus de manu tuâ requiram.... Hoc est dicere : Si ei peccata sua non annuntiaveris, si eum non argueris, ut ab impietate suâ convertatur, & vivat ; & te, qui non increpasti, & ipsum, qui te tacente peccavit, *Ezechiel. 33. v. 8.*

flammis perennibus perdam. Quis, rogo, tam saxei pectoris; quis tam ferreus erit, quem sententia ista non terreat. *De vitâ contemplativâ, lib. 1 cap. 20. Paulò post initium. Inter opera S. Prosper. Bibliot. PP. Lugdun. tom. 24.*

Pensemus cujus damnationis sit sine labore hic percipere mercedem laboris... Illa in nostrum stipendium sumimus, quæ pro redimendis peccatis suis fideles obtulerunt, nec tamen contrà peccata eadem vel orationis studio vel prædicationis, ut dignum est, insudamus..... Discretus Pastor prærogat talentum verbi, ne ad damnationem suam de Ecclesiâ stipendium sumat alimenti. *S. Gregor. Papa I. in Evangelia, lib. 1 homil. 17 num. 8. Paulò post initium.*

Si populos fames attereret, & occulta frumenta ipsi servarent, auctores procul dubio mortis existerent. Quâ itaque plectendi sunt pœnâ considerent, qui cùm fame verbi animæ pereant, ipsi panem perceptæ gratiæ non ministrant. Undè & benè per Salomonem dicitur: *Proverb. 11. v. 26.* Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis. Frumenta quippè abscondere, est prædicationis sanctæ apud se verba retinere. In populis autem talis quisque maledicitur; quia in solius culpâ silentii pro multorum, quos corrigere potuit, *Jerem. 48. v. 10.* pœnâ damnatur.... Undè & benè per Prophetam dicitur: Maledictus, qui prohibet gladium suum à sanguine. Gladium quippè à sanguine prohibere, est prædicationis verbum à carnalis vitæ interfectione retinere. De quo rursùm gladio dicitur: *Deuter. 32 v. 42.* Et gladius meus manducabit carnes Hi itaque, cùm apud se sermonem prædicationis occultant, divinas contrà se sen- *Matth. 25. v. 24 & 30.* tentias terribiliter audiant.... Audiant quòd talentum qui erogare noluit, cum sententiâ damnationis amisit.... Audiant quòd voce angelicâ *Apocal. 22. v. 17.* Joannes admonetur, cùm dicitur: Qui audit, dicat: Veni. Ut nimirùm, cui se vox interna

insinuat, illuc etiam clamando alios, quo ipse rapitur, trahat; ne clausas fores etiam vocatus inveniat, si vocanti vacuus appropinquat. *Idem, Regulæ pastoralis, part. 3 cap. 25 aliàs cap. 49 admonition. 26. Paulò post initium.*

Sacerdotes pro populorum iniquitate damnantur, si eos aut ignorantes non erudiant, aut peccantes non arguant. *S. Isidorus Episc. Hispalensis, Sententiarum, lib. 3 cap. 46 initio.*

Hortamur vos (Domini Sacerdotes) paratos esse ad docendas plebes vestras. Qui Scripturas scit, prædicet Scripturas; qui verò nescit, saltem hoc, quod notissimum habet, plebibus dicat, ut declinent à malo, & faciant bonum, inquirant pacem & sequantur eam..... *Psal. 36. v. 27.* Nullus ergo excusare se poterit quòd non habeat linguam, undè aliquem possit ædificare. *D. Ivo Episcopus Carnotensis, Decreti part. 6 de Clericorum conversatione, & Ordinatione, & correctione, & causis, cap. 154. ex S. Augustino, initio.*

Ob mercedem Prædicantibus promissam.

Fulgebunt.... qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. *Daniel. 12 v. 3.*

Si quis ex vobis erraverit à veritate, & converterit quis eum; scire debet quoniam, qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum. *Jacob. 5 v. 19 & 20.*

Presbyteri, qui benè præsunt, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrinâ.... Quid est autem duplici honore?.. an duplici pro eo positum, quod est magnum? *S. Chrysost. in epist. S. Pauli ad Timot. 1 cap. 5 homil. 15 longè antè medium.* *1. Timot. 5 v. 17.*

Facere & docere eximiæ cujusdam ac singu-

laris laudis est: facere autem, non autem docere; minorem laudem habet; alterâ enim parte claudicat... qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno Cœlorum. *S. Isidorus Peluseota, Epistolarum, lib. 3 epist. 120. Initio. Biblioth. PP. Lugdun. tom. 7.*

Matt. 5 v. 19.

Prov 11. v. 25.

Anima, quæ benedicit, impinguabitur: & qui inebriat, ipse quoque inebriabitur. Qui enim exterius prædicando benedicit, interioris augmenti pinguedinem recipit: &, dùm vino eloquii auditorum mentem debriare non desinit, potu multiplicati muneris debriatus excrescit. Audiant quòd David hoc Deo in munere obtulit, quòd prædicationis gratiam, quam acceperat, non abscondit dicens: Ecce labia mea non prohibebo: Domine, tu cognovisti, justitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam & salutare tuum dixi. *S. Gregor. Papa I. Regulæ pastoralis, part. 3 admonit. 26 cap. 25 aliàs cap. 49. Longè antè medium.*

Psal. 39. v. 10 & 11.

§. II.

Ex indigentiâ populorum.

Valdè periculosum est, & à religione Christianâ alienum, quòd post tanti doni (scilicet Baptismi) perceptionem unusquisque fidelis, cùm ad intelligibilem ætatem venit, mysterium Baptismatis discere & intelligere negligit; atque eo intellecto, secundùm illud vivere non satagit. Quod periculum.... ad negligentiam pertinere Sacerdotum, qui id solerter debent annuntiare.... nulli dubium est. *Conc. Parisiense VI. an. 829 lib. 1 cap. 9 in fine.*

Una quædam post operum præstationem ars accurationis via tenenda sequendaque est, nempè per sermonem evangelicum doctrina. Siquidem.... hoc cibus.... hoc medicamenti instar, hoc ignis loco, hoc ferri vice; ac si ve

urere vel secare opus, hoc ipso uti necesse. *S. Chrysost. de Sacerdotio, lib. 4 cap. 3. Paulò post initium.*

Episcopum necesse est in singulos propemodùm dies sementem facere, ut ipsâ saltem assuetudine doctrinæ sermonem auditorum animi retinere possint. *Idem, ibidem, lib. 6 cap. 8. Circà initium.*

Multùm.... omninò ad Ecclesiæ ædificationem confert, si Præsules doctrinæ gratiâ polleant: quæ nisi adsit, plurima ecclesiasticæ disciplinæ peribunt. *Idem, in epist. S. Pauli, ad Timot. 1 cap. 5 homil. 15 antè medium.*

Quomodò audient sine prædicante? Si ergo quilibet sine prædicante non audit, sine auditu non credit, sine fide non intelligit, sine intellectu benè non agit; verbum Dei prædicandum est, ut audiens credat, credens intelligat, & intelligens bonum opus perseveranter exerceat. *De vitâ contemplativâ, lib. 1 cap. 19 post medium, inter opera S. Prosperi. Bibliot. PP. Lugdun. tom. 8.* *Rom. 10. v. 14.*

Clavis... apertionis est sermo correptionis, quia increpando culpam detegit, quam sæpè nescit ipse etiam, qui perpetravit. *S. Gregor. Papa l. Regulæ pastoralis, part. 2. cap. 4 longè antè medium.*

SECTIO TERTIA.

Quàm difficile prædicationis munus.

Divini... verbi & excelsi distributionem, quam omnes hac ætate profitentur, si quis est alius, qui præsidenti animo suscipiat, aut cujusvis ingenii esse censeat, hunc ego solertiæ nomine admiror, ne dicam stultitiæ. Mihi quidem res non vulgaris parvique spiritûs esse videtur, verbi perindè ac tritici mensuram tempestivè cuique dare, & dogmatum nostrorum

veritatem cum judicio dispensare. *S. Gregor. Naz. Apologet. orat. i num. 64. Circà medium.*

Hæc... commemoravimus, ut... planum ei, qui de tantis rebus disputationem habet, præsertim apud multitudinem, quæ ex variis ætatibus animique affectionibus conflata est, ac musici cujusdam instrumenti multis fidibus constantis in modum variis pulsibus opus habet, difficile ejusmodi orationem invenire, quæ omnes concinnare ac scientiæ lumine collustrare possit. *Idem, ibidem, num. 72. Circà medium.*

Pensare... Doctor debet quid loquatur, cui loquatur, quandò loquatur, qualiter loquatur, & quantùm loquatur. Si enim unum horum defuerit, locutio apta non erit. Scriptum quippè est: Si rectè offeras, rectè autem non dividas, peccasti. Rectè autem offerimus, cum bono studio bonum opus agimus: sed rectè non dividimus, si habere discretionem in bono opere postponamus. *S. Grego. Papa I. in Ezechielem lib. 1 homil. 11 num. 12. Circà initium. Vide plura ibidem, num. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. & 20.*

Gen. 4. v. 7. secundùm LXX.

ARTICULUS II.

De Prædicatore verbi divini.

Quæ sunt ei necessariæ dotes?

SECTIO PRIMA.

Competens ætas.

ADolescens, loquere in causâ tuâ vix. *Eccli. 32 v. 10.*

Cùm prædicandi officium privilegiatum existat, ad cujus executionem exigitur industria personarum pollentium ætate, gravitate mo-

rum, vitæ sanctitate, scientiâ & sermone; & indifferenter alicubi admittantur.... statuimus & districtiùs prohibemus, quòd ad prædicationis ministerium, qui trigesimum ad minùs non attingit annum, cujuscunque religionis existat, de cœtero in aliquâ Ecclesiâ nullatenus admittatur. *Concil. Ravennat. II. c.* 1311. *Rubricâ* 13.

Redemptor noster, cùm in Cœlis sit conditor, & ostensione suæ potentiæ semper doctor Angelorum, antè tricennale tempus in terrâ magister noluit fieri hominum: ut videlicet præcipitatis vim saluberrimi timoris infunderet, cùm ipse etiam, qui labi non posset, perfectæ vitæ gratiam nonnisi perfectâ ætate prædicaret.... Vigilanti consideratione pensandum est quòd, cùm Jesus annorum duodecim dicitur in medio Doctorum sedens, non docens, sed interrogans invenitur. Quo exemplo scilicet ostenditur ne infirmus docere quis audeat, si ille puer doceri interrogando voluit, qui per divinitatis potentiam verbum scientiæ ipsis suis Doctoribus ministravit. S. *Gregor. Papa I. Regulæ pastoralis, part.* 3 *cap.* 25 *aliàs cap.* 49 *admonit.* 26. *Luc.* 2. *v.* 46.

Apostolus Timotheum instruens qualem deberet eligere in ministerium verbi Dei: Non neophytum, inquit, ne fortè subitò elatus in superbiam incidat & in tentationem diaboli. Periculosum est neophytis & nondùm in sanctâ religione firmatis exire in publicum, & usurpare officia perfectorum. Nam filius Sunamitidis, quoniam adhuc tener & puerulus egressus est ad messores, revertens ad matrem, & clamans, Caput meum doleo, extinctus est. Dina filia Jacob, nisi in publicum exisset, Sichem raptoris sui violentiam declinasset. Inter Jacob mansuetudines computatur, quòd domi sedebat, quandò Esaü durus & hispidus *1. Timot.* 3. *v.* 6. *4. Reg.* 4 *v.* 18. & 19. *Gen.* 3 *v.* 1. & 2. *Gen.* 25. *v.* 27.

exte riùs venabatur. *Petrus Bleſenſis, Epiſt. 13 ad monachum novitium. Paulò poſt initium.*

SECTIO SECUNDA.

Legitima miſſio.

Quia... valdè difficilè eſt purgatum ſe quemlibet poſſe cognoſcere, prædicationis officium tutiùs declinatur: nec tamen declinari pertinaciter debet, cùm ad ſuſcipiendum hoc ſuperna voluntas cognoſcitur. *S. Gregor. Papa I. Regulæ paſtoralis part. 1 cap 7. Poſt medium.*

Nemo niſi vocatus ſe ingerat; nullus niſi impellente neceſſitate vel obedientiâ urgente ſe occupet. *S. Laurentius Juſtinian. De triumphali Chriſt. agone, cap. 7 num. 2. Poſt medium.*

SECTIO TERTIA.

Doctrina non vulgaris.

Cùm oportet, qui docendorum aliorum munus ſortitus eſt, imprimis hujuſmodi certaminum (de dogmatibus) peritiâ valere.... Ob unius hominis imperitiam multus populus in extremam pernicrem præceps rapitur. *S. Chryſoſt. de Sacerdotio, lib. 4 cap 9. Longè antè medium.*

Si laudum.... titillationem forti animo contemnens (Concionator) tamen non exhibuerit doctrinam ſale ac gratiâ conditam, fiet ut à multis deſpicabilis habeatur, nullo prorsùs lucro commodove ab animi magnitudine illâ accepto. *Idem, ibidem, lib. 5 cap. 2. Paulò poſt initium.*

Qui nihil did'cit, aliorum Doctor efficitur; & quaſi æs ſonans aut cymbalum tinniens uſurpat prædicantis officium, cùm ſit truncus inutilis & idolum mutum..... Epiſcopus illitteratus, præco eſt mutus. *Petrus Bleſenſis, Epiſt. 25 ad Octovianum Romanæ Eccleſiæ Cardinalem. Paulò poſt initium.*

SECTIO QUARTA.

Vita inculpata.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Sanctus sit & ab omni vitio alienus.

Ubi vita reprehensibilis fuerit, dogma item hujusmodi sit necessarium est. *S. Chrysost. in epist. S. Pauli, ad Timot. 1 cap. 1 homil. 5. Longè antè medium.*

Vos estis sal terræ..... Vos estis lux mundi..... Priùs autem vocavit eos sal, posteà autem lux..... quia priùs est benè vivere; secundum autem benè docere..... qui autem non facit, quod docet, non alium docet, sed seipsum condemnat..... non solùm neminem corrigit, sed adhuc multos scandalizat; quis enim non moveatur ad peccandum, cùm viderit ipsos Doctores pietatis peccantes? *Author operis imperfecti, in cap. S. Matth. 5 homil. 10. Paulò post initium, inter opera Sanct. Chrysost.*

Non confundant opera tua sermonem tuum; ne, cùm in Ecclesiâ loqueris; tacitus quilibet respondeat: Cur ergo hæc, quæ dicis, ipse non facis? Delicatus magister est, qui pleno ventre de jejuniis disputat. Accusare avaritiam & latro potest. Sacerdotis Christi os, mens, manusque concordent. *S. Hieron. Epist. 34. aliàs 2 ad Nepotianum. Circà medium.*

Qui de Deo sermonem excitaturus est, hunc vitæ ac morum virtutibus elucere oportet. Nam qui vitio delectatur, huic ne de ipsius quidem justitiis, nedum de ipso linguam movere permittitur: quòd videlicet divinis legibus contumelia inferatur, cùm per impuram & sceleratam linguam proferuntur. Peccatori

Psal. 49. v. 16. enim, inquit ille, dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Ac per Isaïam iis succensus, qui, cùm optimæ vitæ nullâ curâ tangantur, ipsius tamen consilia reprehendunt, his *Isa. 58 v. 2.* verbis utitur: Scire vias meas volunt, tanquam gens, quæ justitiam fecerit, & legem Dei sui non dereliquerit. Quòd si, qui ipsius vias, hoc est, consilia curiosiùs exquirunt, summæ audaciæ notam non effugiunt, annon illi ultrà omnem audaciam progrediuntur, qui impuræ linguæ operâ de ipsomet Deo sermonem movent? Atque illud taceo, quòd apud Lacedæmonios, qui sermones actionum umbras esse non immeritò definierunt, ei qui turpiter vixisset, ne probam quidem sententiam pronuntiare licebat. *S. Isidorus Peluſiota, Epistolarum, lib. 3 epist. 232. Initio.*

Quem lingua vigilans gignit, vitæ negligentia occidit. Neque enim torpenti nobis est mente transeundum, quòd apud Salomonem mulier filium, quem vigilans lactare consueverat, dormiens interemit: quia nimirùm magistri vigilantes quidem scientiâ, sed vitâ dormientes auditores suos, quos per vigilias prædicationis nutriunt, eùm, quod dicunt, facere negligunt, per somnum torporis occidunt, & negligendo opprimunt, quos alere verborum lacte videbantur. *Sanct. Gregor. Papa I. Moralium in cap. 31. Beati Job, lib. 21 num. 16. Circà initium.*

Sic Propheta describit sua, ut significet nostra. Nam quid est hoc, quod ei jacenti dicitur: Sta super pedes tuos, & loquar tecum? *Ezechiel. 2. v. 1.* Adhuc in infirmitatis confusione jacentibus præberi non debet authoritas prædicationis. Sed, cùm jàm in bono opere surgimus, cùm jàm recti stare cœperimus, dignum est ut ad lucrandos alios in prædicationem mitti debeamus.

mus. Jacenti ergo non præcipitur ut ad prædicationem pergat, ne infirmus quisque hoc, quod verbo ædificare potest, opere destruat... Undè rectè quoque per Psalmistam dicitur: Eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis; statuit suprà petram pedes meos, & direxit gressus meos; & immisit in os meum canticum novum, hymnum Deo nostro. Priùs enim de luto pravitatis educitur, ut ejus pedes per fidem in petrâ solidentur.... gressus ejus directi sunt, ut post directionem gressuum, id est, post perfectionem boni operis; in ore acciperet etiam novum canticum prædicationis. Sic Saulus, dùm superbus Damascum pergeret, Redemptoris voce prostratus jacuit. Et qui Prædicator futurus erat, non tamen mox ut prædicaret, quod viderat, audivit; sed ei jacenti dicitur: ingredere in civitatem, & dicetur tibi quid te oporteat facere. Jacens ergo hoc solum audire potuit, ut surgens disceret; quod audiret: surgens verò hoc didicit, ut quæ cognoverat prædicaret. *Idem, in Ezechielem, lib. 1 homil. 9 num. 4 initio.* *Psal. 39. v. 3. & 4.* *Act. 9. v. 3 & 4.* *Ibid. v. 7.*

Illa... vox libentiùs auditorum cor penetrat, quàm dicentis vita commendat: quia, quod loquendo imperat, ostendendo adjuvat ut fiat. *Idem, Regulæ pastoralis part. 2 cap. 3. Circà initium.*

Qui .. verba Dei humiliter non loquuntur, profectò admonendi sunt ut, cùm medicamenta ægris apponunt, priùs virus suæ pestis inspiciant, ne alios medendo ipsi moriantur. *Idem, ibidem, part. 3 cap. 4 aliàs cap. 48 admonit. 15. Circà medium.*

Sicut in numismate metallum figura & pondus inquiritur: ità in omni Doctore ecclesiastico quid sequatur, quid doceat, quomodò vivat. Per qualitatem igitur metalli doctrina, per figuram similitudo patrum, per pondus humi-

litas designatur. Qui verò ab his tribus discrepaverit, non metallum; sed terra erit. *S. Isidorus Episcopus Hispalensis, Sententiarum, lib. 3 cap. 36 in fine.*

Qui bene docet, & malè vivit, videtur ut cereus aliis, dùm bona exponit, lucem præstare; se verò in malis suis consumere, atque extinguere Qui benè docet, & malè vivit, videtur bonum malo conjungere, lucem tenebris miscere, veritatem mendacio mutare. *Idem, ibidem, cap. 37.*

Nec ad proferendum jàm cœlestem sermonem idonea suppetit lingua, quæ priùs est tam prolixis terrenæ locutionis ambagibus dissoluta. *Petrus Damianus, Opusc. 21. De fugâ dignitatum ecclesiasticarum, cap. 1. Paulo post initium.*

Deut. 27. Joathan..... in montem Garizim ascendit; & voce magnâ clamavit. Priùs ascendit, & postmodùm clamavit.... Qui, nisi Doctor virtu-
Isa. 40. v 9. tum priùs culmen ascendit, inaniter clamat. Sicut per Isaïam dicitur: Super montem excelsum ascende tu, qui evangelisas Sion. *Idem, Opusc. 22 contrà, Clericos aulicos, cap. 4. Paulò post medium.*

Si doctus quidem fuerit, non sit autem bonus, verendum est ne non tam nutriat doctrinâ uberi, quàm sterili vitâ noceat. *S. Bernard. in cantica, serm. 16 num. 10 sub finem.*

S. Greg. in Ezech. homil. 2. Post medium. Loqui de Deo, quietæ valdè & liberæ mentis est. Tunc namque benè dirigitur lingua in sermone, cùm securè sensus quieverit in tranquillitate. *S. Bonavent. Pharetræ, lib. 4 cap. 34. Paulò post initium.*

Regimini animarum.... priusquàm.... se miles Christi tradat..... suas assuescat calcare passiones, sua vitia resecare, antiquatas consuetudines reformare, comprimere ventrem, linguam circumcidere, domare carnem, mo-

res corrigere, & quidquid deforme est, sub disciplinæ vigore compescere, quatenùs ex se discat quid de aliis debeat agere, quidve sentire, atque cœterorum passiones impassibiliter coercere. Ridiculum equidem de se intuentibus facit, qui voluntariè delinquendo aliorum conatur errata corrigere. *Idem, de triumphali Christi agone, cap. 7 numero 2. Post medium.*

Approbata conversatio & irreprehensibilis vita prædicatio efficacissima esse censenda est. *S. Laurentius Justinianus, de institutione & regimine Prælatorum, cap. 7 num. 2. Multò post medium.*

Ab hac utique privatâ prædicationis formâ ac verbi Dei pronuntiatione Præsul nullus excipitur. *Idem, ibid. num. 3 initio.*

§. II.

Quæ verbis prædicat, factis confirmet.

Qui... fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno Cœlorum. *Matth. 5. v. 19.*

Cœpit Jesus facere & docere. *Act. Apostol. 1. v 1.*

Paulus.... cùm... de Sacerdotibus verba facit: Qui benè præsunt, inquit, Presbyteri duplici honore digni habeantur, maximè ii, qui laborant in sermone ac doctrinâ. Hic enim demùm doctrinæ terminus consummatissimus, cùm Sacerdotes tum factis tum verbis eos, quos erudiunt, ad beatam illam vitam à Christo institutam conducunt. *S. Chrysost. de Sacerdotio, lib. 4. cap. 8. Circà medium.* 1. Timot. 5. v. 17.

Sic illuminate, docete, non ut verba vestra tantummodò audiant homines, sed ut opera vestra bona videant; ut, quos illuminaveritis per verbum quasi lux, condiatis per exempla operum vestrorum quasi sales: quoniam,

qui docet, & facit quod docet, verè ille docet. *Author operis imperfecti, in cap. S. Matth. 5. homil. 10. Circà medium, inter opera, Sancti Chrysostomi.*

Considera autem quomodò conversatio bona Prædicatoris prædicationi suæ præstat virtutem, ut etiam indomabilia domet corda. *Idem, in cap. S. Matth 21 homil. 40. Longè ab initio.*

Non confundant opera tua sermonem tuum; ne, cùm in Ecclesiâ loqueris, tacitus quilibet respondeat: Cur ergo hæc, quæ dicis, ipse non facis? Delicatus magister est, qui pleno ventre de jejuniis disputat. Accusare avaritiam & latro potest. Sacerdotis Christi os, mens, manusque concordent. *S. Hieron. Epist. 34 aliàs 2 ad Nepotianum. Paulò antè medium.*

Perdit enim authoritatem docendi, cujus sermo opere destruitur. *Idem, Epist. 82 aliàs 83 ad Occeanum. Multò post medium.*

Non potest dicere contemptoribus admonitionis suæ: Futurum cogitate judicium, quod ipse fortè non cogitat; amatoribus mundi:
1. Joan. 2. v. 1. Nolite diligere mundum, si eum mundi amor oblectat; ambitiosis: Ambitioni finem imponite, si eum ambitio ruinosa præcipitat; ebriosis: Ebrietatem cavete, si se mero usque ad alienationem mentis ingurgitat; sumptuosis dapibus crudus non potest suis abstinentiam laudare, quam calcat; vitio cupiditatis addictus, cupidis amorem non potest dissuadere... inimicitiarum tenax non audebit animos dissidentium sacerdotali tranquillitate componere; justitiam prædicare judicibus erubescit, quam ipse personæ potentis favore corrumpit; & quidquid boni non facit aut mali committit, nec jubebit fieri, nec vetabit, quia necessariam docendi authoritatem contrarietate suæ actionis aut amittit aut minuit. *De vitâ contemplativâ, lib. 1. cap. 15. Circà medium. Inter opera. Sanc-*

Prosperi. Bibliot. PP. Lugdunensis, tom. 8.

Dixi..... plus..... fideles Catholicos bonis exemplis quàm luculentis verbis posse proficere, eamque esse summam perfectamque doctrinam, quam conversatio spiritualis ostenderit, non quam inanis sermo jactitarit; nec à vobis in die judicii verba quærenda, sed opera: nec facilè persuaderi esse possibile, quod docet lingua, si à linguâ vitâ dissentiat; illud autem probari possibile, quod sive prædices, sive non prædices, faciendo confirmas, & imitari volentibus cum quâdam delectatione ipsius possibilitatis inculcas. *Ibidem, cap. 17. Antè medium.*

Si totam conscientiæ diligentiam transferant maledicaces ad linguam, & studiosiùs eloquentiam velint curare, quàm vitam: si supercilio vanæ loquacitatis elati dicta sua magis cupiant laudari, quàm fieri; nec sint de sanctitate operis, sed de sermone elucubrati venustate solliciti; nunquid non tales meritò æramento sonanti, aut tinnienti cymbalo comparantur, qui in modum tinnientis æramenti vel cymbali præclara magis quæque appetunt sonare, quàm facere; nec erubescunt à se ipsis aliter vivendo, quàm prædicant, discrepare; qui, ut quoquo modo turpitudinem suæ conversationis obnubilent, honesta prædicare non cessant, non ut auditores sui eorum prædicatione proficiant, sed ut ipsi videantur curare, quæ prædicant? *Ibidem, lib. 3 cap. 14. Paulò post initium.*

Vita sine sermone magis prodesse solet, quàm sermo sine vitâ. Nam illa etiam tacens prodest; hic autem etiam clamans molestiam affert; at, si sermo & vitâ in unum occurrant, omnis Philosophiæ simulachrum efficiunt. *S. Isid. Peluseota, Epist. lib. epist 275. Heraclæ clarissimo. Bibliot. PP. Lugdun. tom. 7.*

Qui.... non facit, eum ne verba quidem facere convenit.... ridiculum hic sese præbebit; cavillorum enim ac sannarum materia auditoribus erit. *Idem, ibidem, lib. 3 epist. 189. Zosimo Presbytero. Circà initium.*

Radix verbi virtus est operis. Et ille sermo ab audiente libenter accipitur, qui à prædicante cum compassione animi profertur. *S. Gregor. Papa I. in Ezechielem, lib. 1. homil. 11. num. 2. Circà initium.*

Tunc verè aliis recta prædicamus, si dicta rebus ostendimus. *Idem, in Evangelia, lib. 1. homil. 17. num. 10. Initio.*

Admoneri debent ut considerent ne à virtute dicti vivendi qualitate discordent, ne loquendo aliud, & ostendendo aliud prædicent. *Idem, Regulæ pastoralis part. 3. cap. 24. aliàs cap. 48. admonit. 23. Post medium.*

Prædicator quisque plus actibus quàm vocibus insonet; & benè vivendo vestigia sequacibus imprimat, potiùs quàm loquendo quò gradiantur ostendat. *Idem, ibidem, cap. 40. alias cap. 44. Circà initium.*

Tam doctrinâ quàm vitâ clarere debet ecclesiasticus Doctor: nam doctrinâ sine vitâ arrogantem reddit; vitâ sine doctrinâ inutilem facit. Sacerdotis prædicatio operibus confirmanda est; ità ut, quod doceat verbo, instruat exemplo: vera est enim illa doctrina, quàm vivendi forma sequitur; nam nihil turpius est, quàm si bonum, quod quisque sermone prædicat, explere opere negligat; tunc enim prædicatio utiliter profertur, quandò efficaciter adimpletur. Unusquisque Doctor & bonæ actionis & bonæ prædicationis habere debet studium; nam alterum sine altero non facit perfectum: sed præcedat justus benè agere, ut sequenter possit benè docere. Omnis utilis Doctor plebibus subjectis ità se præstare debe

atque insistere doctrinæ, ut quanto claret verbo, tanto clarescat & merito. *S. Isidorus Hispal. Episcopus, sententiarum lib. 3 cap. 36 initio.*

Qui benè docet & malè vivit, videtur ut cereus aliis, dùm bona exponit, lucem præstare; se verò in malis suis consumere atque extinguere. Qui benè docet & malè vivit, videtur bonum malo conjungere, lucem tenebris miscere, veritatem mendacio mutare. *Idem, ibidem, cap. 37 in fine.*

Sermo quidem vivus & efficax, exemplum operis est plurimùm faciens suadibile, quod dicitur, dùm monstrat factibile, quod suadetur. *S. Bernard. serm. in natali S. Benedicti abbatis, num. 7 in fine.*

Validior operis, quàm oris vox. Fac ut loqueris, & non solùm me faciliùs emendas, sed te quoque non levi liberas probro. *Idem, in cantica, serm. 59 num. 3 circa finem.*

Malè doces, si malè agens benè loqueris; fortior est enim vox operis, quàm vox oris. *Petrus Blesensis, Epist. 157 ad Vicarium suum. post medium, Bibliot. PP. Lugdun. tom. 24.*

Prædicator.. debet habere aurum, argentum & balsamum, videlicet sapientiam, & eloquentiam & honestatem; ut, quod dicat, intelligat; &, quod dixerit & intellexerit, agat: nam, qui fecerit & docuerit, magnus vocabitur in regno Cœlorum. Alioquin dicetur ei: medicè cura teipsum: similis ficulneæ, quæ folia sine fructu producit. *Innoc. III. præfat. suorum operum, antè medium.*

Litteras mortis suæ portant viri litterati, qui sciunt & docent, & non faciunt Istæ sunt litteræ sine sigillo, id est, scientia sine vitâ; & ideò non creditur eis. *S. Thomas, præfat. in Epistolas canonicas, multò post medium.*

Quantam verò authoritatem præstet doctri-

næ vita laudabilis, & experientia diuturna virtutum, insinuat mundi conversio & numerositas aggregata fidelium. Non enim per eloquentiam profunditatemque humanæ scientiæ, sed per virtutum exempla, contemptum videlicet terrenorum, voluntariam paupertatem, parcitatem victûs, vestium nuditatem, tolerantiam tormentorum, & pro salute animarum laborum perpessionem assiduam Apostoli Domini successoresque illorum fundavere Ecclesiam. Sanè flagrantissimum odorem sanctitatis ipsorum signis sequentibus, divinâ nihilominùs cooperante clementiâ, orbis universi Christianæ religionis jugo colla subegit. Parùm profectò profuisset verborum phalerata facundia, nisi in prædicatoribus Christi concurrisset & vita. Non autem minùs ædificant bonorum operum exempla, quàm verba. Cæterùm ubi conveniunt sanctitas vitæ & veritatis prædicatio, ubi multiplex animarum exuberat fructus. Quamobrèm quicunque utiliter gregi Dominico præesse desiderat, priùs conversationem suam virtutibus ornatam habere studeat, sicque verbum Dei cum omni fiduciâ loquatur ad plebem. Priùs, inquam, conversationem habeat sanctam, quæ illi ad salutem necessaria esse cognoscitur; posteà verò eloquia divina pronuntiet... approbata conservatio & irreprehensibilis vitæ prædicatio efficacissima esse censenda est. *S. Laurentius Justinianus, de institutione & regimine Prælatorum, cap. 7 num. 2 ante medium.*

§. III.

Gratiâ sit & virtute plenus.

Tunc autem verbi semen facilè germinat, quandò hoc in audientis pectore pietas prædicantis rigat. *S. Gregor. Papa I. Regulæ pastoralis part. 2 cap. 7 multò post medium.*

Ipsa veritas, quæ repentè, quos vellet, roborare potuisset, ut exemplum sequentibus daret, ne imperfecti prædicare præsumerent, postquàm plenè Discipulos de virtute prædicationis instruxit, illicò adjunxit: Vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto. *Luc. 24. v. 49.* In civitate quippè considemus, si intra mentium nostrarum nos claustra constringimus, ne loquendo exteriùs evagemur; ut, cùm virtute divinâ perfectè induimur, tunc quasi à nobismetipsis foràs etiam alios instruentes exeamus. *Idem, ibidem, part. 3 cap. 25 aliàs cap. 49 admonit. 26 non longè à fine.*

Illius Doctoris libenter audio vocem, qui non sibi plausum, sed mihi planctum moveat. Verè turturem exhibes, si gemere doceas: &, si persuadere vis, gemendo id magis, quàm declamando, studeas oportebit. *S. Bernard. in cantica, serm. 59 num. 3 circa medium.*

SECTIO QUINTA.

Amor proximi ejusque promovendæ salutis ardens studium.

Adeò vos amplector atque exosculor ... ut anathema etiam à Christo esse, ac non nihil ut damnatus perpeti non recusem, modò nobiscum adjungamini, communibusque animis Trinitatem celebremus. S. *Gregor. Nazianz. orat. 44 in sanctam Pentecosten, num. 12 circa medium.*

Optarim, si fieri possit, ut ipsis oculis meam erga vos charitatem valeam ostendere... Optarim enim ipse vel millies execrabilis esse, si queam per hoc vestras animas convertere... si quandò contigerit vestrûm peccare quempiam, dormienti mihi observamini. Emoriar, nisi videor similis dolore exanimatis, nisi attonitus; &, ut verbis propheticis utar, ipsum lumeu

oculorum meorum non est mecum. Nam quæ spes nobis, si vos non proficiatis? Rursùs quantum animi solatium, si vos probati sitis? Gestire mihi videor, quoties boni quidpiam audio de vobis. Implete meum gaudium... omnia mihi vos estis, & pater, & mater, & fratres, ac liberi. *S. Chrysostom. in Act. Apostolorum, cap. 2 homil. 3 sub finem.*

Binos ad prædicandum Discipulos Dominus mittit, quatenùs hoc nobis tacitus innuat, quia qui charitatem erga alterum non habet, prædicationis officium suscipere nullatenùs debet. *S. Greg. Papa l. in Evangelia, lib. 1 homil. 17 num. 1 in fine.*

Pensemus quod lucrum Deo fecimus, nos qui accepto talento ab eo ad negotium missi
Luc. 19. v. 13. sumus. Etenim dicit: Negotiamini, dùm venio. Ecce jam venit; ecce de nostro negotio lucrum requirit. Quale ei animarum lucrum de nostrâ negotiatione monstrabimus? Quot ejus conspectui animarum manipulos de prædicationis nostræ segete illaturi sumus? *Idem, ibidem, num. 16 in fine.*

Ponamus ante oculos nostros illum tantæ
Luc. 19. v. 15. districtionis diem, quo judex veniet, & rationem cum servis suis, quibus talenta credidit, ponet. Ecce in majestate inter Angelorum atque Archangelorum choros videbitur. In illo tanto examine electorum omnium & reproborum multitudo deducetur, & unusquisque quid sit operatus ostendetur. Ibi Petrus cum Judæâ conversâ, quam post se traxit, apparebit ibi Paulus conversum, ut ità dixerim, mundum ducens. Ibi Andræas post se Achaiam, ibi Joannes Asiam, Thomas Indiam in conspectum sui regis conversam ducet. Ibi omnes Dominici gregis arietes cum animarum lucris apparebunt, qui sanctis suis prædicationibus Deo post se subditum gregem trahunt. Cùm igitur tot Pastores cum

cum gregibus suis ante æterni Pastoris oculos venerint, nos miseri quid dicturi sumus, qui ad Dominum nostrum post negotium vacui redimus, qui Pastorum nomen habuimus, & oves, quas ex nutrimento nostro debeamus ostendere, non habemus? *Idem, ibidem, num. 17.*

Qui audit, dicat: Veni. Ut nimirùm cui se vox interna insinuat, illuc etiam clamando alios, quò ipse rapitur, trahat; ne clausas fores etiam vocatus inveniat, si vocanti vacuus appropinquat. *Idem, regulæ pastoralis part. 3 cap. 25 aliàs cap. 49 admonit. 26 longè ante medium.* *Apoc. 22. v. 17.*

SECTIO SEXTA.

Pura intentio.

Qui aliorum edocendorum provinciam susceperit, iis ne de aliorum laudibus dependeat, neve ab iis animum despondeat. Quin orationes hoc consilio meditatus, ut Deo optimo gratæ atque acceptæ sint, hunc unum sibi statuat canonem ac terminum optimi illarum opificii, non etiam plausus ac laudationes. Laudatur is ab hominibus, laudes ne rejiciat. Laudes ab auditoribus illi negantur, eas ne ambiat, nec negatis indoleat. Abundans enim illi fuerit laborum solatium, idque omnium certè maximum, si sibi ipse conscius esse potuerit ad hanc se rationem doctrinam eloquentiamque suam composuisse atque adaptasse, ut Deo illa placens acceptaque fiat. *S. Chrysost. de Sacerdotio, lib. 5 cap. 7 paulò ante medium.*

Sacerdotes, qui positi sunt ad ornamentum populi & ad ædificationem sanctitatis, ex ipso ministerio eorum accipit colorem diabolus, & corrumpit bonum ministerium eorum, ut hoc ipsum bonum, dùm propter homines fit, fiat malum. Tolle ergo hoc vitium de Clero, ne

velint hominibus placere, & sine labore omnia vitia resecantur. *Author operis imperfecti, in cap. S. Mat. 23 homil. 43 paulò post medium, inter opera S. Chrysostomi.*

Doctor Ecclesiæ, qui spiritualem conficit panem, & eum populis dividit, si vel propter humanam gloriam, vel lucra sæculi, quæ gloriam consequuntur, loquatur in populis... nomen Dei despicit, & panem polluit doctrinarum, & in ipsum Deum jacit contumelias. *S. Hieron. in Malachiæ Prophetæ cap. 1 ad hæc verba v. 6 & 7* ad vos, ô Sacerdotes, *&c.*

Docente te in Ecclesiâ non clamor populi, sed gemitus suscitetur. Lacrymæ auditorum, laudes tuæ sint. *Idem, ad Nepotianum, epist. 34 aliàs 2 paulò post medium.*

Hoc specialiter Doctor ecclesiasticus elaboret, quò fiant, qui audiunt eum, sanis disputationibus meliores, non vanâ assentatione fautores. *De vitâ contemplativâ, lib. 1 cap. 23 post medium, inter opera S. Prosperi, Biblior. PP. Lugdun. tom. 8.*

Apostolo docente discamus: Si linguis, in-
1. Cor 13 quit, hominum loquar & Angelorum, charitav. 1. tem autem non habuero, factus sum velut æramentum sonans aut cymbalum tinniens. Hominum vel Angelorum linguis inanem facundiam quorumdam significatam debemus accipere, qui omnia, quæcumque voluerint, accuratè quidem atque eloquenter enuntiant; sed quamvis ornatè copiosèque differant, tamen si docendi officium vanitate placendi magis quàm consulendi charitate suscipiant, non ut aliquos doceant, sed ut se doctos ostendant, nec profectum sed plausum à suis auditoribus quærant; s... studiosius eloquentiam velint curare, quàm vitam; si supercilio vanæ loquacitatis elati dicta sua magis cupiant laudari, quàm fieri; nec sint de sanctitate operis, sed de sermonis elucubrati

venustate solliciti, nunquid non tales meritò æramento sonanti aut tinnienti cymbalo comparantur? *Idem, ibidem, lib. 3 cap. 14 circa initium.*

Verus . . . quisque Prædicator non ideò prædicare debet, ut in hoc tempore mercedem recipiat, sed ideò mercedem recipere, ut prædicare subsistat. Quisquis namque ideò prædicat, ut hic vel laudis vel muneris mercedem recipiat, æternâ procul dubio mercede se privat. Quisquis verò vel ea, quæ dicit, ideò placere hominibus appetit; ut, dùm placet quod dicitur, per eadem dicta non ipse sed Dominus ametur; vel idcircò terrena stipendia in prædicatione consequitur, ne à prædicationis voce per indigentiam lassetur; huic procul dubio ad recipiendam mercedem nil obstat in patriâ, quia sumptus sumpsit in viâ. *S. Gregor. Papa I. in Evangelia, lib. 1 homil. 17 num. 7 paulò post medium.*

Si quis loquitur, quasi sermones Dei. Qui ergo verba, quæ proferunt, ex propriis non habent, cur quasi de propriis tument? Audiant quod scriptum est: Sicut ex Deo coram Deo in Christo loquimur. Ex Deo enim, coram Deo loquitur, qui prædicationis verbum & quia à Deo accepit intelligit, & placere per illud Deo non hominibus quærit. Audiant, quod scriptum est: Abominatio Domini est omnis arrogans. Quia videlicet, dùm in verbo Dei gloriam propriam quærit, jus dantis invadit, eumque laudi suæ postponere nequàquàm metuit, à quo hoc ipsum quòd laudatur accepit. Audiant quod Prædicatori per Salomonem dicitur: Bibe aquam de cisternâ tuâ, & fluenta putei tui. Deriventur fontes tui foràs, & in plateis aquas divide. Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui . . . Aquas . . & in plateis dividimus, & tamen soli possidemus, quandò & exteriùs latè prædica-

1. Petr. 4. v. 11.

1. Cor. 2. v. 17.

Proverb. 16. v. 5.

Proverb. 5 v. 15. 16. & 17.

tionem fundimus & tamen per eam humanas laudes assequi minimè ambimus. *Idem, regulæ pastoralis part. 3 cap. 24 aliàs cap. 48 admonit. 25 circa finem.*

Omnis Clericus.. cui datus est.. sermo sapientiæ, aut sermo scientiæ; &, dùm loquitur, cupit audientes in proprium amorem & propriam laudem convertere & inflammare, iste seipsum prædicat, non sponsum; & idcircò pellendus est de interiori thalamo, quia adulter est, foris in atrio præsidet non sponsæ jussu sed patientiæ permissu. *S. Agobardus Archiepiscopus Lugdun. Epist. ad Clericos & Monachos Lugdunenses, de modo regiminis ecclesiastici, num. 11 circà medium, Bibliot. PP. Lugdun. tom. 14.*

Si ex corde ageres causam Christi, daret voci tuæ vocem virtutis. *Petrus Blesensis, Epist. 10 ad Guillelmum Capellanum Regis Siciliæ, multò post medium, Bibliot. PP. Lugdun. tom. 24.*

Sunt.. multi verbum Dei adulterantes, qui non, sicut decet, corde humili, intentione rectâ, desiderio salutis animarum, studioque insinuandæ veritatis sermocinantur ad populum; sed ut, quanta sciant, notificent auditoribus. Hi profectò superbiæ inflati spiritu, dùm favores transitorios quærunt, laudes hominum concupiscunt, sapientesque vocari gloriantur, tantò magis coram Deo efficiuntur inglorii, quantò amplius humanis commendationibus delectantur. Odibilis planè Deo res est ex sermonibus sacris vulgarem famam appetere, Christoque neglecto quempiam in affectibus mortalium se velle imprimere. Talis utiquè spiritualis adulter est, sui conditoris raptor gloriæ, & animæ suæ crudelissimus interemptor. *S. Laurentius Justinianus, de institutione & regimine Prælatorum, cap. 7 num. 3 longè ante medium.*

SECTIO SEPTIMA.

Quædam alia Concionatori neceſſaria.

Nemo erit Concionator abſolutus, cui præter vitam exemplarem non adſint omnia, quæ ſequuntur; nempè cognitio Scripturarum utriuſque Teſtamenti, ingenium velox atque verſatile, eloquentia vehemens, ſuadibilis & ſuavis: neque interim minùs temperata quàm copioſa prudentia rerum ac perſonarum docendarum, experientia multiplex, immobilis conſtantia, deniquè ſpiritus, qui ſi deerit, reliquis donis parùm profecerit: Non enim vos eſtis, qui loquimini; ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. *Conc. Colonienſe I. an. 1536 parte 6 cap. 8 paulò poſt initium.* *Matth. 10. v. 20.*

Neque.. perfectus Prædicator eſt, qui vel propter contemplationis ſtudium operanda negligit, vel propter operationis inſtantiam contemplanda poſtponit. *S. Gregor. Papa. I. Moralium lib. 6 in cap. 5 Beati Job, cap. 37 num. 56 longè ante medium.*

ARTICULUS III.

De modo concionandi.

SECTIO PRIMA.

Quædam antè concionem observanda.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Seipsum prædicator doceat priùs & nutriat.

1. ad Tim. 1. v. 19. HAbens fidem & bonam conscientiam. Magistrum quippè priùs oportet docere seipsum: quemadmodùm enim dux, nisi anteà miles optimus fuerit, ne dux quidem esse aliquandò poterit; ità & Doctor. *S. Chrysost. in Epist. S. Pauli ad Timotheum 1 cap. 1 homil. 5 ante medium.*

Sicut... stomachus accipiens cibum coquit eum in seipso, & per totum corpus dispergit; sic & Sacerdotes accipiunt scientiam sermonis per Scripturas ex Deo, & excoquentes eam in se, id est, tractantes & meditantes apud se universo populo subministrant. Et sicut stomacho subministrante, unumquodque membrum suscipit nutrimentum, & convertit ipsum in se secundùm suam naturam, ut putà, quod suscipit jecur, totum fit sanguis: quod autem suscipit fel, bilis efficitur totum; quod verò ascendit in pulmonem, phlegmata fiunt; quod autem in mamillas, totum efficitur lac: sic Sacerdotibus in Ecclesiâ loquentibus verbum omnes suscipiunt; unusquisque autem suscipit illud secundùm proprium cor... Videte ergo, Sacerdotes, quomodò vos componatis in verbo & opere. *Author operis imperfecti, in cap. S. Mat. 21 ho-*

mil 38 paulò post initium, inter opera S. Chrysostomi.

Nec quemquam verbis docere præsumas, quod opere antè non feceris. *Joannes Cassianus, collatione 14 quæ est prima Abbatis Nestarotis, de spirituali scientiâ, cap. 9 multò post medium, bibliot. PP. Lugdun. tom. 7.*

In divinis sermonibus, priusquàm aliis eos proferant, semetipsos requirant, ne insequentes aliorum facta, se deserant. . . . Audiant quod Prædicatori per Salomonem dicitur: Bibe aquam de cisternâ tuâ, & fluenta putei tui. Derivantur fontes tui foràs, & in plateis aquas divide. . Aquam quippè Prædicator de cisternâ suâ bibit, cùm ad cor suum rediens priùs audit ipse, quod dicit. Bibit sui fluenta putei, si sui irrigatione verbi infunditur. Ubi benè subjungitur: Deriventur fontes tui foràs, & in plateis aquas divide. Rectum quippè est ut ipse priùs bibat, & tunc prædicando aliis influat. *S. Gregor. Papa I. regulæ pastoralis, part. 3 cap. 24 aliàs 48 admonit. 25 paulò post medium.* *Proverb. 5. v. 15 & 16.*

Si vis alios regere & docere, priùs te ipsum regas & doceas. *Petrus Blesens. Epist. 157 ad Guillelmum Vicarium suum, post medium.*

Attende tibi & doctrinæ. Primò tibi, & posteà doctrinæ. Id est, primò qualiter vivas, deindè qualiter doceas; ut priùs induas superhumerale, deindè rationabile. Ut priùs sit sal terræ de mari pœnitentiæ sumptum, posteà lux mundi. Cœpit Jesus facere & docere. Erat Joannes lucerna ardens & lucens. Potens in opere & sermone. Qui alium doces, teipsum non doces; qui prædicas non furandum, furaris. Dicit ergo (attende tibi & doctrinæ) quia qui se perdit, sicut dicitur vulgariter, de altero non gaudet. Mirum est de multis, quomodò audent dicere Domino illud: Attende Domine, ad me; & non attendunt sibimet. Et illud: *1. Timot. 4. v. 16. Levit. 8. v. 7. & 8. Mat. 5. Act. 1. v. 1. Joan. 5. v. 35. Luc. 24. v. 29. Rom. 2. v. 21. Jerem. 18 v. 19.*

Exaudi, Domine, placare; Domine, attende & fac. *Hugo de Sancto Charo, Cardinalis, in hæc verba 1 ad Timot. 4 v. 16.* Attende tibi & doctrinæ.

Daniel. 9. v. 19.

2. Tim. 2. v. 16. Laborantem agricolam oportet primùm de fructibus accipere... Debet priùs gustare cibum verbum Dei, quàm aliis ministret, sicut bonus cocus. *Idem, in hæc verba 2 ad Timot. 2 v. 6.* Laborantem agricolam oportet primùm de fructibus accipere.

Stude ergo teipsum componere priùs exteriùs in bonis moribus, interiùs sanctis affectionibus & cogitationibus ordinare. Tunc demùm utiliter procedes ad alios in sanâ doctrinâ; quia nemo præsumit docere artem aliquam, quam priùs non habuerit addiscendo. *S. Bonav. de institutione novitiorum, part. 1 cap. 15 in fine.*

Magni periculi est statim evomere, quod non concoxeris. *Epitectus, Enchiridion cap. 69 circa initium.*

§. II.

Seipsum bonis operibus ad dicendum præparet.

1. Cor. 9. v. 27. Castigo corpus meum, & servituti redigo; ne aliis prædicans ipse reprobus inveniar. Ergo qui non castigant corpus suum, & volunt prædicare aliis, ipsi reprobi habentur. *S. Ambros. Epist. 63 aliàs 82 num. 7 in fine.*

Gallus... cùm jam edere cantus parat, priùs alas excutit, & semetipsum feriens vigilantiorem reddit: quia nimirùm necesse est ut hi, qui verba sanctæ prædicationis movent, priùs studio bonæ actionis evigilent, ne in semetipsis torpentes opere alios excitent voce... Priùs punire propria fletibus curent, & tunc quæ aliorum punienda sunt denuntient; & antequàm verba exhortationis insonent, omne, quod locuturi sunt, operibus clament. *S. Greg. Papa I.*

regulæ pastoralis, part. 3 cap. 40 aliàs cap. 64. ante medium,

§. III.

Orationi vacet.

Ad Concionatorum . . . approbationem . . . . quæratur . . . an . . sanctarum meditationum orationisque mentalis usum habeant. *Conc. Mediol. 5 an. 1579 part. 3 tit. 2 de examinandi ratione, multò post medium.*

Erat . . Moyses indefinenter in Tabernaculo Domini. Quod autem opus ejus erat? Ut aut à Deo aliquid disceret, aut ipse populum doceret. Hæc duo sunt Pontificis opera, ut aut à Deo discat legendo Scripturas divinas, & sæpiùs meditando, aut populum doceat. Sed illa doceat, quæ à Deo ipse didicerit, non ex proprio corde, vel humano sensu, sed quæ Spiritus sanctus docet. *S. Hieron. relatus dist. 36 cap. 3.* Si quis vult. *Paulò post initium.* *Levit. 8.*

Agit itaque noster iste eloquens, cùm & justa & sancta & bona dicit; neque enim alia debet dicere; agit ergo, quantùm potest, cùm ista dicit, ut intelligenter, ut libenter, ut obedienter audiatur: & hæc se posse, si potuerit, & in quantum potuerit, pietate magis orationum quàm oratorum facultate non dubitet, ut orando pro se ac pro illis, quos est allocuturus, sit orator antequàm dictor. Ipsa hora jam ut dicat accedens, priusquàm exserat proferentem linguam, ad Deum levet animam sitientem, ut erudet quod biberit, vel quod impleverit fundat. *S. August. de doctrinâ christianâ, lib. 4 cap. 15 num. 32 initio.*

Et audies ex ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me. Ecce iterùm monetur Propheta ne præsumat loqui, quod non audierit; sed priùs aurem cordis aperiat voci Creatoris, & *Ezechiel. 3. v. 17.*

postmodùm os sui corporis aperiat auribus plebis. Unde Propheta alius dicit: Inclinabo ad similitudinem aurem meam, aperiam in spalterio propositionem meam. Qui enim rectè prædicat, priùs, sicut dictum est, aurem cordis locutioni intimæ inclinat, ut postmodùm os corporis in propositione admonitionis aperiat. *S. Gregor. Papa I. in Ezechielem, lib. 1 homil. 11 num. 8 initio.*

Psal. 48. v. 5.

Exigitur .. ad officium prædicationis ... gustatio spiritûs per contemplationem; alioquin cæteros accendere ad æternorum desidèria quâ fronte præsumpserit, si frigidus in se totus, & algidus remanserit? *Joannes Gersonius, Sermone de officio pastorali, habito in Concilio Romensi, considerat 2 circà finem.*

SECTIO SECUNDA.

Quædam in ipso concionis tempore observanda.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Errantes liberè arguat.

Peccantes coràm omnibus argue. *1 Timot. 5 v. 20.*

Si ab increpatione, vos monet S. Gregorius, reticueritis, quia contra vos odia insurgere reformidatis, non jam Dei lucra, sed vestra quæritis ... si igitur peccatur, ne in increpationibus verba vestra blandientia sint; sed, ut à Spiritu sancto scriptum est: Stimuli sint, & quasi clavi in altum defixi. *Concil. Mediol. IV. an. 1576 part. 3 tit. 7 monitiones, multò ante finem.*

Eccli. 12. v. 13.

Nihil .. in Sacerdote tam periculosum apud Deum, tam turpe apud homines, quàm quod sentiat, non libere denuntiare. Si quidem scriptum est: Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebar. S. *Ambr.*

Psal. 118. v. 46.

Epist. ad Theodosium Imperatorem, aliàs 29 nunc. 40 num. 2 circà medium.

Quis tibi verum audebit dicere, si Sacerdos non audeat? *Idem, ibidem, num. 4 in fine.*

Si Sacerdos non dixerit erranti, is, qui erraverit, in suâ culpâ morietur, & Sacerdos reus erit pœnæ, qui non admonuit errantem. *Idem ad eumdem Imperatorem, Epist. aliàs 28 nunc. 51 num. 3 in fine.* Ezechiel. 3. v. 19.

Ædificatores.. sunt Sacerdotes, qui generationes hominum super generationem per doctrinam ædificantes, quasi lapides super lapidem ponentes, domum Dei componunt. Sicut enim ædificatores nodosos lapides & habentes torturas ferro dolant, postèà verò ponunt eos in ædificio, alioqui non dolati lapides lapidibus non cohærent: sic & Ecclesiæ Doctores vitia hominum quasi nodos acutis increpationibus primùm circumcidere debent, & sic in Ecclesiæ ædificatione collocare; alioquin vitiis manentibus Christiani Christianis concordare non possunt. *Author operis imperfecti, in cap. S. Mat. 21 homil. 40 multò post medium, inter opera S. Chrysostomi.*

Unusquisque Sacerdotum, quandoquidem speculator à Domino constitutus est, siquidem populis curæ suæ commissis malum, quod lædere solet, annuntiaverit, coronam hac vigilantiâ sibi conciliabit. Quòd si tacuerit, incidet in mala, quæ per iram Dei irrogari solent, quippè cùm suo silentio haud mediocri damno affecerit eos, quos vocibus suis ad rectam viam dirigendos acceperat. *S. Cyril. Alexandr. Apologetic. ad Theodosium Imperatorem, longè ab initio.*

(Sacerdos) qui alium ab errore non revocat, seipsum errare demonstrat. *S. Leo Papa I. Epist. decret. 93 cap. 15 in fine.*

Ille.. cui dispensatio verbi commissa est

etiamsi sanctè vivat, & tamen perditè viventes arguere aut erubescat, aut metuat, cum omnibus, qui eo tacente perierunt, perit. Et quid ei proderit non puniri suo, qui puniendus est alieno peccato? *De vitâ contemplativâ lib. 1 cap. 20 circa medium, inter opera S. Prosperi.*

Error.. cui non resistitur, approbatur; & veritas, quæ minimè defensatur, opprimitur, *Felix Papa* III. *Epist. 1 ad Acacium Constantinopolit. post medium, Conc. Labb. tom. 4.*

Sæpè.. Rectores improvidi humanam amittere gratiam formidantes loqui liberè recta pertimescunt: & juxta veritatis vocem, nequaquàm jam gregis custodiæ Pastorum studio, sed mercenariorum vice deserviunt; quia veniente lupo fugiunt, dùm se sub silentio abscondunt. Hinc namque eos per Prophetam Dominus increpat, dicens: Canes muti non valentes latrare. Hinc rursùm quæritur, dicens: Non ascendistis ex adverso, nec apposuistis murum pro domo Israël, ut staretis in prælio in die Domini. Ex adverso quippè ascendere, est pro defensione gregis voce liberâ hujus mundi potestatibus contraire. Et in die Domini in prælio stare, est pravis decertantibus ex justitiæ amore resistere. Pastori enim recta timuisse dicere, quid est aliud, quàm tacendo terga præbuisse? *S. Gregor. Papa l. regulæ pastoralis, part. 2 cap. 4 circa initium.*

Is. 56 v. 10.

Ezechiel. 13. v. 5.

Illi rectè tractant verbum veritatis, qui eo benè utuntur ad feriendum peccata; sicut miles scit benè tractare ensem, qui expeditè & prudenter pugnat in eo. Maledictus, qui prohibet gladium suum à sanguine. *Hugo de S. Charo, Cardinalis, in hæc verba 2 ad Timot. 2 v. 15.* Rectè tractantem verbum veritatis.

Jerem. 48. v. 10.

§. II.

Sanctas Scripturas doceat, non fabulas, non subtiliora, non curiosa, non incerta.

Sanctorum historiis ne nimis diù immorentur : quin potior pars .. Evangelio detur, & Epistolis explicandis. Quòd si fabulosa videbitur historia, ne attingat quidem: si verisimilis, leviter, eaque decerpat, quæ imitanda videantur. Miracula quoque ne impudentiùs jactentur, nisi quæ scripturis prodita, aut à non levibus scriptoribus summâ cum historiæ fide tradita fuerint. *Conc. Colonienſe I. an. 1536 part. 6 cap. 23.*

Præcipit sancta Synodus Episcopis . . . apud rudem . . . plebem difficiliores & subtiliores quæstiones, quæque ad ædificationem non faciunt, & ex quibus plerumquè nulla fit pietatis accessio, à popularibus concionibus secludantur. Incerta item, vel quæ specie falsi laborant, evulgari ac tractari non permittant. Ea verò, quæ ad curiositatem quamdam aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tanquam scandala & fidelium offendicula prohibeant. *Conc. Trident. Sess. 25 an. 1563 decret. de purgatorio, circa initium.*

Non enim plerisque similes sumus, qui veritatis doctrinam adulterant, ac vinum aquæ miscent, hoc est, doctrinam cor hominis exhilarantem cum vili & vulgari, humique serpentè & evanidâ, frustraque & temerè fluente, ut ipsi ex hac cauponandi ratione obiter aliquid elucrentur. *S. Gregor. Nazanz. orat. 1 num. 79 circa initium.*

Sermo presbyteri Scripturarum lectione conditus sit. *S. Hieron. ad Nepotianum, Epist. 34 aliàs 2 paulò post medium.*

Eadem . . quæ didicisti, doce; ut, cùm dicas novè, non dicas nova. *Vincentius Lirinensis, commonitor. circa medium*

Ezechiel. 33. *v.* 7. Audiens . . ex ore meo sermonem annuntiabis eis ex me: ut hoc dicat Sacerdos, quod ex divinâ lectione didicerit: quod illi Deus inspiraverit, non quod præsumptione humani sensûs invenerit. Annuntiabis eis, inquit, ex me. Ex me, non ex te mea verba loqueris, non est quòd in eis tanquam de tuis insleris. *De vitâ contemplativâ, lib. 1 cap. 20 paulò post medium, inter opera S. Prosperi, Bibliot. PP. Lugdun tom. 8.*

Ibidem.

Satis . . auditores possint proficere, si à Doctoribus suis, quod vident spiritualiter fieri, hoc sibi etiam simpliciter audiant prædicari. *Idem, ibidem cap 23 circa initium.*

Huc pertinet illud: Caupones tui vinum aquæ admiscent Quanquàm enim quibusdam videatur hoc de iis qui vinum cauponantur (ut juxta vocabuli sensum accipitur) dictum esse . . tamen disceptante veritate, de iis potiùs, qui divina oracula caupo rum in morem adulterant, intelligendum esse arbitror . . . siquidem puros ac limpidos Scripturæ sacræ sensus evanidis suis dogmatibus admiscentes, doctrinam adulterant. *S. Isidorus Pelusiota, Epistolarum lib. 3 epist.* 125 *Isidoro Diacono, circa initium, Bibliot. PP. Lugdun. tom.* 7.

Non igitur de corde tuo vaticinari præsumas, sed juxta sacri Eloquii doctrinam universa dis-

Psal 128. v. 169. cas & doceas, orans cum Prophetâ & dicens: Juxta eloquium tuum, Domine, da mihi intellectum; non suprà, non extrà, non contrà. *Petrus Blesensis, Epist.* 140 *ad Clericum Regis Angliæ, paulo post medium, Bibliot. PP. Lugd. tom.* 24

Qui ad veræ prædicationis verba se præparat, necesse est ut causarum origines à sacris

Paginis sumat; ut omne, quod loquitur, ad divinæ authoritatis fundamentum revocet, atque in eo ædificium suæ locutionis firmet. *S. Bonav. Pharetræ lib. 4 cap. 34 paulò post initium.*

§. III.

Captui auditorum se accommodet.

Quidam lactis alimoniâ opus habent, hoc est simplicioribus & elementalibus doctrinis, nimirùm qui puerili animi habitudine sunt, recensque, ut sic dicam, compacti, nec virilem sermonis cibum ferunt: quem si quis ipsis præter vires admoverit, ejus pondere oppressi fortasse atque obruti (animo ad id, quod transmissum est, attrahendum sibique accommodandum haud satis virium habente, quemadmodùm nec corpore in cibis materiâ constantibus pristinas etiam eorum vires labefactabit. Alii, quòd sensus ad verum à falso internoscendum ac secernendum exercitatos habeant, ac proindè sapientiâ eâ, quæ inter perfectos exponitur, sublimiorique & firmiori cibo indigeant, si quis lac illis propinet, oleribusque, hoc est, infirmiorum cibo eos alat, molesto animo id laturi sint: ac meritò sanè, utpotè nihil christiani roboris colligentes, nec laudabile illud augmentum capientes, quod sermo divinus affert, eum qui pulchrè alitur, in virum perficiens, atque ad spiritualis ætatis mensuram ducens. *S. Greg. Nazianz. orat. 1 num 78 initio.*

Pro qualitate .. audientium formari debet sermo Doctorum, ut & ad sua singulis congruat, & tamen à communis ædificationis arte nunquàm recedat. Quid enim sunt intentæ mentes auditorum, nisi, ut ità dixerim, quædam in citharâ tensiones stratæ chordarum, quas tangendi artifex, ut non sibimet ipsi dissimile can-

ticum faciat, dissimiliter pulsat? Et idcirco chordæ consonam modulationem reddunt, quia uno quidem plectro, sed non uno impulsu feriuntur. Undè & Doctor quisque, ut in unâ cunctos virtute charitatis ædificet, ex unâ doctrinâ, non unâ eâdemque exhortatione tangere corda audientium debet. *S. Gregor. Papa I. regulæ pastoralis, part. 3 prolog. circa medium.*

Prædicantis lingua cum audientis debet vitâ componi. *Idem, ibidem, cap. 2 aliàs cap. 26 admonit. 3 paulò ante medium.*

Sciendum.. est Prædicatori ut auditoris sui animum ultra vires non trahat; ne, ut ità dicam, dùm plus quàm valet tenditur, mentis chorda rumpatur. Alta enim quæque debent multis audientibus contegi, & vix paucis aperiri. Hinc namque per semetipsam veritas dicit: *Luc. 12. v. 42.* Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? Per mensuram quippè tritici exprimitur modus verbi; ne, cùm angusto cordi incapabile aliquid tribuitur, extrà fundatur. Hinc Paulus ait: Non *1. Cor. 3. v. 1 & 2.* potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Hinc Moyses *Exod. 34. v. 33.* à secreto Dei exiens coruscantem coram populo faciem velat, quia nimirum turbis claritatis intimæ arcana non indicat. Hinc per eum *Ibidem, v. 33 & 34.* divinâ voce præcipitur ut is, qui cisternam foderit, si operire neglexerit, corruente in eâ bove vel asino pretium reddat; quia ad alta scientiæ fluenta perveniens, cùm hæc apud bruta audientium corda non contegit, pœnæ reus addicitur, si per verba ejus in scandalum, sive munda sive immunda mens capiatur.... qui rectè prædicat, obscuris adhuc cordibus aperta clamat, nil de occultis mysteriis indicat, ut tunc subtiliora quæque de cœlestibus

audiant, cùm luci veritatis appropinquant. *Idem, ibidem, cap. 39 aliàs 63 initio.*

Hoc sanè scire debemus quòd Sacerdos aliis vestimentis induitur, dùm est in Sacrificiorum ministerio; aliis vero, cùm procedit ad populum: quod Paulus sapiens Sacerdos fecit in cœtu perfectorum, velut intra sanctos positus, stolam summæ doctrinæ indutus, dicens: Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam autem non hujus mundi. Et cùm vadit ad illos, qui incapaces sunt, mutat stolam, & inferiora docet, dicens: Lac vobis potum dedi, non escam. *Venerabilis Beda, supra Levitic. cap. 6 longè post initium.* 1. *Cor.* 2. v. 6. *Ibidem*; 3. v. 2.

Juxta varietatem materiæ vel personæ stilus sermonis & varietur; ait enim Apostolus: Sapientiam loquimur inter perfectos. Inter vos autem nihil judicavi me scire, nisi Christum Jesum, & hunc crucifixum. Et iterùm: Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Sapientibus quoque & perfectis ait veritas increata: Vobis datum est nosse mysteria regni Dei. E contrà rudibus & infirmis ait: Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Hinc ipsa prudenter injungit: Nolite sanctum dare canibus, nec margaritas mittatis ante porcos. Sed mundis animalibus estote similes, quæ ruminant pariter & ungulam findunt. Debet enim Prædicator habere vinum & oleum, virgam & manna, ignem & aquam, singula suo loco congruè proferenda. *Innoc. Papa* III. *Præfat. operum suorum, post medium.* 1. *Cor.* 2. v. 6. *Ibidem*, v. 2. 1. *Cor.* 3. v. 1 & 2. *Luc.* 8. v. 10. *Joan.* 16. v. 12. *Mat.* 7. v. 6. *Levitic.* 11. v. 4.

§. IV.

Sit ejus sermo non nimiùm comptus : sed gravis & ignitus.

Misit me Christus . . evangelizare . non in sapientiâ verbi, ut non evacuetur crux Christi. 1. *Cor.* 1. *v.* 17.

Veni non in sublimitate sermonis aut sapientiæ. . . . Et sermo meus & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritûs & virtutis. *Ibidem* 2 *v.* 1 & 4.

Adulterantes verbum Dei. 2. *Cor.* 2. *v.* 17.

Prædicatio christiana non indiget pompâ & cultu sermonis, ideòque piscatores homines imperiti electi sunt, qui evangelizarent; ut doctrinæ veritas ipsa se commendaret, teste virtute; ne hominum versutiâ & calliditate humanæ sapientiæ acceptabilis videretur, non veritate. *S. Ambr. in Epist. ad Corinthios* 1 *cap.* 1 *v.* 17. *ad illa verba* : Non in sapientiâ verbi, *initio.*

Docente te in Ecclesiâ, non clamor populi, sed gemitus suscitetur. Lacrymæ auditorum, laudes tuæ sint. Sermo Presbyteri Scripturarum lectione conditus sit. Nolo te declamatorem esse & rabulam garrulumque sine ratione, sed mysteriorum peritum, & sacramentorum Dei tui eruditissimum. *S. Hieron. ad Nepotianum epist.* 34 *aliàs* 2 *paulò post medium.*

Alii externæ operam dabant sapientiæ, tanquam hac ratione dogma stabilientes. Ostendit (Paulus) eam non solùm cruci non opem ferre, sed etiam eam exinanire. *S. Chrysostomus, in Epist. ad Corinthios* 1 *cap.* 14 *homil.* 36 *longè post initium.*

Neque . . eum sermonem laudaverim, qui

fastu tumidus externæ peritiæ jactantiam sequitur ; sed qui virtutis ac succi habeat plurimum , qui sensibus gravis sit , & sapientiâ plenus. Non ergo apparatu illi opus est ac pompâ dicendi , sed intelligentiâ ac viribus ad id , quod sentit , eloquendum idoneis. *Idem , in Epist. ad Timothæum 1 cap. 5 homil. 15 circa medium.*

Etsi imperitus sermone , sed non scientiâ. Undè datur intelligi , quòd non se debeat Ecclesiæ Doctor de accurati sermonis ostentatione jactare , ne videatur Ecclesiam Dei non velle ædificare , sed magis sed quantæ sit eruditionis ostendere. Non igitur in verborum splendore , sed in operum virtute totam prædicandi fiduciam ponat : non vocibus delectetur populi acclamantis sibi , sed fletibus : nec plausum à populo studeat expectare , sed gemitum. Hoc specialiter Doctor ecclesiasticus elaboret , quo fiant , qui audiunt eum , sanis disputationibus meliores , non vanâ assentatione fautores. Lacrymas , quas vult à suis auditoribus fundi , ipse primitùs fundat , & sic eos compunctione sui cordis accendat. Tam simplex & apertus , etiamsi minùs latinus , disciplinatus tamen & gravis sermo esse debet Pontificis , ut ab intelligentiâ sui nullos , quamvis imperitos , excludat. *De vitâ contemplativâ , lib. 1 cap. 23 paulò antè medium , inter opera S. Prosperi , Bibliot. PP. Lugdun. tom. 8.* 2. Cor. 11. v. 9.

Alia est ratio declamatorum , & alia debet esse ratio Doctorum. Illi elucubratæ declamationis pompam totis facundiæ suæ viribus concupiscunt ; isti sobrio usitatoque sermone Christi gloriam quærunt. Illi rebus inanibus pretiosa verborum induunt ornamenta; isti veracibus sententiis ornant & commendant verba simplicia. . . Illi totam laudem suam in favore vulgi ; isti in virtute Dei constituunt. Illi plausibiliter dicunt ,

& nihil auditoribus suis declamando proficiunt ; isti usitatis sermonibus docent , & imitatores suos instituunt , quia rationem suam nullâ fucatæ compositionis affectatione corrumpunt. *Idem , ibid. cap. 24 initio.*

Cùm sententiarum vivacitatem sermo ex industriâ cultus enervet , & totam vim dictorum splendor elaboratus evacuet , quis non judicet me affectationem compositionis debuisse contemnere , etiamsi eam potuissem velut dicendi peritus implere ? Quapropter ea mihi visa est compositio satis ornata , quæ conceptiones animi cum necessariâ quâdam perspicuitate proferret , non quæ illecebris aurium deserviret. .... prudentibus viris non placent phalerata , sed fortia , quandò non res pro verbis , sed pro rebus enuntiandis verba sunt instituta. *Idem , ibidem , lib. 3. cap. 34. Circà medium.*

Sermo. .... qui voluptate solâ & plausu terminatur , æris sonus est , magno strepitu aurem personans. Quarè aut sermonem tuum gravitate moderare , ac sermonis fastui ac pompæ mediocritatem antepone ; aut te cymbalum theatrorum scenæ accommodum esse scito. *S. Isidorus Peluſiota , Epiſtolarum , lib. 1. epiſt. 62. Theopompo monacho. Circà medium. Bicliot.* PP. *Lugdun. tom. 7.*

Ne recta quidem nimiè & inordinatè proferantur ; quia sæpè dictorum virtus perditur , cùm apud corda audientium loquacitatis incautâ importunitate levigatur : & authorem suum hæc eadem loquacitas inquinat , quæ servire auditoribus ad usum profectûs ignorat. ..... Undè Paulus quoque , cùm discipulum de instantiâ prædicationis admoneret , di-
2. *Tim.* 4 *v.* 1. & 2. cens : Testificor coram Deo & Christo Jesu , qui judicaturus est vivos & mortuos , per adventum ipsius & regnum ejus , prædica verbum , insta opportunè , importunè. Dicturus

importunè, præmisit opportunè : quia scilicet apud auditoris mentem ipsâ suâ vilitate se destruit, si habere importunitas opportunitatem nescit. *S. Grsgor. Papa I. Regulæ pastoralis, part. 2. cap. 4. aliàs cap. 15. Refertur distinct. 43. cap.* Sit Rector. *Sub finem.*

SECTIO TERTIA.

Quæ post concionem observanda.

PARAGRAPHUS UNICUS.

Nec ex auditorum conversione sibi Prædicator *blandiatur, nec propter eorum duritiem à prædicationis officio desistat.*

Si post nostram etiam admonitionem in iisdem vitiis perseveraverint, ne.... desistemus illis, quod rectum est, consulere, quandoquidem & aquarum venæ, etiamsi nullus veniat aquatum, manant tamen ; & fontes quamvis hauriat nemo, tamen scatebras emittunt ; & amnes, etiamsi nemo bibat, nihilosecius fluunt : sic oportet & illum, qui concionatur, quamvis nullus auscultet, tamen præstare quidquid in ipso situm est ; siquidem hæc lex nobis, qui sacri sermonis administrationem susccpimus, à benigno præscripta est Deo ne unquàm, quod quidem in nobis fuerit, facere defatigemur ; nec ullo tempore silcamus, sive sit qui auscultet, sive sit qui prætercurrat, negligens quod dicitur. Nam & Hieremias cum Judæis multa minitans, malaque imminentia prædicens ab audientibus subsannaretur, totoque die rideretur, cogitabat ab illâ prophetiâ desistere, nimirùm humano quodam affectu victus, sannas illas & convicia perpeti non valens, aitque : Factus sum ridiculus toto die, dixi : Non loquar, neque nominabo nomen Domini, & factus est in me *Jerem. 20. v. 8 & 9.*

velut ignis ardens atque æstuans in ossibus meis, ac dissolvor undiquè, & non possum ferre. Quod autem dicit, hunc habet sensum: Volebam, inquit, à prædictione desistere, propterea quòd non auscultabant Judæi; & simul atque hoc cogitassem, irruit in animam spiritûs vis, velut ignis, omniaque intima mea succendit, consumens insuper & exedens ossa mea, adeò ut incendium illud ferre non possem. Quod si Propheta, qui quotidiè ludibrio habebatur, quotidiè conviciis incessebatur, sic discruciatus est, eo quòd statuerat silere; quâ tandem nos veniâ digni censebimur, si qui nondùm tale quicquam perpessi sumus, tamen ob quorumdam negligentiam dejiciamus animum, & ab exhibendâ illis doctrinâ cessemus...? Non hæc loquor mei consolandi deliniendique gratiâ; nam meo quidem ipsius animo persuasi, quoad spiravero, & donec Domino visum fuerit nos in præsenti vitâ versari, hoc implere ministerium, sive quis attendat, sive non attendat, ut faciat ea, quæ præcipiuntur .... si decem modò persuasi fuerint, si quinque tantùm, si unus; nonne nobis hoc sufficit ad consolationem?... Non erexi quidem ægrotantes; attamen eos, qui valent, reddidi firmiores. Non abduxit quosdam à vitio sermo noster; sed tamen eos, qui cum virtute vitam agunt, reddidit attentiores... Hodiè non persuasi, sed cras fortassè persuadere potero..... qui hodierno crastinoque die contempsit, fortassis post dies complures præbebit animam iis, quæ dicentur. Quandoquidem & illud crebrò fit, ut piscator, qui per totum diem vacuum attraxit rete, sub noctem jàm abire parans, capto, qui ipsum per totum fefellerat diem, pisce discedat..... si agricola protinùs ab agricolatione resiliat, quòd semel atque iterùm aut sæpiùs acciderit æris inæqualitas, brevi

fame periremus omnes. Item si nauclerus ob semel atque iterùm aut sæpiùs obortam tempestatem fugiat mare, futurum est ut nemo vehatur pelago, atque hinc rursùm peribunt omnia vitæ commoda. Quòd si per singulas artes percurrens ista, quæ nos facere vis, suadeas moneasque, cuncta funditùs interibunt, terraque carebit incolis & habitatoribus. Itaque cùm hæc omnes sciant, etiamsi semel atque iterùm aut sæpiùs frustrati fuerint optato negotiorum, in quibus versantur, exitu; denuò pari cum alacritate redeunt ad eadem.... cùm illi tantam adhibeant curam studiumque circà res ad præsentis usum vitæ pertinentes, licèt exitus sit incertus; nos si loquentes non auditi fuerimus, illicò desinemus? Et quam obtinebimus veniam? Quid excusationis adferemus? Et tamen illis, si non successerit, nullus est qui damnum acceptum leniat? ... Nostra verò, cùm loquimur aut exhortamur, non est eadem conditio: imò si semen per te jactum auditor non receperit, nèc obedientiæ fructum retulerit, tu tamen communicati consilii mercedem fers à Deo, nec minùs accipies præmii non auditus, quàm accepturus eras, si ille obtemperasset. Quòd erat in te, præstitisti. Cœterùm ad id ut persuadeamus auditoribus non sumus obstricti, sed tantùm ut admoneamus. Nostræ quidem partes sunt admonere, illorum verò obtemperare ... Nihil aliud jubemur, quàm apud mensarios deponere pecuniam, loqui & consulere... cùm diabolus nunquàm desperet nostram perniciem, sed indesinenter eam expectet, nos fratrum salutem desperavimus? ..... An non vides parentes quomodo filiis suis, licèt frequenter desperatis, assident lacrymantes, lamentantes, exoscultantes, omnia quæ possunt admoventes ad supremum usque halitum? Hoc tu

quoque facito pro fratribus. Et tamen illi non possunt lacrymis ac lamentis neque morbum depellere, neque mortem imminentem abigere : tu verò frequenter poteris animam deploratam assiduitate instantiâque per lamenta revocare ac suscitare..... Christus..... non cessavit ad extremum usque corrigere illum, qui sibi non esset auscultaturus, non defatigatus est corrigendis iis, à quibus audiebatur, usque ad extremum. Itaque cùm sciret Judam non revocatum iri à proditione, non tamen cessavit assiduis consiliis, monitis, beneficiis, minis, demùm omni doctrinæ specie à proditione retrahere, nec destitit illum dictis ceu fræno cohibere. Hoc autem fecit nos instituens; ut, etiamsi præsciamus futurum ut fratres non obtemperent, tamen quidquid in nostrâ fuerit facultate præstemus, tanquàm paratâ nobis admonitionis nostræ mercede. *Sanct. Chrysost. de Lazaro, concion. 1. Paulò post initium.*

Hoc.... studiosi Præconis & diligentis agricolæ officium est, ut non priùs ab opere desistant, quàm, quod intendunt, effecerint. *Idem, in cap. S. Joannis 1. homil. 17. Longè antè medium.*

Quia verò pulvis inanis gloriæ pedibus Prædicatorum frequenter adhæret, debet utiquè prædicator excutere pulverem de pedibus suis, ipsosque compunctionis aquâ lavare, ut mundus sit totus, ne fortè, cùm aliis prædicaverit, ipse reprobus fiat. *Innoc. Papa III. Præfat. operum suorum. Longè post medium.*

Matt. 10. v. 14.

1. Cor. 9. v. 27.

Qui sensu cordis Domino militant, nullam in cunctis, quæ agunt, privatam quærunt laudem, nullosque de suis actibus humanæ æstimationis volunt fructus. Solam sui Conditoris appetunt laudem, solam Dei gloriam de suis laboribus expectant mercedem. Magnum putant consequi

consequi pietatis lucrum, si in se & per se Deum suum efficiunt laudabilem. *S. Laurent. Justinianus, de disciplinâ & perfectione monasticæ conversationis, cap. 10. num. 5. Circà medium.*

CAPUT XI.

Catechisandis rudibus operam dare.

ARTICULUS PRIMUS.

Doctrinæ Christianæ rudimenta plebi ac præsertim pueris & rudibus studiosè à Clericis sunt tradenda.

ERUDI illos, & cura illos à pueritiâ illorum. *Eccli. 7. v. 25.*

Si Evangelizavero, non est mihi gloria; necessitas enim mihi incumbit; væ enim mihi est, si non Evangelizavero *1. Cor. 9. v. 16.*

Enutritus verbis fidei & bonæ doctrinæ, quàm assecutus es.... hæc.... doce..... Hæc meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus. *1. Tim. 4. v. 6. 11 & 15.*

Præcepto divino mandatum... omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas... verbi.... divini prædicatione... pascere. *Concil. Trident. sess. 23 an. 1563. Decret. de reformatione, cap. 1. initio.*

Ut fidelis populus ad suscipienda Sacramenta majori cum reverentiâ atque animi devotione accedat, præcipit sancta Synodus Episcopis omnibus ut non solùm, cùm hæc per seipsos erunt populo administranda priùs illorum vim & usum pro suscipientium captu explicent, sed etiam idem à singulis Parochis piè prudenterque, etiam linguâ vernaculâ, si opus sit & commo-

dè fieri posſit, servari ſtudeant juxtà formam à ſanctâ Synodo in catecheſi ſingulis Sacramentis præſcribendam, quàm Epiſcopi in vulgarem linguam fideliter verti, atque à Parochis omnibus populo exponi curabunt. *Idem, ſeſſ. 24 eodem anno habitâ. Decret. de reformatione, cap. 7. initio.*

Parochi ſingulis Dominicis & aliis feſtis diebus.... pueris ſinguli in ſuis Parochiis initia fidei tradant, eoſque ad obedientiam primùm Deo, deindè parentibus præſtandam erudiant: ac propterèa à prandio ſtatâ horâ, proprio campanæ ſono ad id munus aſſignato, ad Eccleſiam convocandos curabunt. *Concil. Mediol. I. anno* 1565 *part.* 1 *titul.* 4 *de fidei initiis à Parocho tradendis. Initio.*

Quibus autem locis Sodalitas ejuſmodi inſtitui non poterit, in iis duo treſve homines ſaltem deligantur authoritate graviores, qui pro chriſtianâ pietate id ſollicitudinis ſuſcipiant, ut pueros adoleſcenteſve ad Parochum inducant, à quo in Eccleſiâ illi fidei rudimentis imbuantur. *Concil. Mediol. II. an.* 1569. *titul.* 1 *decret.* 2. *Paulò poſt medium.*

Epiſcopus..... ſtudeat quamplurimos cujuſvis conditionis, ſtatûs & ætatis homines probatos, tum mares tum feminas iis ſcholis doctrinæ videlicet chriſtianæ) adſcribi, adſcriptoſque operam illis navare, ut conceſſi indulgentiarum muneris participes ſint..... certa hora... ſtatuatur; ità ut neque Concionator à doctrinæ chriſtianæ ſcholis, neque hæ ab illo impediantur. Epiſcopus prætereà eam ineat rationem, ut & in hoſpitalibus, & in aliis piis locis, ubi plures, vel mares vel feminæ, curantur, aut aluntur, hoc tradendæ doctrinæ chriſtianæ inſtitutum introducatur, quo illi paſcantur hoc prætereà ſpirituali cibo. *Concil. Mediol.* III. *an.* 1573 *titul.* 2 *de ſcholis doctrinæ Chriſtianæ. Paulò antè medium.*

Præter eas (christianæ doctrinæ scholas) quæ parochialis Ecclesiæ loco institutæ sunt ... illæ instituantur in Ecclesiâ, Capellâ, Oratoriove illis (pagis videlicet aut vicis ab Ecclesiâ parochiali distantibus) propinquiori aut commodiori ... Si quandò præcereà in Diœcesi per pluviæ vim, nives, alioumve temporis gravitatem viæ aut itineris difficultati adjunctam ad ejusmodi scholas in parochiali Ecclesiâ, qui debent, convenire difficiliùs possunt..... Vicarii & Parochi cura sit, ut tunc in Oratoriis vel Capellis propinquioribus, aut saltem, si id non potest, alio honesto loco per Clericum idoneum, seu per alios scholæ sodales, ut vitæ & doctrinæ christianæ studio instructiores, aliqua tum tradendæ tum percipiendæ ejusmodi doctrinæ exercitatio fiat, ne ob ullam causam statis diebus hoc institutum atque pabuli spiritalis usus illis desit. Clerici quicunque Dominicis festisque diebus quâ horâ in Choro divinis Officiis concelebrandis astricti non sunt, Parochum, intrà cujus Parochiæ fines habitant, in doctrinæ christianæ scholis.... adjuvent .. ad præscriptum eorum, quibus id curæ ab Episcopo datum erit. *Concil. Mediol. IV. an.* 1576 *part.* 1 *titul.* 26 *de scholis doctrinæ christianæ. Circà initium.*

Ad ea... quæ de Deo ratione humanâ investigari possunt, necessarium fuit hominem instrui.... A cujus.... veritatis cognitione dependet tota hominis salus. *S. Thomas Aquin. part.* 1 *quæst.* 1 *art.* 1 *in corpore. Circà medium.*

In eo præcipuè ecclesiastici Doctoris opera versabitur, ut fideles scire ex animo cupiant Jesum Christum, & hunc crucifixum. *Catechis. Concil. Trid. præfat. num.* 13. *Circà medium.* 1 *Cor.* 2. *v.* 2.

ARTICULUS II.

Cur ſtudiosè & ſine tædio catechiſandis populis & præcipuè rudibus ac pueris vacare debent Clerici.

SECTIO PRIMA.

Ob exemplum Chriſti & Apoſtolorum, &c.

CIrcuibat Jeſus omnes civitates & caſtella; docens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium regni. *Matth. 9. v. 35.*

Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire; talium eſt enim regnum Cœlorum. *Ibidem, 19. v. 14.*

Et offerebant illi parvulos, ut tangeret illos. Diſcipuli autem comminabantur offerentibus. Quos cùm videret Jeſus, indignè tulit & ait illis: Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos; talium eſt enim regnum Dei. *Marc. 10. v. 13 & 14.*

Dicit Simoni Petro Jeſus: Simon Joannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam, Domine, tu ſcis quia amo te. Dicit ei: Paſce agnos meos. *Joan. 21. v. 15.*

Vos ſcitis .... quomodò nihil ſubtraxerim utilium, quominùs annuntiarem vobis, & docerem vos publicè & per domos. *Act. 20. v. 18 & 20.*

Non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed .... Tanquam parvulis in Chriſto, lac vobis potum dedi, non eſcam; nondùm enim poteratis, ſed nec nunc quidem poteſtis. *1. Cor. 3. v. 1 & 2.*

Cùm liber eſſem ex omnibus, omnium me ſervum feci, ut plures lucrifacerem. Et factus

sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucri facerem: iis, qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (cùm ipse non essem sub lege) ut eos, qui sub lege erant, lucri facerem; iis, qui sine lege erant, tanquam sine lege essem (cùm sine lege Dei non essem; sed in lege essem Christi) ut lucrifacerem eos, qui sine lege erant. Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos. 1. *Cor.* 9. *vv.* 19. 20. 21. & 22.

Facti sumus parvuli in medio vestrûm, tanquam si nutrix foveat filios suos. 1. *Thessal.* 2. *v.* 7.

Ipse, si miseris (infantulum) & magistrum me & nutritium spondeo. Gestabo humeris, balbutientia senex verba formabo. *S. Hieron. Epist.* 75. *aliàs* 7. *ad Lætam, in fine.*

O piissime Jesu, quis ultrà post te verecundabitur esse humilis ad parvulos? Quis tumescens & elatus de suâ vel magnitudine vel scientiâ parvitatem deinceps parvulorum, ignorantiam vel imbecillitatem audebit aspernari, quandò tu, qui es Deus benedictus in sæcula; In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi, usque ad castissimos parvulorum amplexus beata brachia mansuetè inclinas atque circumligas? Procul ergo, procul ex hinc omnis elatio, seorsùm sit indignabunda quælibet parvulorum effugatio..... Confundit pridem ipse Christus superbiam nostram, quæ non vult, nisi multos habeat auditores, os suum aperire sapientiæ; quandò cum mulierculâ Samaritanâ & solâ diuturno sermone confabulatus est. Eos sapientiæ verbis confidens exhortabor ut, si quis parvulus est, veniat ad me, nihil trepidet, nihil exhorreat. Audiat, quisquis ille erit, bona saltem quædam monita ex ore meo: Si idipsum arrogo mihi, jure meo id possum, non in me,

Rom. 9. *v.* 5. *Ad Coloss.* 2. *v.* 7.

Proverb. 9. 1. 4.

Proverb. 1. v. 2. sed in Domino. . . . . Ad extremum : Usquequò parvuli diligitis infantiam ? Ut quid diligitis vanitatem , & quæritis mendacium ? Venite fidenter , nullæ viarum insidiæ , nullus latet anguis in herbâ. Communicabimus mutuò bona spiritualia , quia temporalia vestra nulla requiro. Ego vobis doctrinam , vos mihi orationem impendetis , imò orabimus pro invicem ut salvemur. Sic Angelos nostros vicissim lætificabimus . . . sic . . . . . misericordiam inveniemus apud Patrem nostrum , dùm obediemus voci suæ in accessu nostro ad eum , ego provocando , vos exequendo. . . . . qui spiritu parvuli esse debemus. . . Invitat ipse Jesus spirituali collocutione & affatu jugiter inspirans , & dicens : Sinite parvulos venire ad me. *Joannes Gerson. Tract. de parvulis trahendis ad Christum , considerat.* 4. *Longè antè medium.*

Psal. 4. v. 3.

Marc. 10. v. 14.

Si ipsa æterni Patris Sapientia in terrâ descendit , ut in carnis nostræ humilitate cœlestis vitæ præcepta nobis traderet , quem non compellat charitas Christi , ut parvulus fiat in medio fratrum suorum , & tanquam nutrix fovens filios suos. *Catechism. Concilii Tridentini , præfat. num.* 18. *Circà medium.*

1. Thessal. 2. v. 7.

SECTIO SECUNDA.

Ob præstantiam operis.

Josaphat. . . . . misit de principibus suis. . . ut docerent in civitatibus Juda , & cum eis Levitas. . . . &. . . Sacerdotes , docebant que populum in Juda habentes librum legis Domini , & circuibant cunctas urbes Juda , atque erudiebant populum. 2. *Paralip.* 17. *vv.* 1. 7 8 & 9.

Qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo , me suscipit. . . . Videte ne condemnatis unum ex his pusillis. *Matth.* 18. *v.* 5. & 10.

Portio Ecclesiæ non vilis est puerorum & adolescentium cœtus..... talium enim est regnum Cœlorum. *Joan. Gersonius, Tractat. de parvulis trahendis ad Christum. Prolog. Circà initium.* *Marc. 10. v. 14.*

Quìs nesciat primitias florentis ætatis sicut & in plantis & vineis & rebus cœteris acceptiores existere, ac proindè obsequia parvulorum gratiora esse, quàm senum debilitatorum, qui non vitia deserunt, sed à vitiis relinquuntur.... Planè non video quid de sathanisante juvene sperandum sit in senectute, quandò perversis inclinationibus accesserit perversior consuetudo..... Parvuli.... apti sunt ad accipienda bonorum studiorum exordia.... Utres sunt recentes pro liquoribus optimis. Novellæ prætereà plantationes, quæ sequuntur leviter, quò ducentis manus deflexerit..... Esse quoque poterunt aliorum Doctores instructoresque commodissimi, maximè domesticorum. *Idem, ibidem, consider. 1. Paulò post initium.*

At.... qui ponunt scandalum non immediatè & apertè antè pusillorum pedes, sed velut à latere... ductoribus eorumdem & instructionibus insidiantur, eos subsannant, & infamant, & calumniantur..... Hæc est vulpina imò diabolica callidìtas, quæ ex obliquo insidians, & mordens ut coluber, non finit parvulos venire ad Christum. In quâ peste minùs est remedii, quàm in primâ, quantò minùs expelli potest hostis occultus, quàm apertus... O quis capiet nobis has vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas, & florentem hortum Ecclesiæ calcant..... Conculcatio certè florum quorumlibet pulcherrimorum, & evulsio salubrium plantationum, & quod rarissimus cultor accedit, quin culpetur. *Idem, ibidem, consider. 2. Longè post medium.* *Cantic. 2. v. 15.*

Si opportunè & importunè diebus festivis &

profestis extrahet aliquis bovem & asinum à foveâ & luto, & non prohibetur; quâ ratione coarguitur aliquis tanquam importunus & stolidus, si jugi studio, omnique tempore trahere conetur animas ad Christum . . vinctas in mendicitate & ferro? *Idem, ibidem, consider.* 3. *Paulò post initium.*

Jàm indignum videtur apud multos, si quis ex Theologis aut famatus in litteris, vel ecclesiasticâ dignitate præditus, ad hoc se opus inclinaverit, præsertim circà parvulos..... nescio prorsùs, si quidquam majus esse potest... quàm, Deo dante virtutem, à faucibus canis infernalis, & ab ipsis gehennæ portis animas eripere, & tales parvulorum animas quasi plantare aut rigare partem non indignam horti ecclesiastici.... ut eis det incrementum Christus. *Idem, ibid. consider.* 4. *Circà initium.*

SECTIO TERTIA.

Ob indigentiam populorum.

Cùmque interrogaverit te filius tuus... dices ei... Eduxit nos Dominus de Ægypto in manu forti ... præcepitque nobis... ut faciamus omnia legitima hæc, & timeamus Dominum Deum nostrum. *Deuter. 6. vv. 20. 21 22 & 24.*

Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi; majores tuos, & dicent tibi. *Ibid. 32. v. 7.*

Patres nostri narraverunt nobis. Non sunt occultata à filiis eorum..... Narrantes laudes Domini, & virtutes ejus, & mirabilia ejus, quæ fecit. *Psal. 77. vv. 3. 4. & 5.*

Adhæsit lingua lactentis ad palatum ejus in siti: parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. *Thren. 4. v. 4.*

Docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. *Matth. 28. v. 19 & 20.*

Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te, solum Deum verum; & quem misisti Jesum Christum. *Joan. 17 v. 3.*

Revelatur enim ira Dei de Cœlo super omnem impietatem & injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitiâ detinent. *Rom. 1. v. 18.*

Fides ex auditu; auditus autem per verbum Christi. *Ibid. 10. v. 17.*

Non fallebatur ergo, sed circumspectissimè considerabat, qui affirmavit, reparationem morum ecclesiasticorum si quæratur fieri, inchoandum esse à parvulis. *Joan. Gerson. Tractat. de parvulis trahendis ad Christum, consider. 1. Post medium.*

Sunt enim, qui ... diabolicâ perversitate socios, quot possunt, facinoribus suis accumulant, quasi scilicet ad nihil aliud intendere videantur, quàm ne soli pereant, aut ne parùm comitati detrudantur in infernum..... nostrâ tempestate plus solito sensus & cogitatio hominis prona sunt ad malum ab adolescentiâ, quandò eum primariâ corruptione naturæ sugunt parvuli quasi lac personalem, ut sic loquar, saniem peccatorum. Adde quòd multorum parentum & magistrorum cura vel nulla vel ultima est de parvulorum suorum moribus, & eorum disciplinatâ custodiâ. Quid ergo stupendum, si absque ductore positi in viâ lubricâ & tenebrosâ.... cadunt ex facili. *Idem, ibid. consider. 2. Longè antè medium.* *Gen. 8. v 21.*

Quòd si tantâ sollicitudinis inquietudine.... per media vitæ pericula quærunt homines salvare res vanas jamjam perituras; si colligere satagunt viles terrenarum opum sarcinulas, quas Apostolus arbitratur ut stercora; & dùm hæc agunt, laudantur.... quanta est vel inertia vel infidelitas de animarum immortalium salute non curare Christianos; imò qualis est *Philip. 3. v 8.*

illa imprudentissima perversitas eos inculpare? qui parvulos ducere satagunt ad Christum, ne corruant in baratrum? .... spirituales domus Dei, Templa & Sacraria Spiritûs sancti viventia... passim succenduntur rapacibus & infernalibus flammis omnium vitiorum; & opitulari nostra lentescet inertia? *Idem, ibidem, consider.* 3. *Pauli post initium.*

Semper meminerint (Pastores) omnem christiani hominis scientiam hoc capite comprehendi... ut cognoscant te, solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum. Quamobrem in eo præcipuè ecclesiastici Doctoris opera versabitur, ut fideles scire ex animo cupiant Jesum Christum & hunc crucifixum, sibique certò persuadeant atque intimâ cordis pietate & religione credant aliud nomen non esse datum hominibus sub Cœlo, in quo oporteat nos salvos fieri, siquidem ipse propitiatio est pro peccatis nostris. *Catechismus Concilii Tridentini, Præfat. num.* 13. *initio.*

can. 17 *v.* 3.

1. *Cor.* 2. *v.* 2.

Act. 4. *v.* 12.

SECTIO QUARTA.

Ob præmia catechizantibus promissa.

De fructu oris sui unusquisque replebitur bonis. *Proverb.* 12 *v.* 14.

Erudi filium tuum, & refrigerabit te; & dabit delicias animæ tuæ. *Ibidem* 29 *v.* 17.

Reddidit justis mercedem laborum suorum, & deduxit illos in viâ mirabili, & fuit illis in velamento diei, & in luce stellarum per noctem *Sap* 10. *v.* 17.

Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. *Eccli.* 24 *v.* 31.

Si tu annunciaveris impio, & ille non fuerit conversus ab impietate suâ & à viâ suâ impiâ; ipse quidem in iniquitate suâ morietur, tu autem animam tuam liberasti.... Si autem tu an-

nuntiaveris justo, ut non peccet justus & ille non peccaverit, vivens vivet, quia annuntiasti ei, & tu animam tuam liberasti. *Ezechiel.* 3. *v.* 19. & 21.

Fulgebunt... qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. *Daniel.* 12 *v.* 3.

Quandiù fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. *Matth.* 25 *v.* 40.

Jesus apprehendit puerum, & statuit illum secus se, & ait illis; Quicunque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit. *Luc.* 9 *v.* 47 & 48.

Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem. Dei enim sumus adjutores. 1. *Cor.* 3 *v.* 8 & 9.

Attende tibi & doctrinæ: insta in illis; hoc enim faciens & teipsum salvum facies, & eos qui te audiunt. 1. *Timot.* 4 *v.* 16.

Bonum certamen certavi, cursum consummavi.... in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus... justus judex. 2. *Timot.* 4 *v* 7 & 8.

Si... magnæ mercedis est à morte eripere carnem quandoquè morituram, quanti est meriti à morte animam liberare in cœlesti patriâ sine fine victuram? S. *Gregor Papa I. Moralium, lib.* 19 *in cap.* 29. *Beati Job cap.* 20 *num.* 31. *Paulò post medium.*

Noli diffidere; curam exigeris, non curationem.... audisti: Curam illius habe; & non, est... Cura, vel Sana illud .... fac tu, quod tuum Planta, riga, fer curam, & tuas explevisti partes. Sanè incrementum, ubi volverit, dabit Deus, non tu. Ubi fortè noluerit, tibi deperit nihil, dicente scripturâ: Reddet Deus mercedem laborum Sanctorum suorum. *S. Bernard. de consider. lib.* 4 *cap.* 2. *Paulò post initium.* *Luc.* 10. *v.* 35. *Sap.* 10. *v.* 27.

Duplex retributio Doctoribus. *Glossa ord.*

In hæc verba Cantic. 8 *v.* 13. Quæ habitas: Accipite, & estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter & utiliter impleveritis officium vestrum, partem cum iis, qui verbum Dei benè administraverunt ab initio. *Pontifical. Roman. de ordinat. Lectorum.*

ARTICULUS III.

Quomodò doctrina christiana rudibus ac pueris est tradenda?

SECTIO PRIMA.

Clarè & accommodatè ad captum eorum.

CUm venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi. 1. *Corinth.* 2 *v.* 1.

In Ecclesiâ volo quinque verba sensu meo loqui, ut & alios instruam, quàm decem millia verborum in linguâ. *Ibid.* 14 *v.* 19.

Filioli mei, quos iterùm parturio, donec formetur Christus in vobis. Vellem autem esse apud vos modò & mutare vocem meam. *Galat.* 4 *v.* 19 & 20.

Diebus saltem Dominicis & Festis solemnibus plebes sibi commissas pro suâ & earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate & facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeant. *Concil. Trident. sess.* 5 *an.* 1546. *Decret. de reformatione, cap.* 2. *Paulò post initium.*

Qui pro captu suo apti sunt majori eruditio-

ni, aut pro ratione ſtatûs ſui explicatiùs & pleniùs univerſam doctrinam chriſtianam diſcere debent, præſtent quod debent. .... Parochi aliique, ad quos illam docere ſpectat. *Concil. Mediol. V. an.* 1579 *part.* 1 *titul.* 2. *Quæ ad prædicationem verbi Dei & doctrinam chriſtianam pertinent. Multò poſt medium.*

Fœneratur, quidem latinè dicitur, & qui dat mutuum, & qui accipit : planiùs hoc autem dicitur, ſi dicamus, fœnerat. Quid ad nos, quid grammatici velint ? Meliùs in barbariſmo noſtro vos intelligitis, quàm in noſtra diſertitudine vos diſerti eritis. *S. Aug. in Pſal.* 36 *ſerm. ſerm.* 3 *num.* 6 *in hæc verba. v.* 26. Totâ die miſeretur & fœneratur.

Nolim te moveri ex eo quod ſæpè tibi abjectum ſermonem faſtidioſumque habere viſus es ; fieri enim poteſt ut ei, quem inſtruebas, non ità ſit viſum ... Nam & mihi propè ſemper ſermo meus diſplicet. .... Nos plerumquè in auditoris utilitatem vehementer ardentes ità loqui volumus, quemadmodùm tunc intelligimus. .... & quia non ſuccedit, angimur. .... Sed mihi ſæpè indicat eorum ſtudium, qui me audire cupiunt, non ità eſſe frigidum eloquium meum, ut videtur mihi, & eos indè aliquid utile capere ex eorum delectatione cognoſco. .... Sic & tu .., debes intelligere non ità diſplicere aliis ſermonem tuum, ut diſplicet tibi : nec infructuoſum te debes putare. .... nulla major cauſa eſt, cur nobis in imbuendis rudibus noſter ſermo vileſcat, niſi quia libet inuſitatè cernere, & tædet uſitatè proloqui. *S. Aug. de catechiſandis rudibus, cap.* 2 *num.* 2. *Circà initium.*

Non tamen (catechiſando) ... cor noſtrum & lingua in nodos difficilioris diſputationis excurrat. *Idem, ibidem, cap.* 6 *num.* 10. *Circà finem.*

Cùm occupata ſunt tempora, vel tua, vel

eorum, qui te audiunt, breviter agas; cùm autem largiora, largiùs eloqueris. *Idem, ibidem, cap. 7 num. 11. Circà finem.*

Ne sordeat eis (qui docentur) solidum eloquium, quia non est inflatum..... ut.. malle debeant veriores, quàm distortiores audire sermones ... noverint etiam non esse vocem ad aures Dei, nisi animi affectum. *Idem, ibidem, cap. 9 num 13. Antè medium.*

Quantumvis.. differat articulata vox nostra ab intelligentiæ nostræ vivacitate, longè dif-
Philip. 2. ferentior est mortalitas carnis ab æqualitate Dei.
v. 7. Et tamen.. semetipsum exinanivit... Quam ob causam, nisi quia factus est infirmis infirmus, ut infirmos lucrifaceret? Audi ejus imitatorem alibi etiam dicentem: Sive enim mente excessi-
2. Cor. 5. mus, Deo; sive temperantes sumus, vobis:
v. 13. charitas enim Christi compellit nos, judicantes
2. Cor. 12. hoc, quia unus pro omnibus mortuus est. Quo-
v. 15 modò enim paratus esset impendi pro animabus
1. Thessal. eorum, si eum pigeret inclinari ad aures eo-
2. v. 7. rum? Hinc ergo factus est parvulus in medio nostrùm, tanquam nutrix fovens filios suos. Num enim delectat, nisi amor invitet, decurtata &
Matth. 23. mutilata verba immurmurare? ... Non ergo re-
v. 37. cedat de pectore etiam cogitatio gallinæ illius, quæ languidis plumis teneros fœtus operit, & susurrantes pullos confractâ voce advocat. *Idem, ibidem, cap. 10 num. 15. Antè medium.*

In catechisandis rudibus... via tritissima tenenda est. *Idem, ibidem, cap. 11 num. 16. Paulò post initium.*

Omnia sermone tentanda sunt, quæ ad eum excitandum & tanquam de latebris eruendum possint valere..... agendum.. ut aut planiùs & enodatiùs loquamur.. aut ea, quæ illi nota sunt, non explicemus latiùs, sed breviter complicemus, eligamusque aliqua ex his, quæ mystice dicta sunt in sanctis Libris.... Quòd si

nimis tardus est.... misericorditer sufferendus est breviterque... ea, quæ necessaria sunt.... inculcanda sunt. *Idem, ibidem, cap.* 13 *num.* 18. *Paulò post initium.*

Volo cogites aliam esse intentionem dictantis... aliam loquentis... aliam in secreto monentis... aliam palàm docentis.... aliam, cùm docetur unus... aliam, cùm omnes communiter. *Idem, ibid cap.* 15 *num.* 23. *Circà initium.*

Paulus..... omnibus omnia factus est, pro audientium capacitate & præcipiens moralia, & differens mystica. In hac duplici materiâ velut duo ubera porrigit, doctrinæ planioris lactea ubera parvulis temperans. Interna compassio ubera quidem habet, sed coaptatio foris ubera exhibet. Illa miseretur, sed istia medetur Quid enim prodest, si tantùm compateris, & infirmitati & quasi infantiæ meæ contemperare te commodè nescis?... Utraque necessaria est, & compassio, & quædam disciplinæ & doctrinæ compositio. Compassio affectum conformat, compositio te ad lactandum parvulos utiliter incurvat. *Gillebertus de Hollandiâ Abbas, in canticâ serm* 27 *num.* 1. *Circà finem. Apud S. Bernardum, tom.* 5.

Utinam istud attendant, qui..... studeant magis alta quàm apta dicere, facientes apud infirmas intelligentias miraculum sui, non ipsorum salutem operantes. Erubescunt humilia & plana docere, ne sola hæc scisse videantur. Erubescunt ubera habere, nudare mammam, lactare parvulos. Quid istud est? Ideòne confedisti in medio... ut scientiam jactes, an ut teneram subditorum lactes infantiam? *Idem, ibidem, num.* 2. *initio.*

Non est.. in ornatis sermonibus... insistendum. Ad quod etiam Hieronymi doctrinâ inducimur, dicentis: Sermo rudis usque ad cor penetrat, politus autem pascit aures. *S. Bonav.*

in proœmio meditationum vitæ Christi. Longè post medium

Contemperemus. .. sermonem pro parvulis, non magnoperè pensantes rudia & vulgata verba, si opus est balbutire more nutricum & matrum blæso ore sermonem cum parvulis dimidiantium, dummodò sic intelligatur illud, quod dicere volumus, satis est. *Joannes Gersonius, Tractat. de parvulis trahendis ad Christum, prolog. Circà medium.*

Si prodesse voluero. .... ad sublevandum jacentes, altiorem me deprimam necesse est .. majestatem oportet omnem exuere, & pro parvulis parvulum se facere .... asserunt me in prædicationibus publicis ista magnificentiùs operaturum. Id quidem fortè pomposiùs, sed meo judicio non efficaciùs neque fructuosiùs. *Idem, ibidem, considerat. 4 Circà medium.*

Cùm in omni re tradendâ plurimùm intersit, utrùm hoc an illo modo aliquid doceas; tùm verò hoc in christiani populi institutione maximi momenti existimandum est. Observanda est enim audientium ætas, ingenium, mores, conditio; ut, qui docendi munus exercet, omnia omnibus efficiatur, ut & omnes Christo lucrifaciat, & seipsum fidelem ministrum & dispensatorem probare possit, ac veluti servus bonus & fidelis dignus sit, qui super multa constituatur. *Catechism. Concilii Trid. Præfat. num. 16 initio.*

1. *Cor.* 9. v. 19. *Matth.* 25. v. 23.

Neque.... arbitretur, ut præscriptâ quâdam & certâ docendi formulâ erudire atque ad veram pietatem instituere atquè omnes fideles possit: sed cùm alii veluti modo geniti infantes sint, alii in Christo adolescere incipiant, nonnulli verò quodammodò confirmatâ sint ætate, necesse est diligenter considerare quibus lactè, quibus solidiore cibo opus sit.... Id verò Apostolus in se ipso omnibus observan-

1. *Petr.* 2. v. 2. 1. *Cor.* 3. v. 2.

dum indicavit, cùm dixit se Græcis & Barbaris, sapientibus & insipientibus debitorem esse, ut videlicet intelligerent, qui ad hoc ministerium vocati sunt... in tradendis fidei mysteriis ac vitæ præceptis doctrinam ad audientium sensum atque intelligentium accommodari oportere. *Ibidem, num.* 17. *initio.* *Rom.* 1. v. 14.

Neque verò cujusquam studium in docendo retardari debet, propterea quòd interdùm necesse sit auditorem earum rerum præceptis instrui, quæ leviores & humiliores videntur... nam.... ipsa æterni Patris Sapientia in terras descendit, ut in carnis nostræ humilitate cœlestis vitæ præcepta nobis traderet. *Ibid. num.* 18. *Initio.*

SECTIO SECUNDA.

Patienter & benignè.

Bene patientes erunt ut annuntient. *Psal.* 91 *v.* 15. *&* 16.

Qui misericordiam habet, docet & erudit quasi pastor gregem suum. *Eccli.* 28 *v.* 13.

Filioli mei, quos iterùm parturio, donec formetur Christus in vobis. *Gal.* 4 *v.* 19.

Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto; vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis. *Galat.* 6 *v.* 1.

Tu autem, ô homo Dei, hæc fuge; sectare verò justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem. 1. *ad Timot.* 6 *v.* 11.

Omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. *Ad Tit.* 3 *v.* 2.

Quòd si nimis tardus est, & ab omni tali suavitate absurdus & aversus, misericorditer sufferendus est, breviterque decursis cæteris ea, quæ maximè necessaria sunt.... inculcanda sunt... magisque pro illo ad Deum, quàm illi

de Deo multa dicenda. *S. Aug. de catechisandis rudibus, cap. 13 num. 18 in fine.*

Si de errato nostro vel peccato nos mœstitudo comprehendit, non tantùm memineramus
Psal. 50. v. 19. Sacrificium Deo spiritum esse contribulatum, sed etiam illud: Quia, sicut aqua ignem, sic
Eccli. 3. v. 33. eleemosyna extinguit peccatum. Et: Quia misericordiam, inquit, volo quàm Sacrificium. *Idem,*
Osee. 6 v. 6. *ibid. cap. 14 num. 22. initio.*

Omninò propter mansuetudinem, quæ in te prædicatur, currimus post te, Domine Jesu, audientes quòd non spernas pauperem peccatorem non horreas. *S. Bernard. in cantica, serm. 22 num. 8. Longè antè medium.*

Discite... matres vos esse debere... matres fovendo.... mansuescite... producite ubera: pectora lacte pingueſcant, non typho turgeant. *Idem, in cantica serm. 23 num. 2. Post medium.*

Matth. 23. v. 37. Christus... in congregandis animabus comparavit se gallinæ, quâ nullum aliud animal erga fœtus suos (ut Augustinus ait) magis infirmatur pietate; dimittuntur alæ, plumæque hirtæ fiunt, rauceſit vox querula, obliviscitur ipsa cibi, & incredibili suprà vires animositate pullos tuetur. Et nos, qui Christi sectatores dici volumus, in hoc opere torpescemus, observabimus tempora, mensibus totis quiescemus? *Joannes Gersonius, Tract. de parvulis trahendis ad Christum, consider. 3. Multò post initium.*

Vult (Apostolus) aliorum instructores esse
Galat 6 v. 1. spirituales, & spiritu lenitatis præditos..... sicubi deest amor, quod proderit instructio, dùm nec libenter audient, nec dictis credent, nec imperatis obedient? Quarè majestatem oportet omnem exuere, & pro parvulis parvulum se facere, seclusis tamen vitiis, & projectâ longè omnis impudicitiæ notâ. Habet... hoc proprium generosa indoles, quod & irra-

tionabiles & bestiæ & aves docent, ut blanditiis quàm terroribus magis capiatur deflectaturque..... nihil ità efficax ad correctionem emendationemque multorum repertum est, quemadmodùm est lenitas..... Quis egregium Doctorem Augustinum tanquam sydus aliquod benevolum acquisivit Ecclesiæ? Ambrosius. Quâ virtute? Utique benevolentiâ & mititate..... O piissime Jesu, quis ultrà post te verecundabitur esse humilis ad parvulos? Quis tumescens & elatus de suâ vel magnitudine vel scientiâ parvitatem deinceps parvulorum, ignorantiam, vel imbecillitatem audebit aspernari; quandò tu, qui es Deus benedictus in sæcula, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi, usque ad castissimos parvulorum amplexus beata brachia mansuetus inclinas, atque circumligas? *Idem, ibid. consider. 4. Paulò post initium.* *Rom. 9. v. 5. Coloss. 2. v. 3.*

SECTIO TERTIA.

Cum gaudio & perseverantiâ.

Sermo.... habeat.... finis modum; sermo enim tædiosus iram excitat. *S. Ambros. de officiis Ministrorum, libr. 1 cap. 22 num. 100. Circà medium.*

Neque nimiùm prolixus... ne vel fastidium derelinquat, vel desidiam prodat atque incuriam *Idem, ibidem, num. 101. Circà med.*

Multò gratiùs audimur, cùm & nos eodem opere delectamur: afficitur enim filum locutionis nostræ ipso nostro gaudio, & exit facilius atque acceptius.... Sed.... ut gaudens quisque catechiset... ea cura maxima est.... Si enim in pecuniâ corporali, quantò magis in spiritali hilarem datorem diligit Deus? Sed hæc hilaritas ad horam, ut adsit, ejus est misericordiæ, qui ista præcepit. *S. Aug. de ca-* *1. Cor. 9. v. 7.*

techisfundis rudibus, cap. 2. num. 4. Paulò post medium.

Si... causa illa contristat, quòd intellectum nostrum auditor non capit, à cujus cacumine quodammodò descendentes cogimur in syllabarum tarditate demorari..... & ... tædet loqui, & libet tacere: cogitemus quid nobis prærogatum sit ab illo, qui demonstravit nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus..... Num enim delectat, nisi amor invitet decurtata & mutilata verba immurmurare? Et tamen optant homines habere infantes, quibus id exhibeant. *Idem, ibidem, cap. 10. num. 15. initio.*

1. Petr. 2. v. 21. Lectio... quæ nos delectat, aut aliqua auditio melioris eloquii, ut eam promendo sermoni nostro præponere volentes, cum pigritiâ vel tædio loquamur, alacriores nos suscipiet, jucundiorque præstabitur post laborem; & majore fiduciâ deprecabimur, ut loquatur nobis Deus quomodò volumus, si suscipiamus hilariter, ut loquatur per nos quomodò possumus: ità fit ut diligentibus Deum omnia concurrant in bonum. *Idem, ibidem, cap. 11 num. 16. in fine.*

Si usitata & parvulis congruentia sæpè repetere fastidimus; congruamus eis per fraternum, paternum, maternumque amorem & copulatis cordi eorum etiam nobis nova videbuntur..... delectari nos oportet, cùm ipsum Deum jàm discere homines accedunt, propter quem discenda sunt, quæcumque discenda sunt... Huc accedit ad comparandam lætitiam, quòd cogitamus & consideramus; de quâ erroris morte in vitam fidei transeat homo. Et si vicos usitatissimos cum beneficâ hilaritate transimus, quandò alicui fortè, qui errando laboraverat, demonstramus viam, quantò alacriùs & cum gaudio majore in doctrinâ salutari.... perambulare debemus, cùm animam miserandam & erroribus sæculi fatigatam per itinera pacis....

deducimus ? *Idem , ibidem , cap. 12. num. 17. initio.*

Multùm eſt perdurare in loquendo uſque ad terminum præſtitutum , cùm moveri non videmus audientem..... ſive dicta non intelligat , ſive contemnat. *Idem , ibidem , cap. 13. num. 18 initio.*

Sæpè etiam fit ut , qui primò libenter audiebat , vel audiendo vel ſtando fatigatus , non jàm laudans ſed oſcitans labia diducat , & ſe abire etiam invitus oſtendat. Quod ubi ſenſerimus , aut renovare oportet ejus animum , dicendo aliquid honeſtâ hilaritate conditum & aptum rei , quæ agitur , vel aliquid valdè mirandum & ſtupendum , vel etiam dolendum atque plangendum.... animadverſo auditoris tædio..... acceleranda ſunt cœtera , & promittendus atque exhibendus finis propinquior. *Id. ibid. num. 19. initio.*

Si... confregit animum tuum alterius actionis , cui tanquam magis neceſſariæ jàm ſuſpenſus eras , omiſſio ; & propterea triſtis inſuaviter catechiſas ; cogitare debes.... incertum eſſe quid utilius agamus , & quid opportunius aut intermittamus , aut omninò omittamus. *Idem , ibidem , cap. 14 num. 20. initio.*

Non... ſcandalum nos contriſtat alicujus , niſi quem perire , aut per quem perire infirmum vel credimus , vel videmus. Ille igitur , qui initiandus advenit , dùm ſperatur poſſe proficere , dolorem deficientis abſtergat. *Idem , ibidem , num. 21. Paulò antè medium.*

Vivus planè & efficax ſermo , ubi non perfunctoriè , non uſurpatoriè , non velut quodam uſu loquendi , vel arte perſuadendi , ſed ex pinguedine , ut dignum eſt , devotionis & purâ animi intentione procedit. *S. Bern. In Pſal.* Qui habitat. *ſerm. 9 in v. 9.* Quoniam tu es , Domine , ſpes mea, *num. 2. Circà medium.*

Quisquis attenderit quàm multa est messis Dominica, & operarii pauci... videbit quòd nullus dies, nulla hora, nullus locus ab operatione secludi deberet. *Joan. Gerson. Tractat. de parvulis trahendis ad Christum, consider. 4. paulò post medium.*

CAPUT XII.

Misericordiæ operibus vacare.

ARTICULUS PRIMUS.

Cur misericordiæ operibus se totos tradere debent Sacerdotes.

SECTIO PRIMA.

Quia hoc electorum signum.

AB infantiâ meâ crevit mecum miseratio; & de utero matris meæ egressa est mecum. *Job. 31 v. 18.*

Isti sunt... filii olei. *Zachar. 4 v. 14.*

Venite, benedicti Patris mei; possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: esurivi enim, & dedistis mihi manducare; sitivi; & dedistis mihi bibere; hospes eram; & collegistis me; nudus, & cooperuistis me; infirmus, & visitastis me; in carcere eram, & venistis ad me. Tunc respondebunt ei justi, dicentes: Domine, quandò te vidimus esurientem, & pavimus te; sitientem, & dedimus tibi potum? Quandò autem te vidimus hospitem, & collegimus te; aut nudum, & cooperuimus

te? Aut quandò te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te? Et respondens... dicet illis: Amen dico vobis, quandiù fecistis uni ex fratribus meis minimis, mihi fecistis. *Matth. 25. vv. 34. 35. 36. 37. 38. 39 & 40.*

Estote... misericordes, sicut & Pater vester misericors est. *Luc. 6. v. 36.*

(Electi vocantur) vasa misericordiæ. *Rom. 9. v. 33.*

Ita existimare debemus carnium & animarum nostrarum salutem in hoc uno positam esse, ut eos (pauperes) humanitate ac misericordiâ prosequamur. *S. Gregor. Nazianz. Orat. 16. num. 18. in fine.*

Fac calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando; nihil enim tam divinum homo habet, quàm de aliis benè mereri; tametsi ille majora, hic minora beneficia conferat, uterque nimirùm pro suis viribus. *Idem, ibidem, num. 37. Antè medium.*

A sapientibus definitur bonorum primum esse Deum scire..... piâ mente venerari... totâ mentis charitate diligere: secundum autem, in proximos à divino illo fonte atque cœlesti naturæ derivare pietatem. *S. Ambros. de excessu fratris sui Satyri, lib. 1. num 42. Circà initium.*

Quid est homo?... Magna res homo, & pretiosa res vir misericors. *S. Chrysost. in Psal. 143. Longè antè medium.* *Prov. 14. v. 21. & 20 v. 6.*

Operibus... pietatis & misericordiæ & ungitur, & serenatur, & pascitur Christus. *S. Paulinus, Epist. 14. Ad Severum. Longè post medium. Bibliot. PP. Lugdun. tom. 6.*

SECTIO SECUNDA.

Quia hoc opus Sacerdotibus præcipuè incumbit.

Vide Isaïam. cap. 58.

Presbyteri... sint erga omnes piè affecti, mi-

fericordes, reducentes eos, qui aberraverint; visitantes omnes infirmos, non negligentes viduam, aut orphanum, aut pauperem. *S. Polycarpus Smyrnæus, Epist. ad Philippenses. Paulò antè medium.*

Vide S. Ambros. de officiis Ministrorum, lib. 1 cap. 11.

Compatiamur alienis calamitatibus; necessitates aliorum, quantùm possumus, juvemus; & plus interdùm, quàm possumus. *Idem, ibidem, lib. 2 cap. 28 num. 136. Circà initium. Refert. dist. 86 cap. 18.* Pulchra. *Paulò post medium.*

Cæcorum baculus, esurientium cibus, spes miserorum, solamen lugentium fuit. *S. Hieron. (loquens de Nepotiano) Epist. 35 aliàs 3 ad Heliodorum, Epitaphium. Nepotiani. Paulò antè medium.*

Plurima imprecatur (Paulus) filio (Timotheo, qui filius ejus erat in fide) vereturque, ac timet illi omnia; ità namque veretur, ut, quod nusquàm alibi fecit, etiam de salubritate
1. Timot. 5. v. 23. corporeâ ad eum scriberet, dicens: Vino modico utere propter stomachum tuum & tuas frequentes infirmitates. Nempè enim Doctores longè maximâ misericordiâ indigent. *S. Chrysost. in epist. B. Pauli ad Timot. cap. 1. homil. 1. Longè antè medium.*

Si consolentur afflictos, pascant egenos, vestiant nudos, redimant captivos, suscipiant peregrinos, si errantibus viam salutis ostendant, desperatis spem veniæ consequendæ promittant.... quis sic erit alienus à fide, ut dubitet tales contemplativæ virtutis esse participes. *De vitâ contemplativâ, lib. 1. cap. 25. Circà medium. Inter opera S. Prosperi.*

Non sibi credat solam lectionem & orationem sufficere, ut remotus studeat sedere, & de manu minimè fructificare; sed largam manum

num habeat, neceſſitatem patientibus concurrat, alienam inopiam ſuam credat: quia, ſi hæc non habet, vacuum Epiſcopi nomen tenet, *S. Gregor. Papa I. Regiſtri epiſtolarum, lib. 6 indictione 14. epiſt. 30 aliàs lib. 5. indictione 14. epiſt. 29 ad Secundum. Paulò poſt medium. Refertur diſt. 86. cap.* Fratrem. *Antè medium.*

Habeat (Sacerdos) in unctione ſuâ oleum, habeat miſericordiam abundantem, quæ ſibi virtutibus aliis præferatur. *Idem, lib. 4 in primum Regum, cap. 5 num. 1. Paulò antè medium. In hæc verb 1. Reg. 10. v. 1.* Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput ejus.

Cornu olei tollitur, ut in excellenti liquore magiſter Eccleſiæ vir eſſe ſtudeat magnæ miſericordiæ. *Idem, lib. 6. in primum Regum, cap. 3. num. 19. Circà initium, in hæc verba 1. Reg. 16. v. 13.* Tulit igitur Samuel cornu olei, & unxit eum in medio fratrum ſuorum.

Tunc (Paſtor) ad alta charitatis mirabiliter ſurgit, cùm ad ima proximorum ſe miſericorditer attrahit. *Bartholomæus à Martyribus ſtimul. paſtorum, parte 1. ex S. Gregorio in paſtorali. Longè antè medium.*

Vide Pater..... qualiter ſex opera miſericordiæ, quæ Dominus proponet in judicio, jugiter impleveris..... Ad omnia hæc factus es ex tuâ profeſſione obnoxius; & hæc omnia, Pater, à te exactiſſimè requirentur. *Petrus Bleſenſ. Epiſt. 16 ad Epiſcopum quemdam. Paulò poſt medium. Bibliot. PP. Lugdun. tom. 24.*

ARTICULUS II.

De quibusdam misericordiæ operibus.

SECTIO PRIMA.

Viduas, pupillos & orphanos defendere.

SUbvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam. *Isa. 1. v. 17.*

Tu autem ad eos, qui pupillis injuriam inferre minimè verentur, hoc dicito quòd Rex ille Regum, & Dominus Dominantium... hic pater orphanorum, & judex viduarum appellari gaudet. Siquidem in sublimibus dominationis nomen collocat; in humilibus autem curæ ac sollicitudinis. Illorum enim Dominum se esse asserit, horum parentem. *Isidor. Peluſiot. Epiſtol. lib. 3 epiſt. 294. Petro. Paulò pòſt initium. Bibliot.* PP. *Lugdun. tom. 7.*

Causa viduæ intret ad te, causa pauperis; & ejus qui non habet, quod det. *S. Bern. de conſider. l. 1. cap. 10 num. 13. Paulò poſt medium.*

Officii sacerdotalis est, ut viduis ac maritali regimine desolatis impertiri solatia debeant; ut, undè in hoc mundo humano adjutorio privantur, sacerdotali tuitione possint remedia reperire. *S. Bonavent. Pharetræ, lib. 1 cap. 20. initio. Ex S. Greg. in Regiſtro lib. 3 indict. 9 cap. 13.*

SECTIO SECUNDA.

Captivos & vinctos liberare aut ſublevare.

Melius est..... Quòd confregerimus vasa mystica, ut captivos redimeremus... Quis autem est tam durus, immitis, ferreus, cui displiceat quòd homo redimitur à morte, femina ab impuritatibus barbarorum, quæ graviores morte sunt; adolescentulæ, vel pueruli, vel

infantes ab idolorum contagiis, quibus mortis metu inquinabantur? *S. Ambr. de officiis Ministrorum, lib. 2 cap. 28 num. 136 circa medium.*

Multò .. commodius .. ut animas Domino, quàm aurum servaremus .. aurum Ecclesia habet, non ut servet; sed ut eroget, & subveniat in necessitatibus. Quid opus est custodire, quod nihil adjuvat? ... Nonne dicturus est Dominus. Cur tot captivi deducti in commercio sunt, nec redempti, ab hoste occisi sunt? Melius fuerat ut vasa viventium servares, quàm metallorum? *Idem. ibidem, num. 137 circa initium.*

Quid .. diceres: Timui ne templo Dei ornatus deesset? Responderet (Dominus) Aurum Sacramenta non quærunt: neque auro placent, quæ auro non emuntur. Ornatus Sacramentorum, redemptio captivorum est. Verè illa sunt vasa pretiosa, quæ redimunt animas à morte. Ille verus thesaurus est Domini, qui operatur quod sanguis ejus operatus est. Tunc vas Dominici sanguinis agnoscitur, cùm in utroque viderit redemptionem; ut calix ab hoste redimat, quos sanguis à peccato redemit. Quàm pulchrum, ut, cùm agmina captivorum ab Ecclesiâ redimuntur, dicatur: Hos Christus redemit. Ecce aurum, quod probari potest; ecce aurum utile; ecce aurum Christi, quod à morte liberat; ecce aurum, quo redimitur pudicitia, servatur castitas. *Idem, ibidem, num. 138 circa initium.*

Hos ergo malui vobis liberos tradere, quàm aurum reservare. Hic numerus captivorum; hic ordo præstantior est, quàm species poculorum. Huic muneri proficere debuit aurum Redemptoris, ut redimet periclitantes. Agnosco infusum auro Sanguinem Christi non solùm irrutilasse, verùm etiam divinæ operationis impressisse virtutem redemptionis munere. *Idem, ibidem, num. 139 initio.*

Concedi . . Levitis jubet refugii urbes, in quo genus maximè calamitosum maximèque opis indigens sacrorum Ministrorum curæ . fideique commisit. Hinc, ut opinor, exemplum Ecclesiis relictum est, ut vinctorum curam susciperent: Memores estote, inquit, vinctorum tanquam simul vincti, & laborantium tanquam & ipsi in corpore constituti. *S. Cyrill. Alexandr. de adorat. in spiritu & verit. lib. 13 (qui est de Sacerdotio) circa medium.* *Hebr. 13. v. 3.*

Iis, qui hæc patiuntur, ferte per commiserationem, quod par est, auxilium propter pietatem. *Theodoretus Episcopus Cyri, in Epist. ad Hebr. tom. 3 cap. 13 in hæc verba epist. ad Hebræos, cap. 13 v. 3* Mementote victorum, *&c.*

Vide S. Greg, Papam I. Registr. epistolarum, lib. 6 indictione 14 epist. 35. alias 34.

Decret. causâ 12. quæst. 2. cap. 14. & Sacrorum. *Ibidem, cap. 16.* Sicut omninò. Et sacrorum canonum & legalia statuta permittunt ministeria Ecclesiæ pro captivorum esse redemptione vendenda . . Sicut omninò grave est frustrà ecclesiastica ministeria venundare; sic iterùm culpa est imminenti ejusmodi necessitate res maximè desolatæ Ecclesiæ captivis suis præponere, & in eorum redemptione cessare. *Idem, ibidem, lib. 7 indictione 15 epist. 38 alias 35.*

SECTIO TERTIA.

Paupères pascere, vestire, consolari.

Qui præest alicui muneri, ut si officium Sacerdotis gerat, aut dispensatoris . . . suggerat Episcopo, nec reprimat, si quem positum in necessitate aliquâ cognoverit, aut de ejus opibus ad inopiæ necessitatem redactum; maximè si non effusione adolescentiæ, sed direptione alicujus & amissione patrimonii in eam recideit injuriam, ut sumptum exercere diurnum non

queat. *S. Ambros. de officiis Ministrorum, lib. 2 cap. 15 num. 79 circa medium.*

Gloria Episcopi est pauperum inopiæ providere. *S. Hieron. ad Nepotianum epist. 34 aliàs 2 longè ante medium.*

Non est.. Episcopi servare aurum, & revocare à se mendicantis manum. *S. Aug serm. 355 cap. 4 num. 5 longè ante medium, aliàs, de diversis, serm. 49 cap. 4 paulò post initium.*

O abundantia bonitatis Dei! Vult fœnerari ex iis, quæ ipse largitus est.: cupit debitor fieri donorum suorum, ut cum multâ tibi ratione tuam reddat usuram. Propera igitur, frater, tam uberem tibi obstringere debitorem, ut... in tuis terrestribus nummis te expertum fidelem, de suis cœlestibus thesauris divitem faciat... Fecit miserum, ut agnosceret misericordem; fecit inopem, ut exerceret opulentum... Per ipsos nunc accipit Christus, & tunc pro ipsis rependet... Vide igitur .. & noli negligere gratiam, quæ tibi oblata est... Parem ergo curam tui & pauperis gere, ut imiteris imitatorem Christi, non tibi, sed aliis utilia curando, ut tui impensiùs Deo cura sit. *S. Paulinus, serm. de Gazophilatio, ad Alethium (hic sermo immediatè postponitur epist 34 ad eundem) paulò ante. medium. Bibliot. PP. Lugdun. tom. 6.*

Nonnulli gregis quidem curam suscipiunt, sed sic sibimet vacare ad spiritalia appetunt, ut rebus exterioribus nullatenùs occupentur... Quorum nimirùm prædicatio plerumquè despicitur; quia, dùm delinquentium facta corripiunt, sed tamen eis necessaria præsentis vitæ non tribuunt, nequaquàm libenter audiuntur. Egentis etenim mentem doctrinæ sermo non penetrat, si hunc apud ejus animum manus misericordiæ non commendat... Sic itaque Pastores erga interiora studia subditorum suorum ferveant, quatenùs in eis exterioris quoque vitæ provi-

dentiam non relinquant. Nam quasi jure, aut diximus, à percipiendâ prædicatione gregis animus frangitur, si cura exterioris subsidii a Pastore negligatur. *S. Gregor. Papa I. Regulæ pastoralis, part. 2 cap. 7 aliàs 18 paulò post medium.*

Frustrà .. manus ad Deum tendit, qui pro posse suo eas ad pauperem non extendit. *Petrus Blesens. serm. 40 in Synodo super hæc verba, Joan. 15 v. 16.* Non vos me elegistis, *&c. longè post medium (hic sermo Petro Comestori ascribitur) Bibliot.* PP. *Lugdun. tom.* 24.

SECTIO QUARTA.

Infirmos visitare.

Non te pigeat visitare infirmum; ex his enim in dilectione firmaberis. *Eccli. 7 v. 39.*

Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus. *Math. 9 v. 12.*

Parochi... ægrotos .. etiam non vocati inviſant, ut ad Sacramentorum susceptionem inducant: & eorum animabus, quâcunque ratione possunt, sollicitè consulant. *Conc. Mediol. I. an. 1565. part. 2 titul. 1 de iis, quæ ad Sacramentorum administrationem generatim pertinent paulò ante finem.*

Quod Concilio Agathensi cautum est, id unusquisque Parochus præstare curet, ut Missæ sacrificio peracto; si quos in parochiali vicinià ægrotos habet, frequenter atque ideò quotidiè, quantùm per alias suæ curæ parochialis occupationes potest, inviſat, atque eisdem præstet, quæ sint sollicitudinis muneriſque parochialis officia, prout opus esse viderit. *Conc. Mediol. V. an. 1579 part. 1 titul. 11 quæ pertinent ad Sacramentum Extremæ-Unctionis, paulò ante medium.*

Officii tui est visitare languentes. *S. Hieron. ad Nepotianum, epist. 34 aliàs 2 multò antè finem.*

SECTIO QUINTA.

Mortuos sepelire.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Humanitatis & religionis officium.

Nemo potest indignari, quia humandis fidelium reliquiis spatia laxata sunt, nemo potest dolere, quia in sepulturis Christianorum requies defunctorum est. In his . . vasa Ecclesiæ etiam initiata confringere, conflare, vendere licet. *S. Ambros. de officiis Ministrorum, lib. 2. cap. 28 num. 142 paulò post medium, refertur causâ 12 quæst. 2 cap. 70.* Aurum.

Corpori . . humando quidquid impenditur, non est præsidium salutis, sed humanitatis officium. *S. Aug. de curâ gerendâ pro mortuis, cap. 18 num. 22 circa medium.*

Nec . . contemnenda & abjicienda sunt corpora defunctorum, maximèque justorum atque fidelium, quibus tanquam organis & vasis ad omnia bona opera sanctus usus est Spiritus. Si enim paterna vestis & annulus, ac si quid hujusmodi, tantò carius est posteris, quantò erga parentes major affectus; nullomodò ipsa spernenda sunt corpora, quæ utiquè multò familiariùs atque conjunctiùs quàm quælibet indumenta gestamus. Hæc enim non ad ornamentum vel adjutorium, quod adhibetur extrinsecùs, sed ad ipsam naturam hominis pertinent. Undè & antiquorum justorum funera officiosâ pietate curata sunt, & exsequiæ celebratæ, & sepultura provisa: ipsique, dùm viverent, de sepeliendis vel etiam transferendis suis corporibus filiis mandaverunt: & Tobias sepeliendo mortuos Deum promeruisse, teste Angelo,

Gen. 47. v. 30. Gen. 50. v. 2. 24. & 25. Tob. 2. v. 9 & 12. v. 12.

Mat. 26 *v.* 10 11. 12 & 13 commendatur. Ipse quoque Dominus die tertio resurrecturus, religiosæ mulieris bonum opus prædicat, prædicandumque commendat, quòd unguentum pretiosum super membra ejus effuderit, atque hoc ad eum sepeliendum fecerit. *Joan.* 19. *v.* 38. 39. 40. 41. & 42. Et laudabiliter commemorantur in Evangelio, qui corpus ejus de cruce acceptum diligenter atque honorificè tegendum sepeliendumque curarunt. *Idem, de civit. Dei, lib.* 1 *cap.* 13 *initio.*

S Martianus Presbyter & œconomus magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ..... Noctu... obiens plateas & civitatis angiportus, hujus quoque curam gerebat. Sicubi inveniisset mortuum præ nimiâ paupertate abjectum, & cujus nemo curam gereret, & quem talem vidisset, tanquam magnum aliquod lucrum assecutus, eum lubenter videbat; cùmque eum libenter laviisset & induisset, & alia justa pro more ei feciisset; deindè etiam mortuum tanquàm vivum alloquebatur: Agedùm, dicens, sis quoque nobiscum particeps ejus, quæ est in Christo charitatis Quæ cùm diceret, habebat eum, qui jacebat, audientem; surgebat enim. O miraculum, quod verbis non potest explicari! & bonum amplectebatur Martianum... Deindè sic mortuus, rursùs erat mortuus. *Metaphrastes, in vitâ S. Martiani, apud Surium,* 10 *Januarii, longè post medium.*

§. II.

Sine turpi exactione pretii à Sacerdotibus impendendum.

Grave nimis, & procul nimis est à Sacerdotis officio pretium de terrâ concessâ putredini quærere, & de alieno velle facere luctu compendium... Hoc autem vitium & nos,

postquàm Deo authore ad Episcopatûs honorem accessimus, de Ecclesiâ nostrâ omninò vetuimus.. memores quia, dùm Abraham à filiis Emor, hoc est, Ephron filio Segor sepulchri terram pretio ad humandum corpus conjugis postularet, pretium accipere renuit, ne commodum videretur de cadavere consecutus. Si ergo tantæ considerationis paganus vir fuit, quantò magis nos, qui Sacerdotes dicimur, hoc facere non debemus.... Si .. Parentes .. proximive hæredes pro luminaribus sponte quid offerre voluerint, accipi non vetamus; peti verò aut aliquid exigi omninò prohibemus. Quod valdè irreligiosum est, ne aut venalis fortasse, quod absit, dicatur Ecclesia, aut vos de humanis videamini mortibus gratulari, si ex eorum cadaveribus studetis quærere quolibet modo compendium. *Atto Vercellensis Episcopus, Capitular. cap. 24 paulò post initium.*

§. III.

Laicorum cadavera à Sacerdotibus non deferenda.

Mortuum quovis etiam generis gradûs dignitatisve nomine illustrem laicum ecclesiastici homines ne efferant: ne item inferioris Ordinis Clericum, qui in superiori Ordine constituti sunt. At verò Subdiaconum Subdiaconi, Diaconum Diaconi & sic ordine cæteri. *Concil. Mediol. VI. an.* 1582 *tit.* 17 *quæ ad funera pertinent, paulò post initium.*

Finis Partis septimæ.

INDEX

PARTIS SEXTÆ.

CAPUT PRIMUM.

STATUS Clericalis periculosissimus. *pag.* 1
ART. I. Quia sublimior aliis. 2
II. Quia gravioribus Clerici pulsantur tentationibus. 5
III. Quia severius à Christo, nullâ auditâ excusatione, judicandi. 8

CAPUT II.

MOrte malorum Sacerdotum nihil terribilius. 10

CAPUT III.

JUdicium durissimum Sacerdotes manet. 13
ART. I. Quia status eorum præstantior, & uberiores à Deo acceptæ gratiæ. 13
II. Quia ipsis creditæ sunt animæ. 15

CAPUT IV.

INtolerandum malis Sacerdotibus paratum in inferis supplicium. 19
ART. I. Summa Sacerdotum damnatio. 19
II. Cur tam grave supplicium malis Sacerdotibus paratum. 23
SECT. I. Quia præ aliis superno lumine collustrati. 23
II. Quia ad altiorem gradum provecti & majoribus gratiæ donis ditati. 24
III. Quia suis & alienis peccatis onerati. 25

CAPUT V.

ÆTerna bonorum Sacerdotum merces multa nimis. 27

CAPUT VI.

PAuci Sacerdotes electi. 31

CAPUT VII.

PEccata Sacerdotum monstra. 31
ART. I. Quod peccata Clericorum sint graviora peccatis laicorum. 31
II. Quàm gravia sunt peccata Clericorum. 32
III. Cur tam gravia sunt peccata Clericorum. 35
SECT. I. Quia scientes & volentes Clerici peccant. 35
II. Quia majoribus gratiæ donis locupletantur. 36
III. Quia in sublimiori statu collocantur. 36
IV. Quia peccata Clericorum populo maximum afferunt detrimentum. 39
V. Quia Ecclesiæ gravem præbent offensionem. 44
VI. Quia acerbiora merentur supplicia. 46

CAPUT VIII.

SAcerdotum difficilis & rara pœnitentia. 47
SECT. I. Emendatio Sacerdotum rara. 47
II. Cur Sacerdotum pœnitentia adeò rara. 48
PARAC. 1. Quia in Scripturis exercitati ad nullum Dominicæ communionis tonitru expergiscuntur. 48
2. Quia tenet eos superbia, adeò ut omne consilium respuant. 49
3. Quia deliciis diffluentes vitæ asperioris labores perhorrescant. 49

CAPUT IX.

RUina populi, Sacerdotes mali. 50

CAPUT X.

SAlus populorum, Sacerdotes boni. 53

CAPUT XI.

ART. I. SIc activæ vitæ labores subeat Clericus, ut contemplativæ vitæ non prætereat otiosa negotia. 56
II. Cur vitæ activæ labores subire debeat, non deserens contemplativæ otiosa negotia. 58
SECT. I. Quia primùm saluti animæ consulere debet. 58
II. Quia non sibi tantùm, sed & aliis vivere tenetur. 61

CAPUT XII.

ORdines Sacros & Ecclesiasticas dignitates formidet Clericus, nedùm ambiat. 63

ART. I. Quantâ curâ fugiendæ dignitates. 63
II. Cur tantâ curâ fugiendæ. 64
SECT I. Ob exemplum Christi & Sanctorum. 64
II. Ob gravissimum dignitatum Sacerdotiique pondus. 68
III. Ob innumera, quibus obnoxiæ sunt dignitates Ecclesiasticæ, pericula. 70
IV. Dignitates ambire non permittit Apostolus. 72

CAPUT XIII.

ORdines seu dignitates in Clero ambiens, rebrobus. 74

CAPUT XIV.

HOnores sunt onera. 78

CAPUT XV.

NIhil prodest canonica electio sine canonicâ vitâ. 85

CAPUT XVI.

NEc vita sine doctrinâ, nec doctrina sine vitâ. 88

CAPUT XVII.

IGnorans Sacerdos ignorabitur. 90
ART. I. Quàm culpanda Sacerdotis ignorantia. 90
II. Cur Sacerdos ignarus acerbè plectendus. 92
SECT. I. Quia indoctus docendi officium suscipit. 92
II. Quia creditam plebem secum in exitium trahit. 93
III. Quia Ecclesiæ contumeliam & damnum multiplex infert. 94
ART. III. Scientia quàm Clericis necessaria. 96
PARAG. 1. Ut populos doceant. 98
2. Ut Ecclesiasticam tueantur disciplinam. 99
3. Ut errores præcaveant, eisque se opponant. 99
ART. IV. Quænam præsertim scire teneantur Clerici. 99
1°. Fidei dogmata. 99
2°. Legem Dominicam Scripturamque Sacram. 100
3°. Ecclesiæ Canones. 100
4°. Sacramentorum ritus. 101
ART. V. Qualis esse debeat Clericorum scientia. 102
1°. Non fæcularis. 102
3°. Non vana. 102
2°. Non inflans. 103
ART. VI. Quomodò comparanda. 104
SECT. I. Non vanâ prophanorum lectione. 104
II. Non temerariâ Mysteriorum perscrutatione. 105
III. Sed studio sancto & oratione. 106

CAPUT XVIII.

NOn secundùm consuetudinem, sed secundùm sacros canones vivat. 106

CAPUT XIX.

NOn tempori serviat, sed veritati. 108

CAPUT XX.

SIngularitates probatas sectetur, fugiat vitiosas. 109

Finis Partis Sextæ.

INDEX
PARTIS SEPTIMÆ.

CAPUT PRIMUM.

SUscepti Ordinis munus obire. 111
ART. I. Religionis officiis vacare, præcipuum clericorum munus. 111
II. Cur suscepti Ordinis munia libenter exercere debent Clerici? 112
SECT. I. Quia id Christus præcipit & Ecclesia. 112
II. Quia munia hæc eximia sunt ac præstantissima. 114
III. Quia sancta sunt & difficilia. 115
ART. III. Quomodò Ordinum suorum munus exercere debent Clerici? 115

CAPUT II.

ANimarum saluti incumbere. 117
ART. I. Clerici ac præsertim Sacerdotes animarum saluti promovendæ se totos devovere debent. 117
II. Cur animarum saluti se totos devovere debent? 120
SECT. I. Quia ad hoc munus institutus est clericalis Ordo. 120
II. Quia ad id impellit amor Dei. 122
III. Quia ad id invitat grande præmium. 123
IV. Quia, sicut nec soli perire, si nec soli salvari possunt Clerici. 125
V. Ab aliorum salute promovendâ desistere non debent Clerici. 128

PARAG. 1. Etsi nullum ex labore suo fructum percipere sibi videntur. 128
2. Etsi semper indocilem populum experiuntur. 129
3. Quamvis ipsi ludibrio habeantur. 130
ART. III. Quomodò aliorum saluti incumbere debent Clerici? 131

CAPUT III.

REgimen seu curam animarum trepidando subire. 133
ART. I. Regimen animarum suscipere præclarum & decorum est. 133
II. Non sine multo timore suscipienda est animarum cura. 134
SECT. I. Quia arduum hoc opus. 134
II. Quia periculosum. 137
III Quia pro commissis ovibus reddenda ratio. 138
IV. Quia pauci sunt boni Pastores. 139
ART III. Quales in hoc regimine se exhibere debent? 140
SECT. I. Non lupos. 140
II. Non mercenarios. 141
PARAG. 1. Qui seipsos pascunt. 141
2. Qui veniente lupo fugiunt. 143
SECT. III. Sed bonos Pastores. 145

APPENDIX.

De residentiâ.

INter oves sibi commissas residere. 148
ART. I. Pastores ob ovili suo abesse non debent. 148
II. Cur Pastores inter oves suas residere debent? 154
III. Quàm gravis culpæ tenentur Pastores non residentes. 158
IV. Quibus pœnis subjacent. 158
V. Qui præstare debent residentes? 160
VI. Quænam sunt causæ legitimè excusantes à residentiâ. 162

CAPUT IV.

DIvinum Officium recitare. 165
ART. I. De divini Officii excellentiâ. 165
II. De divini Officii recitandi obligatione. 167
III. De modo recitandi Officii divini. 168
SECT. I. Dignè. 168
II. Attentè. 169
PARAG. 1. Quàm necessaria sit attentio recitantibus divinum Officium. 169

2. Quibus attendere debent, qui divinum Officium recitant. 171
3. Quænam cogitationes repellendæ. 172
SECT. III. Devotè. 175
ART. IV. De iis, quæ circà celebrationem divini Officii in Choro ſervanda ſunt. 176
SECT. I. Quædam circà intentionem ſervanda. 176
II. Servanda antè ingreſſum in Chorum. 177
III. In ipſo ingreſſu in Eccleſiam & Chorum. 177
IV. Poſt ingreſſum in Chorum. 179
PARAG. 1. Quæ ſpectant corporis compoſitionem & habitum in Choro. 179
2. Quæ ſpectant exteriorem Chori diſciplinam. 183
3. De internà religione in Choro. 185
ART. V. De modo recitandi Officii divini extra Chorum. 186
SECT. I. Quantùm ad præparationem & devotionem. 186
II. Quantùm ad compoſitionem & ſtatum corporis. 187
III. Quantùm ad locum. 188
IV. Quantùm ad pronuntiationem. 188
V. Quantùm ad tempus. 190

CAPUT V.

SAcramenta piè adminiſtrare. 190
ART. I. De adminiſtratione Sacramentorum in genere. 190
SECT. I. De excellentiâ illius muneris. 190
PARAG. 1. Ex dignitate Sacramentorum. 190
2. Ex eorum utilitate. 191
SECT. II. Quomodò adminiſtranda ſunt Sacramenta. 194
PARAG. 1. Cum puro corde & decenti habitu. 194
2. Cum reverentiâ & præſcriptis ceremoniis. 195
3. Secluſo turpi quæſtu, & abſque omni labe avaritiæ. 196
ART. II. De adminiſtratione Sacramentorum in ſpecie. 198
SECT. I. De adminiſtratione Baptiſmi. 198
PARAG. 1. Quanti faciendum hoc munus ob excellentiam & effectus Baptiſmi. 198
2. Quæ obſervanda in adminiſtratione Baptiſmi. 201
SECT. II. De adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ. 203
PARAG. 1. Quàm excellens, difficile & periculoſum hoc munus. 203
2. Qualis eſſe debet Sacramenti Pœnitentiæ Miniſter. 206
Pius. 206
Doctus. 206
Prudens. 208

3. Quibus deneganda absolutio. 209
Adhuc peccare volenti. 209
Ablata non restituenti. 209
Inimicis reconciliari recusanti. 210
Occasiones peccandi deserere nolenti. 210
Scandalum non reparanti. 211
Quæ scire tenetur, ignoranti. 211
4. Quomodò administrari debet Sacramentum Pœnitentiæ? 212
In loco manifesto. 212
Fidelibus modestè & humiliter compositis. 213
Cum mansuetudine & discretione peccatores excipiendo. 214
SECT. III. De administratione Sacramenti Eucharistiæ. 220
PARAG. 1. De excellentiâ illius muneris; & quantùm cavere debent Sacerdotes, ut illo dignè fungantur. 220
2. Quædam in administratione sacro-sanctæ Eucharistiæ religiosè observanda. 222
3. Quædam speciatim observanda circà dignos & ad frequentem communionem ritè præparatos. 222
4. Quædam observanda circà indignos. 224
5. Quædam circà juvenes ad sanctissimam communionem primâ vice accidentes. 225
6. Quædam observanda circà ægrotos. 226
SECT. IV. De administratione Sacramenti Extremæ-Unctionis. 229
PARAG. 1. Quædam antè illius administrationem observanda. 229
2. Quædam in illius administratione observanda. 231
3. Quædam post illius administrationem observanda. 232
SECT. V. De administratione Sacramenti Matrimonii. 234
PARAG. 1. Quàm religiosè exercendum hoc munus. 234
2. Quædam circà administrationem Matrimonii observanda. 234
Circà locum. 234
Circà tempus. 235
Circà contrahentes. 236

CAPUT VI.

DE sacro-sancto Missæ Sacrificio. 237
ART. I. De hujus Sacrificii ac illius celebrationis excellentiâ. 237
SECT. I. Excellentia hujus Sacrificii ex variis ejus nominibus desumpta. 240

II. Ex Sacerdote offerente. 241
III. Ex victimâ oblatâ. 242
IV. Ex fine & effectibus. 243
V. Per comparationem cum aliis Sacrificiis. 246
ART. II. De modo offerendi sanctissimum Missæ Sacrificium. 247
SECT. I. Mundè seu circumspectè. 248
PARAG. 1. Mundities cordis. 248
2. Mundities corporis. 250
3. Mundities Altaris, sacrorum vasorum, & ornamentorum. 251
SECT. II. Rectè seu reverenter. 254
PARAG. 1. Cum purâ intentione. 254
2. Cum debitâ veneratione. 256
3. Cum magno pietatis sensu. 258
SECT. III. Legitimè seu ordinatè. 260
PARAG. 1. Quantùm ad locum. 260
2. Quantùm ad tempus. 261
3. Quantùm ad ritus. 261
ART. III. Quædam specialiter circà Missæ Sacrificium observanda. 264
SECT. I. Quomodò Sacerdos celebraturus præparare se debet? 264
II. Quædam circà celebrationem Missæ observanda. 265
III. Quid post celebratam Missam agere debent, & de gratiarum actione. 267
ART. IV. De Sacerdotibus celebrantibus. 269
SECT. I. De rarò celebrantibus. 269
II. De tepidè celebrantibus. 271
III. De indignè celebrantibus. 272
IV. De frequenti celebratione Missæ. 277
ART. V. De Missâ solemni. 279
VI. De primâ novi Sacerdotis Missâ. 280

CAPUT VII.

CAntum ecclesiasticum studiosè addiscere, & piè graviterque vocem divinis laudibus accommodare. 282
ART. I. De cantu ecclesiastico. 282
II. De obligatione cantandi in Choro. 286
III. De modo cantandi in Choro. 288
Non cursim & festinanter. 288
Non inordinatâ voce. 289
Sed strenuè & cum gravitate. 290
ART. IV. De Cantoribus seu Psalmistis. 291

CAPUT VIII.

RItus & ceremonias in secreto per exercitationem addiscere, in publico summâ cum religione & reverentiâ exercere. 294
ART. I. Religiosè tractandæ sunt. 294
Quia signacula religionis. 294
Quia devotionis fidelium adminicula. 296
Quia negligentia in iis observandis severè puniendæ. 296
II. Quomodò religiosè tranctandæ? 297
Studiosè discendæ. 298
Exactè faciendæ. 299
Earum spiritalis significatio indaganda. 299

CAPUT IX

SAcerdoti sacrum facienti modestè ac religiosè servire. 300

CAPUT X.

DE prædicatione verbi Dei. 305
ART. I. De naturâ illius muneris. 305
SECT. I. De excellentiâ illius muneris. 305
Ex encomiis Prædicatorum. 305
Ex ipso verbi ministerio. 307
II. De necessitate illius muneris. 310
PARAG. 1. Prædicationis necessitas ex officio Sacerdotum desumpta. 310
Ob officium Sacerdotum. 310
Ob crimen Sacerdotum mutorum. 315
Ob pœnas non prædicantibus impositas. 317
Ob mercedem prædicantibus promissam. 319
2. Ex indigentiâ populorum. 320
SECT. III. Quàm difficile prædicationis munus. 321
ART. II. De Prædicatore verbi divini. 322
Quæ sunt ei necessariæ dotes? 322
SECT. I. Competens ætas. 322
II. Legitima missio. 324
III. Doctrina non vulgaris. 324
IV. Vita inculpata. 325
PARAG. 1. Sanctus sit & ab omni vitio alienus. 325
2. Quæ verbis prædicat, factis confirmet. 329
3. Gratiâ sit virtute plenus. 334
V. Amor proximi ejusque promovendæ salutis ardens studium. 335
VI. Pura intentio. 347
VII. Quædam alia Concionatori necessaria. 341
ART. III. De modo concionandi. 342

SECT. I. Quædam antè concionem obſervanda. 342
PARAG. 1. Seipſum Prædicator doceat priùs & nutriat. 342
2. Seipſum bonis operibus ad dicendum præparet. 344
3. Orationi vacet. 345
SECT. II. Quædam in ipſo concionis tempore obſervanda. 346
PARAG. 1. Errantes liberè arguat. 346
2. Sanctas Scripturas doceat, non fabulas, non ſubtiliora, non curioſa, non incerta. 349
3. Captui auditorum ſe accommodet. 351
4. Sit ejus ſermo non nimiùm comptus, ſed gravis & ignitus. 354
SECT. III. Quæ poſt concionem obſervanda. 357
PAR. UNIC. Nec ex auditorum converſione ſibi Prædicator blandiatur, nec propter eorum duritiem à prædicationis officio deſiſtat. 357

CAPUT XI.

CAtechiſandis rudibus operam dare. 361
ART. I. Doctrinæ chriſtianæ rudimenta plebi ac præſertim pueris & rudibus ſtudiosè à Clericis ſunt tradenda. 361
II. Cur ſtudiosè & ſine tædio catechiſandis populis & præcipuè rudibus ac pueris vacare debent Clerici? 364
SECT. I. Ob exemplum Chriſti & Apoſtolorum, &c. 364
II. Ob præſtantiam operis. 366
III. Ob indigentiam populorum. 368
IV. Ob præmia catechiſantibus promiſſa. 370
ART. III. Quomodò doctrina chriſtiana rudibus ac pueris eſt tradenda. 372
SECT. I Clarè & accommodatè ad captum eorum. 372
II. Patienter & benignè. 377
III. Cum gaudio & perſeverantiâ. 379

CAPUT XII.

MIſericordiæ operibus vacare. 382
ART. I. Cur miſericordiæ operibus ſe totos tradere debent Sacerdotes? 382
SECT. I. Quia hoc electorum ſignum. 382
II. Quia hoc opus Sacerdotibus præcipuè incumbit. 383
ART. II. De quibuſdam miſericordiæ operibus. 386
SECT. I. Viduas, pupillos & orphanos defendere. 386
II. Captivos & vinctos liberare aut ſublevare. 386

III. Pauperes pascere, vestire, consolari. 388
IV. Infirmos visitare. 390
V. Mortuos sepelire. 391
PARAG. 1. Humanitatis & religionis officium. 391
2. Sine turpi exactione pretii à Sacerdotibus impendendum. 392
3. Laïcorum cadavera à Sacerdotibus non deferenda. 393

FINIS.